

F R I D E R I C I
H O F F M A N N I
M E D I C I N Æ
RATIONALIS SYSTEMATICÆ

T O M I Q U A R T I,

Quo specialis Morborum pathologia, & huic superstructa
solida therapia cum medendi Methodo cautelis
Clinicis, & Morborum enarrationibus
adjuncta Epicrisi, exhibentur

P A R S Q U A R T A

D O C T R I N A M M O R B O R U M

*Ex viscerum labore partiumque solidarum atonia perspicua &
demonstrativa methodo tradens.*



V E N E T I I S, M D C C X X X V I I I.

E X T Y P O G R A P H I A B A L L E O N I A N A.

S U P E R I O R U M P E R M I S S U, A C P R I V I L E G I O.

Cusa Salamioen Hoffmann

DOCTRINA - MORALIS

DEDITÆ ARTIS SALUTARIS

Studio asclepiadatum progeniei stipendum hoc
septimum confert octavum si Deus vitam
viresque prorogat vorer.

F R I D E R I C U S H O F F M A N N U S .

P R A E F A T I O .

Therapiæ rationalis tomum quartum lectori peritiæ mediceæ cupido jam exhibeo paulo tardius, quam promiseram, ob increscentes quotidie occupationes in senio, quo vires corporis non parum decrescere incipiunt. Complectitur hic tomus ægritudines, quæ paulo longius protractantur admodumque difficultem recipiunt sanationem; unde etiam chronicarum nomine veniunt, & recte duplicitis esse generis statuuntur, quarum aliae a solidorum motu nimis adacto nascuntur, ut fere sunt spasmatico-convulsivæ, in praecedente jam tomo pertractatae; aliae contra a solidarum partium motricium imbecillitate tonoque ac robore dejecto, & abhinc dependente languidiori fluidorum motu oriuntur, quarum indolem & effectus jam describere propositum est. Scire autem licet, hos morbos iterum dupliciter esse considerandos: alii quippe, qui mentem ac sensus afficiunt, in suprema corporis parte sedem suam ac domicilium constituunt, quorum naturam, causas & medendi methodum in prioribus hujus voluminis capitibus paulo accuratius evolvere annisi sumus; reliquos, qui ex viscerum medii & infimi ventris, quæ vitalium humorum elaborationi ac depurationi serviant, atonia ortum trahunt, in posterioribus capitibus accuratori tam pathologicæ quam therapeuticæ considerationi subjecimus. Atque hi morbi in universum ejus sunt naturæ ac conditionis, ut ob lentitatem & vacillantem sanguinis & humorum circuitum stagnationes, vasorum obstrunctiones & indurations, adeoque labem solidis partibus & visceribus inferant vitæ infensissimam, quæ profecto difficillime expugnatur. Quare etiam horum morborum sanatio summam medentis prudentiam & accuratiorem appropriatorum summeque efficacium remediorum cognitionem desiderat; siquidem in nullo morborum genere ars nostra magis se manifestat, ac in cura chronicarum affectionum, quia sub his patum potens natura haud facile vitium, altius insidens, suis viribus excutit, quum contra confiteri omnino oporteat, artem in acutis parum valere; utpote in harum curatione plus sibi natura vindicet, & ibi medicus sæpe spectatorem tantum agat. Neque hæc veritas anti-

T R A F F I O.

quos rei medicæ scriptores latuit, ex quibus vel unicum *Cornellium CEL-*
SUM in testimonium vocare lubet, cuius verba, quibus libro III. præ-
fatur, non alienum puto hic recensere: *In nullo quidem, inquit, mor-*
bo plus ars quam natura sibi vindicare potest, utpote cum repugnante natura
nihil medicina proficiat; magis tamen ignoscendum medico est, si minus pro-
ficiat in acutis, quam in longis: ibi enim breve spatium est, intra quod, si
quod auxilium non profuit, ager extinguitur, hic deliberationi & mutationi
remediorum tempus paucus. Ad hoc adseratum paulo clarius intelligendum
multum juvabit, quando ad naturam, quæ ab antiquissimo artis nostræ
parente in pluribus locis morborum medicatrix salutatur, attentius ad-
verteentes quid possit quidque valeat in acutis & valde gravibus affectioni-
bus, rite perscrutemur. Naturæ autem nomine hoc loco non sapiens
quoddam, corpori animantium insidens & functiones ejus dirigens prin-
cipium; sed nos in felicioris seculi medici luce constituti, nihil aliud,
quam jugem ac perennem sanguinis & humorum per compaginem corpo-
ris mere vasculosam in orbem motum, a cordis & vasorum omnis gene-
ris systaltica vi dependentem intelligimus; cuius beneficio corpus in se
corruptioni expositum per continua heterogenearum partium subtra-
ctionem a putredine vindicatur. Et hic motus vere vitalis, quæ a ictibus
& mere naturalibus & externis, potissimumque ab aere & alimentis,
recte id pronuntiante HIPPOCRATE, proficiuntur, non modo san-
tatem conservat, sed etiam ad sanationem morborum multum valet.
Nam intensor & celerior in acutis redditus ipsam causant, quæ febrem
inducit, brevi & certo tempore, per congrua emunctoria eam expel-
lendo, tollit & saepius ægritudines periculi plenissimas, ipsam pestem,
inflammatorias & exanthematicas febres, sua sponte, parum adjuvan-
te medico, feliciter persanat. Res vero longe aliter se habet in longis
affectionibus, ubi languidior & tardior sanguinis circuitus ad ingignen-
dos morbos, accumulando materiam excrementitiam, multum contri-
buit. Tantum enim absit, ut causæ morbificæ, altius vitalibus parti-
bus incidenti, elidenda & foras eliminanda sufficiat, ut omnino opus
sit medico, qui consilio & auxilio succurrens efficacibus remedii mat-
riam valetudini infensam ad excretionem præparet, pertinaces obstruc-
tiones solvat, & sanguinis segniorem motum augendo, per aperta
emunctoria, quæ noxia sunt prescribere contendat. In morbis igitur
chronicis, tum avertendis, tum sanandis & levandis, medicus omnino
artis præstantiam quam optime potest ostendere, & nominatim quidem
in diuturnis febribus, in morbo melancholico-hypochondriaco, cache-
xia, tabe, hydrope, scorbuto, lue venerea, asthmate convulsivo,
gonorrhœa & fluore albo in veterato, sphacelo, morbo nigro Hippocr. hæmoptysi, cruento vomitu & hujus generis pluribus; quæ ope natu-
ræ nunquam sanescunt, sed utique delideratissimam medici operam postu-
lant. Quicunque itaque in ejusmodi morbis præ aliis laude quidquam
digni efficiere potest, is certe aliis præferendus & præstantissimus haben-
dus est. Verum, sicut peritia medici in hisce morbis quam maxime se
prodit;

P R A E F A T I O.

prodit; ita etiam ignorantia & imperitia, si quis non recte eos tractare novit, se manifestat. Certe, si veritatem non dissimulare debemus, inter perpangoes eminent illi; qui in contumacibus hisce morbis, quid noccat vel proflit recte disjudicare valent: pauci quoque sunt, qui intimas eorum caussas, ad quas tollendas omnis medentis dirigere debet intentio, & sedes, ubi consistunt & tyrannidem suam exercent, vere perspectas habent; multomius appropriata & efficacia adversus eos remedia norunt. Surrexerunt nostra tempestate, qui ex plethora atque ex sanguinis excretionibus deficientibus & suppressis omnem chronicarum passionum originem derivare summo studio contendunt, quin tamen, re altius perspecta, magis a boni sanguinis defectu, seri excrementitii colluvie & copia, debilitate generis nervosi & viscerum labe, earum origo & symptomatum caussa sit derivanda. Ex qua falsa theoria, perversa deum medendi ratio processit; siquidem fere omnis generis chronicos morbos per venæsectionem in pede crebrius instituendam & per medicamenta, quæ fluxum sanguinis, præsertim in viris hæmorrhoidalem promovent, & avertere & persanare sibi persuasum habent, effetu tamen minus auspicio succedente. Nam ubi nec sanguinis est abundantia, neque natura ad istum fluxum est disposita, frustraneus est omnis labor, quin potius non semel sed sepius observavi, diu continuata hac methodo tractatos ægros in pathemata hypochondriaca, a quibus liberi antea fuerunt, incidisse, vel illa ipsa longe pertinaciore reddita fuisse. Quodsi enim nimia sanguinis profusione robur partibus, quæ digestioni, sanguificationi & salutaribus excretionibus serviunt, subtrahitur, vis alimentorum digestrix imminuitur, & crudi humores abeunt in sanguinem, qui dein ad intestinum rectum plus justo appulus & exitum ibi non inveniens dolentes cœcas hæmorrhoides, stagnationes & molestias in osse sacro dorsoque tensiones & spasmos proritat; ut hinc facile sit intellectu, hanc quidem medendi methodum non profus carete suo usu, minus tamen esse universalem, sed pro ratione corporum & caussarum morbosarum valde limitandam. Quum itaque ex falsis suppositis hypothesis & præjudicatis opinionibus ordinario falsæ conclusiones & perversa iudicia nasci soleant, certe non subit mirari, quare qui supra commemoratae pathologie favent, nullam nisi in partibus infernis & pede admittere venæsectionem velint, rejecta protus illa, quæ in superioribus & manu instituitur, ex metu, ne salutaris excretionis per venas sedis præpediatur: quum tamen ex veterum & que ac recentiorum & nostra quoque observatione per venæsectionem in plethoraicis in manu decenter institutam molestissimus ille fluxus per hæmorrhoides, qui summa circumspectione in regimine vitæ per omne reliquum tempus eget, saluberrime possit præcaveri. Plura mihi obvia recensere possem exempla, ubi in sanguine plenis & vegetis corporibus, in quibus nulla ad hunc fluxum dispositio nec proclivitas apparuit, repudiata sanguinis missione in manu, ea tantum in pede fuit instituta, propter exiguae autem venas parum sanguinis effluxit, graves chronicū morbi;

P R E F A T I O.

morbi, ut sunt asthma sanguineum cum hydrope analarca junctum, affectus soporosi, paralytici quoque & podagrici suborti fuerunt, qui per sufficientem sanguinis & lecta in manu vena detractionem insigniter levati & convenientium remediorum ope sanati fuerunt integerrime. Ceterum ingenue etiam hoc loco confitendum est, communem, quæ nostris temporibus viget, chronicis affectionibus medendi methodum maxima ex parte præposteram esse atque perversam, adeo ut inde non convalescant ægri, sed pejus potius habeant & diutius torqueantur. Plurimi in hac male fundata versantur opinione, in rebellibus hisce morbis vi quadam & multum validis medicamentis opus esse ad obstruktionum repagula referanda, humores viscidos & in minimis meatibus subsistentes fortiter resolvendos eosque per excretoria ejiciendos; quare non temperatis, lenioribus & sic dictis Galenicis, sed activis, fortioribus, chymico igne excoctis & ex mineralium regno petitis ad averruncandos hos morbos remediis utuntur; cum tamen vera & confirmata sat experientia contrarium plane doceat. Nam si allo in morbo sanando exquisita victus ratio, moderatum vitæ regimen & remedia leniora, temperata diætætica & paregorica usum præstant eximium, id ipsum eerte de longis & diuturnis affectionibus valere arbitror. Ego hinc plena testari fide possum, me, qui jam per quinquaginta & sex annorum spatium, annuente Deo, artem exercui & docui, præ multis aliis in vincendis chronicis morbis felicem fuisse, potissimumque operæ pretium fecisse per decentem aeris & locorum mutationem, corporis variam excitationem, per aquæ puræ & aquarum mineralium tam frigidarum quam thermalium potum, per lactis ejusque seri dulcis & aciduli, ptisanæ, infusorum specierum appropriatarum ex aqua usum, per interna valde temperata corridentia & evacuantia, item balsamica nervina, per balnea, infessus, pediluvia, fomenta & demum quoque per abstinentiam tenuemque victim; si modo patientia, ægrotumque obedientia & sufficiens ad medendum tempus accesserit. Neque vero dissimulandum est, inter causas, cur multi difficiles morbi ad sanitatem non reducantur, hanc potissimum valere, quod tam medici quam ægrotantes ut plurimum, nisi statim auspicatum remediorum effectum conspiciant, ad crebram mutationem medicamentorum valde proclives sint. Et revera nihil magis valetudini officit, ac crebrior remediorum variatio & copia. In universum quippe tenendum est, omnis generis morbos, maximeque diuturnos, non multa & varia, sed pauca, lelecta, & simplicia magis quam composita, leniora, quam validiora desiderare remedia, sed eorum continuatione opus habere. Nam uti natura in omnibus est simplex & simplices quoque morborum sunt causæ; ita quoque in sanando & simplicitate & paucō adparatu gaudet. Et uti in magnis rebus expediendis tempore sufficienti opus est, sic pariter id valet in artis operibus. Ultimo loco inter causas ægræ curationis nec hoc reticendum puto, quod ægri, præsertim malo hypochondriaco afflitti, peculiari animi affectu laborent, qui mihi nomine pharmacomaniz venit,

venit, quo perpetuo medicamina urgunt & omnes, qui nomen gerunt medici, in consilium adhibent, eorumque medicamentis utuntur, inde vero efficiunt, ut nunquam valetudinem recuperent. Præfati hæc volvi brevibus circa curationes morborum, qui ex atonia oriuntur & in præsenti libio explicantur, ut in limine quasi B. L. perspiciat, quam viam in his pietractandis ingressus fuerit, quamque methodum artem exercentibus commendandam præcipue judicem, nulus dubitans, quin, si non præsens ætas, tamen posteritas veritatem & insignem frumentum ex scriptis meis sit peritura, præsertim si a præjudiciorum dura servitute liberatos animos lectors attulerint, & usu rerum tantum profecerint, ut a solida multorum annorum experientia mihi enata præcepta, experiendo intelligere & comprobare valeant.

CONSPECTUS CAPITUM

QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Cap. I. De nervorum resolutionibus.	Carte 1
II. De affectionibus soporosis comate, caro, & lethargo.)	28
III. De vertigine.	45
IV. De gutta serena.	60
V. De visus imbecillitate.	70
VI. De auditus vitiis.	81
VII. De aphonia.	94
VIII. De delirio melancholico & maniaco.	102
IX. De virium lapsu & animi deliquiis.	130
X. De subita morte & morbis insanabilibus ex polypo oriundis.	146
XI. De affectione phthisica, sive tabe.	158
XII. De cachexia icterica.	188
XIII. De cachexia & chlorosi.	207
XIV. De hydrope.	226
XV. De flatulentia & affectione tympanitica.	256
XVI. De cachexia uterina, sive fluore albo.	271
XVII. De gonorrhœa benigna & maligna.	286

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, & Approbazione del P. F. Paolo Tomaso Manielli Inquisitore, nel Libro intitolato; *Friderici Hoffmanni Medicina Rationalis Systematica Tomi quatuor, quo specialis Morborum &c. non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni Costumi, concedemo Licenza a Sebastiano Coletti Stampatore, che possa esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.*

Dat. 10. Marzo 1738.

(Gio: Francesco Morosini Cav. Rif.

(Pietro Grimani Cav. Pr. Rif.

Agostino Gadaldini Segr.

CAP. I.

C A P U T I.

D E

NERVORUM RESOLUTIONIBUS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*qui morbi
in hoc
capite
poterat
accidere.* **D**E morbis ex viscerum, partiumque solidarum atonia oriundis scripturi, recte ab iis incipere posse videtur, qui in capite, principe totius machinæ humanæ parte, suam habent sedem, partiumque in eo situm atonia vel debilitate nituntur. Quos quidem inter primum jure meritoque locum occupant nervorum resolutiones, quas medica schola apoplecticorum, hemiplegicorum, & paralyticorum nomine exprimere solet affectuum. Nec erit alienum, hanc morborum, non adeo multum inter se discrepantium, easdemque ferme origines agnoscendit trigam, uno hoc & primo simul complecti capite.

§. II.

*De or.
genitum
& fin.
nervis
membranis.* Omnes hi morbi versantur circa sensus motus nostri corporis, & eorum organa, quorum primaria nervos esse, & inde constructas nervosas ac membranaceas partes, nemo est medicorum, qui dubitaverit. Nervus componitur ex canalibus tenerimis, fluidum tenuissimum vehentibus, & a membrana, meningum cerebri propagine inclusis. Ambiens hæc membra omnis generis vasculis, etiam lymphaticis instructa est; unde & inflammati & tumere potest. annotantibus celeberrimo BOERHAVE prax. med. P. V. pag. II. & BARTHOLOMÆO de MOOR Pathol. cerebri Cap. X. pag. 302.

Tom. IV. Part IV.

§. III.

Quæ cauſa per nervos sensum motumque corpori præstet, multis quidem eos usque agitaturo controversis; *nervi* *tensio* *& ^{debita}* nos vero non aliam, scopo præsertim *medico* magis accommodatam agnoscimus, quam fluidum subtilissimum, lymphaticum puriori aereo-æthereæ elastica substantia imbutum, quod ab arterioso sanguine intra cerebri, cerebelli, medullæque spinalis canaliculos secretum, & in tubulos fibrilarum nervearum, ex his in nervos, & denique omnes totius corporis nervosas partes truditur. Fluidum hoc sufficienti quantitate, & proportionato impetu in nervos & nervosas membranas producit horum tensionem: qua recte constituta, sensus motusque per totum corpus optime vigent, ipsique nervi naturali tono & elatere prædicti dicuntur. Robusti autem vocantur nervi, si particulae minime illos constituentes ita cohærent, ut vi fluidorum naturali, quin & hac paullo majori superandæ existant partes: a qua si ob cohaesionem laxiorem superantur, debilitatis accusamus nervosum genus.

§. IV.

Nervus naturaliter tensus fluido nunquam non plenus est: hinc in ultima sui extremitate vel leviter attatus, impressum sibi motum juxta *sensus*, *do* *fiant*, *et* *mo* *hydraulicas* *leges* ad cerebrum & communem sensorium usque incredibili celeritate propagat; haud secus, ac si

A tubu-

tubulum aqua repletum , & in utraque extremitatum vesica manitum videtas, qui motum uni extremitati impressum , protinus cum digito alteri extremitati incumbente communicat . Hanc sensuum nomine significamus actionem . Motus voluntarii instrumenta sunt musculi , ex fibris nerveis seu tendinosis , & carneis, quæ fibrillis nerveis undique sunt intertextæ , compositi ; qui hunc in modum suas perficiunt actiones : Fibrae nervosæ & tendinosæ una cum carneis eo usque tendi & lympha adimpleri debent, ut transfeunte per musculum sanguinem paullo remorentur ; qui sublîstens inflat ventrem musculi , & hoc intumescente abbreviatur musculas, ejusque finis una cum adnexa ei parte movenda versus principium trahitur : unde sub actione musculus tactu durior , ac velut renitens deprehenditur . Hinc in scopum nostrum colligimus, ad præstandos motus majorem vim , & copiosiorem fluidi nervi influxum requiri , quam quidem ad sensus .

§. V.

*Definitio reso-
lutionis
nervorum
etjusque
differe-
tia.*

His præmissis , clarissime patet , quod imminuto fluidi tenuissimi in nervos influxu , horum actio tam ad motus , quam ad sensus præstandos vel prorsus aboleri , vel saltem ex parte impediri debeat : & ex hoc fonte nascuntur morbi , quos titulo resolutionis nervorum complectimur . Per hanc enim intelligimus movendi , vel simul sentiendi potentiam , ab imminuto fluidi nervi in nervos influxu dependenter . Hujus varii sunt gradus , e quibus primum binos , tanquam generiliores notabimus : vel enim motus voluntarii , & actiones animales , omnes sensus , ipsiusque rationis usus pereunt , homoque velut fulmine percussus concidit : vel sensum ac rationis usu existente integro , motus saltem voluntarii ac animales actiones , vel ad summum sensu tactus languescunt , vel prorsus abolentur . Priori in casu morbi resultant apoplectici ; posteriori vero paralytici .

§. VI.

Apoplexia tres iterum sunt gradus : Apoplexie gradus .
quorum summus & nunquam non lethalis est , si cum sensibus , motibus que animalibus , vitales simul , omnesque totius corporis actiones uno impetu prosterunt ; de qua MED. SYST. Tom. IV. P. II. S. I. C. VII. sub titulo hæmorrhagia cerebri regimus . Alter gradus tollit sensum , motumque voluntariorum ac rationis usum ; non autem vitales prosterunt actiones , nec in mortem semper terminatur , sed plerumque in hemiplegicos transt affectus . Tertius denique , ac levissimus , qui etiam apoplexiæ spasmodicæ nomen meretur , iisdem ac secundus se prodit notis : differt tamen ab eo , quod breviori tempore penitus debelleatur , & rarius in paralyticos beat affectus . Et de hoc leviori apoplexiæ gradu hoc potissimum nobis agendum erit loco .

§. VII.

Ea his se prodit notis : antecedunt Historia per satis longum tempus sensum , vi apoplexiæ latioris .
sus potissimum ac auditus imbecillitas , vertigo , artuum gravitas , tremor , actionum animalium torpor , & plerumque passiones hypochondriacæ vel hystericae . Hæc inter improviso contingit , ut homo omnibus sensibus , rationis usu , ac motibus animalibus privatus prosteratur ; exhibeat pedes , artusque inferiores frigidos , cutim aridam , spasmoque constrictam , faciem vero & oculos rubentes , sanguine turpidos , & arterias fortiter celeriterque pulsantes . In tali paroxysmo per aliquot horas constituti , vel vomitibus quibusdam sponte subortis viscidæ multum reddunt saburræ , vel sudores per totum corpus erumpentes experiuntur , tumque ad se redeunt , atque rationis haud secus , ac sensuum motumque recuperant integratem . Multi narrant , sub tali paroxysmo constrictas ipsis fuisse fauces , deglutienti vim abolitam , pectusque vinculis quasi coarctatum . Reperit ejusmodi insultus , nisi medela feratur , saepius ,

fæpius, tandemque in mortiferam cerebri transit hemorrhagiam.

§. VIII.

Morbo- Contra vero hemiplegici morbi autem pa- diunt, si salvo rationis, motuumque *paralysi-* vitalium usu, movendi saltem juxta *corum* voluntatem potentia, aut cum ea sensus *differen-* tactus labefactatur. Talem hemi- *tio.* plexiam sive paralysin dari universalem, qua totum corpus afficeret, ne- gamus, nisi forsan sub ipsa apoplexia: nec credimus dari paraplexiam, qua totum corpus, salvo manente capite, resolveretur; nostra saltem praxi nunquam se talis obtulit morbus. Omnis potius paralysis vel alterutrum corporis latus, idque totum afficit, & movendi, atque simul sentiendi potentia privat; vel certæ tantum parti inherescit. Prior hemiplexia dicitur; si quando dimidium capitis ac faciei latus simul sit resolutum, alias non nisi paralysis alterutrius lateris audit: posterior vocatur paralysis particularis, & est vel vera vel spuria. Illa sedem suam plerumque in spinali medulla, ejusque mox superiori, mox media, mox inferiori parte habet, & movendi pariter ac sentiendi auctor potentiam: hæc movendi saltem quadam impotentia se prodit, & humorem per metastasis ad ipsos nervos devolutom, hōque comprehendentem pro causa agnoscit.

§. IX.

Hemiplegia vel prægressum insulatum apoplepticum sequitur; vel absque eo cum refrigeratione lateris passuri & præcedente vertigine incipit, & sensim in motus sensusque desinit abolitionem. Sanum latus sæpen numero spasmodicis ac convulsivis agitatur motitationibus; orisque canina non raro conspicitur tortura; & progreudente malo mentis quoque functiones, & cum primis memoria labescere incipiunt. In paralysi particulari, anno- tante COELIO AURELIANO Lib. II. Cap. I. antecedit partis passuræ gravedo, tardus motus cum stupore, pallore, & torpedo: pars affecta

laxa est, mollis, flaccida, attactu fri- gida, & vel atrophica, vel tumore cedemato imbuta cernitur. Caveas vero, ne motus voluntarii impoten- tiam, quæ paralyſin comitatur, con- fundas cum ea, quæ rheumaticis ar- thriticisque nonnunquam jungitur af- fectibus: hanc enim partis affectæ dolore, spasmo & sæpius convulsione sti- patam deprehendimus; quæ molestiæ ab affectibus paralyticis valde sunt alienæ.

§. X.

Paralysis particularis varias afficit *Specie-* partes. Nonnunquam artus inferiores *paraly-* *for para-* una cum imi ventris partibus, inte- *ticularis.* gris illis, quæ supra diaphragma sunt, mox movendi solum potentia, mox sentiendi simul facultate privantur: tumque urinæ & alvus contra voluntatem redduntur, ac tandem tumor cede- matosus, lenta febris & mors succe- dent. Interdum brachia & manus pa- ralysin patiuntur, quæ si spuria fuerit, & post colicam evenerit, dicitur pare- sis ex colica; ex aliis vero caussis orta paralysios manuum nomen obtinet. Datur paralysis palpebrarum, ubi hæc nequeunt attolli, & invitus lacrymarum fluor urget. Linguæ resolutio di- citur aphonia, quam suo loco per tra- statutum sumus. Si pharynx paralysi af- ficitur, omnis aboletur deglutitio; cuius differentiam a spastico pharyn- gis videas in MED. SYSTEM. Tom. IV. P. III. S. II. C. V. §. VI. Oesophagus, ventriculus ac intestina in mori- bundis resolvuntur, tumque assunta, maxime potus cum strepitu, murmu- ribusque descendunt. Paralysis sphin- cteris ani per intestini recti prociden- tiam ac fecum involuntariam excre- tionem se prodit; vesicæ urinariæ ex invito urinæ fluxu judicatur; vesicu- larum seminalium ex perpetua seminis effusione cognoscitur; muscularum membra virilis a denegata concubendi & membrum erigendi potentia si- gnificatur. Cordis dari paralysin, quam mors repentina absque ullis evi- dentibus caussis eveniens innuit, e

veteribus jam Herophilum credidisse refert COELIUS AURELIANUS. L.II. C.I. p. 348. & e recentioribus affirmit BOERHAVE *Prax. med. P.V.* pag. 13.

§. XI.

Caussa proxima resolutio- nis nervorum. Proximam caussam & formalem re- censitarum affectionum rationem in plus minus intercepto fluidi nervi in nervos influxu consistere; ex §. IV. & V. quisvis poterit intelligere. Inde quoque statim adparebit ratio, cur alia vera, alia spuria sit paralysis. Hæc enim facilius fit, quam illa; quoniam sensus abolitio totalem fere fluidi nervi defectum supponit, motus autem impotentia imminutum saltem ejus influxum sequitur. Quæ vero caussæ remorari valeant hunc influxum; curatius indagari oportet. Plures medicorum obstructionem nervorum accusarunt; sed eam locum habere non posse, vel ipsa tam tubulorum nervorum, quam contenti in ipsis liquidi subtilitas docet; id quod fusius demonstravit BARTHOLOMAEUS de MOOR *Path. Cer. C. X. p. 283.* Vera potius caussa est vel solutio continui nervorum, ut in vulneribus, aliisque violentis contingit læsionibus; vel compressio aut nervorum ipsorum, aut principii eorundem, a quacunque re ipsis præter naturam incumbente facta. Quum vero unicam hanc omnis nervorum resolutionis statuamus caussam; ea tamen diversos producere animadvertisse effectus: videndum, in quo diversitatis consistat fundamen- tum.

§. XII.

Sedes apoplexis & hemiplenia. Hoc nimurum unice in loci, qui fo- vet mali caussam, diversitate, qua- plenæ, rendum esse; & ratio suadet, & se- sum se- tiones anatomicæ his morbis perem- torum testantur. Omnes enim, qui morbis obseruationes ejusmodi consignarunt medici, ut WILLISIUS, BONE- TUS, WEPFERUS, probe annotarunt, quod in apoplexia defunctis, vitium nunquam non in cerebro, ejusque ventriculis, nec non in cerebellō

obhaeserit. Conf. bini notabiles casus de apoplexia lethali, altera ex hydrope cerebri, altera ex sanguine in illo extravasato, quos BRUNERUS in A.N.C. an. I. dec. III. obs. 153. & 154. recensuit. Contra vero in hemiplecti- cis alterutrum medullæ spinalis principium, vel extravasato fero inunda- tum, vel tumoribus compressum fuisse, iidem perhibent auctores. De seri ibi facta extravasatione, BONETUS se- pulch. L. I. Seb. XV. observationes re- censet; tumorem tunicaceum ibi vi- derunt WEPFERUS in auctario hist. XIV. & BRUNERUS i. cit. obs. 154. Silentio prætermittimus abcessus, vul- nera, ulceræ &c. quæ medullam spi- nalem afficiendo hemiplexiam, cere- brum penetrando, apoplexiæ produ- cere observantur. Ad hæc si ex anato- mia repetamus, nervos vitalibus fun- ctionibus destinatos ex cerebello; sen- sis tributos ex basi cerebri, & moti- bus voluntariis sensuque tactus dica- tos, maximam partem ex medulla spi- nali propullulare: facile colligere po- terimus, in omni apoplexia caussam nervos comprimentem, intra cere- brum; in paralysi vero intra medul- lam spinalem; & speciatim in hemi- plexia circa alterutrum medullæ prin- cipium consistere.

§. XIII.

Inter caussas vero, quæ compressio- nem nervorum in cerebro efficiunt, & tenuissimi ac mobilissimi liquidi in eos influxum intercipiunt, principem fere stagnatio & subsistentia sanguinis in valvis membranarum cerebri locum tue- tur; quæ ex valde impedito ejus per ve- nas & sinus venosos libero circuitu & reditu versus cor pronascitur: Nam cum sanguis majori nisu & impetu ad caput fertur, quam ut æquali propor- tione in venas recipi possit, ob vas a ni- um distenta & expansa subsistit, quod potissimum evenit in plethoricis, hypo- chondriacis, nephriticis & hysterics ob violentos inferiorum partium spasmos. Nascitur hac ratione interdum levior apoplexiæ species, quam spasmodicam nosse.

Cap. I. De nervorum resolutionibus.

nominare consuecumus, eo quod remittentibus spasmis & derivata sanguinis & humorum mole versus inferiora liberiori sanguinis circuitu per vasa restituto vis mali mox remittere solet; quod potissimum fit mature secca vena, & alvo per clysterem aperta. Sub hoc paroxysmo plerumque facies rubet, pulsus adeo celer & plenus, motuus & sensuum est abolitio, & sudore interdum corpus totum diffusit.

§. XIV.

Quod si vero haec stagnatio diutius obhaeserit, & in subjectis sero abundantibus contigerit: secedunt sensim succi tenuiores serosi per porulos vasorum præter naturam expansorum, incumbunt nervis, eosque comprimunt. Hoc si fiat in basi cerebri, nascitur apoplexia, ejusque alter gradus juxta §. VI. quæ delabente ad alterutrum medullæ spinalis crus sero post se relinquere solet hemiplexiam. Haec ex eadem caussa, sine prævia gignitur apoplexia, si serum a stagnante cruento secedens protinus ad medullam decumbat spinalem. Et talis hemiplexia vocatur serosa, quæ corripit subjecta potissimum pituitosa, sanguineo phlegmatica; pulsus in ea est debilis, languidus, facies pallida, quedam somnolentia, & sensuum torpor. De ea verissimum est, quod annotantibus COELIO AURELIANO L.II. C.I. aliisque medicorum, præ aliis senibus, maximeque autumnali ac hyemali tempore sit familiaris.

§. XV.

Caussas inter remotiores, quæ pro remoto, subiectorum varietate mox sanguinem, mox serosam producere valent hemiplexiam, primum locum tueretur sanguinis nimia moles in subjectis activioribus, laxoque & spongioso corporis habitu præditis. Quæ quidem iis inducendis malis eo est opportunitior, quo magis humores commoventur: hi enim ebullientes, expandunt nimium tenerrima cerebri vascula, ac nonnunquam plane extravasantur. Hinc explicatu facillimum est, cur ple-

Tom. IV. Pars IV.

thorici ex improviso dictis affectibus corripiuntur a nimio veneris usu, a largiori vini calidioris potu, a balneis nimis calidis, a fortiori sub cœlo servidiori corporis motu, ab insolatu (vid. PROSP. MARTIANUS Com-ment.p. 102.) a gravioribus animi affectibus, & a crapulis, maxime si accesserit refrigeratio: mihi quoque in promptu sunt exempla eorum, qui vi-
no, vel cerevisia bene farti, & subinde refrigerati, apoplexia subito pe-
rierunt.

§. XVI.

Deinceps nimia sanguinis moles ad ^{spas-} _{mi part-} nervorum contribuit resolutionem, si stum ⁱⁿ _{spasmos abdominis & partium in-} fernarum, quacunque de caussa produc-^{& ex-} _{cretionis} tos, ad superiora, maximeque ca- ^{sangu-} put compellitur, & in eo stagnat. _{nearum} Hinc derivanda ratio apoplexiæ spasi-^{suppres-} _{fio.} modicæ & hemiplexiæ sanguineæ, quæ accedit subiectis hypochondriacis, ac hysteris: qualem notatu per quam dignum casum in CONSULT. MED. Tom. I. Sect. I. casu XIX. reperies. Hinc etiam in praxi medica spenu-
mero licet observare, mensium & hæ-
morrhoidum excretionem non rite
succedentem ad nervorum resolutiones
quamplurimum conferre; id quod patet ex observatione loc. cit. casu XXV.
allegata. Eo certius vero paralytici morbi ab excretionum sanguinarum, actu fluentium, subitanea cohibitio-
ne excitari possunt: adeo, ut eos accedentibus sub fluxu menstruorum, hæmorrhoidum & lochiorum, gravi-
terre, vehementer refrigeratione,
& incongruo remediorum adstringen-
tium, repellentium ac opiatorum usu,
sæpius accersi videas.

§. XVII.

Sic purpureus corporis nostri latex ³⁾ En-
sui stagnatione paralyses & apople-
xias, plerumque tamen sanguineas ^{eretionis} serosas
& transitorias; successu vero tempo-
ris etiam serosas, easque diurniores
producit. Verum has immediate gi-
gnit serosa colluvies, majori, quam
par est copia, ad caput congesta,

A 3 ner-

nervorumque principiis incumbens. Hinc si serosa excretiones, sudores critici, transpiratio insensibilis, salivæ nimius effluxus, sive qui sponte fit, sive a mercurialibus medicinis provocatur, serosa manationes ex auribus, oculis, naribus, ulcusculis inveteratis, fonticulis, foetor pedum &c. subito coercentur, exsiccantur & reprimitur: gravissimas oriri paralyses, experientia compertum habemus. Hanc ob causam infantili etiam ætati, cui alias parcunt, insidiari solent affectiones paralyticæ: qualem observationem de infante bimulo, ex prohibita transpiratione paralytico legas in sit. CONSULT. Tom. I. Sect. I. casu XXVI. Ex eodem fundamento diuturnior in locis frigidis humidisque commoratio & obambulatio ad nervorum resolutionem contribuit; quales notatu dignos casus recenseret FORESTUS Lib. 10. obj. 83. & 84. seqq. Huc pertinet ea, quam A. N. C. dec. III. anno VII. & VIII. obj. 203. de septuagenario post evanescensem subito surditatem apoplexia lateris dextri correpto allegant, observatio: quæ non nisi sero, primum surditatis causa, dein per metastasis ad medullam dextri lateris devoluta debetur.

§. XVIII.

^{4) Exan-} ^{thema-} Hæc mala eo graviora machinatur serum ad caput congestum, si fuerit ^{tumre-} acre, purpuraceum, scorbuticum, ^{roces-} & ab artibus externis, corticeque ^{fiones.} cutaneo male feriatis artibus, unguentisque repellentibus ac sulphuratis intus revocatum. Exstant hinc quam plurimæ observations, quod achoræ, crusta lactea, tinea capitis, scabies, purpura &c. repulsæ presso post se pede traxerint paralysin. Eodem modo res se habet cum morbis arthritico-podagrico-rheumaticis, quos sero acri ad membranaceas artuum & juncturarum partes incumbente fovea notum est: hoc enim si opiatis & adstringentibus medicinis, sopito hinc dolore, intus agatur, vel ex naturali imbecillitate retrocedat: auctor sit

pertinacissimæ nervorum resolutionis. Sic observationem de hemiplexia ex rheumatico arthritico afectu suborta legas in CONSULT. MED. T. I. casu XXI. Huc in primis pertinet paralysis sic dicta scorbutica, quæ nunquam non spuria est, & a sero acri scorbutico huc vel illuc circa nervos stagnante, eosque comprimente suos mutuantur natales.

§. XIX.

Mercuriales porro medicinæ ejus ^{3) Mir-} sunt indolis, ut in corporibus impuris ^{curialis} & debilitatis ad movendam salivationem ^{in spe} minus recte usurpatæ, nervorum ^{adhibi-} inducant resolutiones. Mercurius ^{ta.} enim in corpore cum particulis salini ac excrementiis mixtus, vim obtinet fortiter stimulantem, qua præservit in glandularum substantiam nerve-fibrosam agit, adque hanc majorem humorum salivalium & lymphaticorum affluxum concitat. Horum effluxus per sputationem si quacunque de caussa sistatur; facile fit, ut perennante nihilo secus affluxu, illi succi copiosius ad spinalis medullæ principia, iplosque nervos ruant, ibidemque stagnando ac comprimendo influum nervei fluidi in nervos remontentur.

§. XX.

Non minus spasmus membranarum ^{6) Mor-} cerebrum & medullam spinalem ambi con- ^{visfisi} cipientium ansam non raro præbet he- ^{at epile-} mplexicis & apoplecticis affectibus ^{septicis.} Non alia subest ratio, quam quod nervosæ membranæ per tam violentos motus agitatae labefactentur, relaxentur, nec impedire queant, quo minus irruentes succi, utut tenues lymphatici, in vasculis membranarum stagnant, & medullarem compriment substantiam. Hinc docet experientia, post epilepsiam non raro sequi hemiplexiam; & illam, si lethalem sortitur eventum, nunquam non in apoplexiā terminari. Et quænam est caussa, quod ex gravi iracundia paralyticī nonnunquam nascantur affectus, nisi quod per illam fortior ner-

vis, vasisque inferatur stricatura, eam humorum producens stagnationem, quæ influxu fluidi nervi intercipiendo existit opportuna?

§. XXI.

Flatus *ciditas* *cerebri* *debet* *genitatis* *nervosus* Omnes haec caussæ eo certius, eoque facilius vim suam pernicialem exse- & debet rent, si præsto jam fuerit cerebri flac- cilitas, generisque nervosæ debilitas. Si enim laxiores sunt nervosæ partes, minus resistere valent irruptioni humorum, & sic horum stagnationi pariter ac extravasationi mirum quantum favent. Et colligitur quidem hæc debilitas nervorum ex caussis antecedentibus: quorūsum pertinent ætas se- nilis, temperamentum sanguineum, & inde pendens habitus corporis laxus, mollis & spongiosus; vita sedentaria & otiosa, potus parcior, vel cerevi- sis crassioris ac lupulatae, atque vino- rum largior usus, diæta lauta, mul- tarumque epularum, somnus nimius pariter ac immodecæ vigiliae, multæ meditationes, & lucubrations, ve- neris sæpe repetitum exercitium, diu- turnus mœror, tristitia, habitatio in locis udis frigidisque, & hyemalis tempestas. Sic enim debilitatis corporibus vel levissima caussa, quam vix attenderes, ad paralyses & apoplexias disponere valet; quemadmodum ex observatione in CONSULT. MED. Tom. I. Casu XVIII. recensita patet, ubi quis ex potu aquarum Selterana- rum, licet eas rite & corpore bene præparato adhibuerit, nihil fecius in apoplecticum insultum, & hinc reli- etiam spuriam incidit paralysin.

§. XXII.

Biblio- *logia* His de hemiplexia potissimum præ- *paraly-* missis; restant quedam de paralyses *speciebus* dicenda. Ex iis *particularis* maxima meretur attentionem, quæ inferiores corporis partes, vel crura pedesque solum, vel abdomen quoque & omnes, quæ infra diaphragma sitæ sunt partes simul afficit, salvis, quæ supra sunt, regionibus. Posteriori casu caussa hæret in medulla spinali circa priores lumborum vertebrae:

quod binis sectionibus hoc malo de- mortuorum, A. N. C. Vol. II. obs. 51. & 120. insertis egregie monstratur. Priori medulla spinalis circa primam lumborum vertebram conquassata, & ultra medium crassitiae soluta; in altero a dicta vertebra per totam infe- riorem spinam tota flaccida, ac penitus exsucta fuit, adeo ut inter eam, & osseam thecam notabile intercesse- rit spatium. Oritur hoc vitium (1) a caussis externis violentis, fractura, luxatione, vel vulnere spinæ, me- dullam simul afficiente; quales bini casus extant in A. N. C. Cent. X. obs. VIII. & dec. I. anno III. obs. 66. (2) a caussis internis, maximeque rheumaticis ac convulsivis dorsi affectibus; ut testatur casus supra ex A. N. C. vol. II. obs. 102. allegatus, lectu dignissimus.

§. XXIII.

Interdum caussa hæret intra os sa- crum, tumque morbus ambulandi im- potentia, & crurum pedumque re- solutione se prodit. Hoc malum non- nunquam est nativum, & praternatu- rali medullæ intra os sacrum contentæ nititur constitutione: quales casus ex tumore intra thecam ossis sacri conna- to, & tandem exulcerato lethales re- censem HIST. MORB. WRATISL. anno 1701. pag. 68. seqq. Idem contin- git post febres acutas, male solutas, nec non intermittentes, si quis malo- victu utatur, animique indulget pa- thematibus: ubi caussa est serum vi- tiosum per metastasin ad medullam ossis sacri devolutum, eam compri- mens. Eadem malo obnoxiae sunt fe- minæ post laboriosum partum, abor- tum, & retenta Lochia, nec alia sub- est caussa, nisi sanguis per spasmos ad os sacrum copiosius delatus, ibidem que stagnans, & nisi medela feratur, tandem serosam portionem per vaso- rum porulos dimittens.

§. XXIV.

Notabilis porro est brachiorum pa- *Biblio-* *logia* *paraly-* opatiis intempestive coabitam sequa- *bras* *brachiorum* tur, dicitur paresis ex colica. Caussa est.

est serum vitiosum acre per metastasis ad nervosas brachii & potissimum carpi partes delatum ; & legere licet binos notabiles casus , unum de tali paresi post colicam opiatis sopitam sequente in A. N. C. dec. III. anno VII. append. ad obs. 308. alterum de paresi ex colica per vini lithargyrio dulcificati potum producta ibid. anno IV. obs. 30. Familiare cum primis malum est metallurgis , saturninas mineras tractantibus ; e quarum inimicis vaporibus in colicam , pertinacissima alvi obstructione stipatam , & ex hac in paresi incident , qui morbus vocatur die Dutten-Rare . Eadem brachiorum paralysis alias quoque agnoscit caussas ; & interdum a scorbutica humorum diathesi suboritur , sicut casus A. N. C. dec. I. anno III. obs. 334. insertus docet . Nonnunquam caussa hæret intra vertebrae cervicis , & dorsi superiores ; ex quibus nervi tendunt ad brachia . Talem ab istu lapidis in cervicem subortam annotavit FORESTUS Lib. X. obs. 95. Eadem supervenit quandoque pectoris hydropi ; annotante CAROLO PISONE tr. de morb. ex serofa coll. Sect. III. C. VII. p. 243. ubi caussa lymphæ intra vascula membranam nervorum perreptantia ob impeditum ad thoracicum ductum iter stagnanti , nervosque comprimenti debetur .

§. XXV.

Prognosticus affectuum paralyticorum attinet ; scire licet apoplexiā spasmadicam , & hemiplexiam sanguineam curatu quidem faciliores esse ; at , nisi præcaveantur , sæpius reverti , & tandem in ipsam cerebri terminari solere hæmorrhagiam . Reliquæ paralyseos species & serosa hemiplexia non subitam quidem inferunt mortem ; verum difficillimam & eo intricatiorem reddunt sanationem , quo major sensuum internorum vel externorum concurrit lœsio , atque non raro miseros per totam vitam diseruant ægrotantes . Si infantes paralysi corripiuntur , eos circa pubertatis annos ab illa nonnunquam

vindicari animadvertisimus ; quod vir unquam contingit insenibus . Hemiplexia lateris sinistri periculosior est ea , quæ dextrum latus occupat ob arteriam aortam , ejusque ramos in eo latere copiosius dispersos . Si pars affecta adhuc dolet , sentit , non nimium frigida , nec extenuata est ; spes restat reconvalescentia , eaque certior , si formicationis ac puncturarum in ea percipitur sensatio . Paralysis abdominis & artuum inferiorum plerumque lethalis est ; & non raro gangrænam resolutarum partium habet comitem . Ceterum omnes paralyticæ affectiones vere ac æstate facilius quam hyeme & autumno curantur .

§. XXVI.

Febris si sequitur paralysin , eam ^{ad febris} sanare dicitur : sed intelligendum hoc ^{qualis} est magis de artificiali , quam natura ^{febris} solvit febre , atque de serofa potius , quam ^{solvit} paralyticæ ^{paraly} sanguinea paralysi . Enim vero natu- ^{ris} ralis si fuerit febris , eam vel continuam oportet esse , quæ periculo nonnunquam caret , vel intermittentem , quæ malum haud tollit . Per artificialē autem intelligimus motum cordis & arteriarum auctiorem , arte concitatum , quo vegetius circumactis humoribus stagnantes circa nervos , vel eorum principium succi nonnunquam discutuntur , & velut resorbentur . Talis febris provocatur per medicamina paullo acriora & calidiora , nervina , volatilia , per fortiorē corporis , maxime sub solis æstu motum , perque balnea , & cumpri-^{mis} Lauchstadense & thermarum Carolinarum . Verum hæc in sanguinea , quæ jam febrili motu stipata est , paralysi adplicare neutiquam licet , sed in serosa duntaxat , ubi languet humorum circulatio , locum inveniunt .

THESES THERAPEUTICÆ.

Indica-
tiones
erato-
riae

§. I.

PAralyticos & apoplecticos curantur morbos, binæ potissimum occurunt indicationes; quarum prior est, ut caussas, quæ tam proxime, quam remotius ad intercipiendum fluidi nervi in nervos influxum contribuerunt, removeat; & altera, ut partem affectam, totumque nervorum genus ita roboret, quo pristinum ac naturalem recuperet tonum. Multum vero scire interest, num morbus recens, anne confirmatus sit; propterea quod juxta hanc differentiam diversa instituantur curatio.

§. II.

Si mox post primam mali invasionem accersit medicus, pulsumque celerem cum facie rubicunda deprehendit: non praesentius, nec efficacius ad caussam mali, quæ est humorum in capite stagnatio, removendam occurrit subsidium, quam venæsectio. Hæc protinus vel in brachio vel in collo instituenda, facta paullo ampliori incisione, ut largo cruor exeat flumen; vel, si plethorica nimium fuerint subjecta, in pede præmittenda, ne dato in superiori parte exitu humores ex inferioribus eo ruant copiosius; tumque adhuc vel in brachio vel venis jugularibus repetenda. Et opus interdum est, ut bis, vel amplius hæc sanguinis missio, larga satis quantitate iteretur.

§. III.

Clysteres. Deinceps, humores stagnantes re-
& pedi. vellendo, operæ pretium faciunt cly-
steres paullo acriores & stimulantes, qui ex herbis nervinis ruta, majorana, saturejæ, thymi, serpilli, floribus liliorum convallium, oleo chamæmeli, & adjecto stimuli causta sale gemmæ vel ammoniaco, vel etiam urina humana confici, & iteratis non nunquam vicibus infundi debent. Non minus egregiam laudem merentur per diluvia ex aqua tepidiori, herbisque nervinis, nec non floribus chamomil-

læ, summitatibus millefolii, cineribusque clavellatis parata; quibus perdes profundius immittendi.

§. IV.

Sæpius, tusa vena, adhuc supersunt spasmi partium internarum, & humorum veluti febrilis ebullitio: quibus temperandis convenient diaphoretica fixa cum præcipitantibus & nitrosis combinata, velut sunt pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, matre perlarum, cinnabari, nitro & succino confecti, & ex aqua liliorum convallium, vel florum tiliæ exhibendi, addi etiam potest syrups acetositatis citri. His enim juvatur transpiratio, qua non raro insultus apoplecticos, & paralyticos solvi comprehendimus. Nec præterea in demulcendis partium internarum spasmis, ullum remedii genus superat virtutem liquoris nostri anodynæ mineralis, cum liquore bezoardico vel Spiritu volatili tartari convenienti dosi remixti, qui cum dictis pulveribus alternari, bisque quotidie propinari debet. Eodem fine abstinere decet ab omnibus cerevisiæ potu; nec nisi decoctis, aut aqua pura vel fontana, vel Selterana, cum modico vini nupta uti convenit.

§. V.

His, tempestive adhibitis, dicta vi-
tia, si sint recentia & sola adhuc san-
guinis stagnatione nitantur brevi po-
us in-
terunt depelli. Ubi vero seri jam se-
bus be-
cessio facta videtur, ad illud discutien-
mi & a-
cum ac derivandum omnis dirigi de-
pople-
bet intentio. Atque hoc in calu, si
ægræ soporosi veluti sunt, atque ster-
tunt, summo cum fructu adhibere so-
litus sum emeticum in forma dilutiori,
analepticis junctum; quo excitantur
motus, & ad sensum rationisque usum
redeunt ægotantes. Ex usu mihi est
sequens formula: Recipe aquæ lilio-
rum convallium vinosa, florum tiliæ,
primula veris, cinamomi, aceti de-
stillati ana uncias binas, Spiritus cor-
nucervi succinati drachmam unam, an-
timonii diaphoretici, cinnabaris, lapi-
dum cancrorum ana drachmam semis,

tartari emetici grana duo, syrapi corticum aurantiorum drachmas duas. M. F. mixtura, cuius bina circiter cochlearia, quavis altera hora exhibenda.

§. VI.

Voluta. Deinceps ad discutiendum, quod *stagnat serum*, illustrem ferunt opem *sternutatoria*; volatilia urinosa, naribus adplicita; *commissa*; e quibus primarium locum occupat *dantur*. Spiritus salis ammoniaci cum calceivia paratus, & oleo majoranae vel rutea permixtus. Non minus suam merentur laudem sternutatoria, cum primitis si nervina simul fuerint; quippe quae non modo motum nervis inferunt, verum etiam materiam serofam per nares educunt. Formula talis esse poterit: Recipe herbae majoranae, florum liliorum convallium ana drachmas duas, herbae mari Syriae, florum benzoës, caryophyllorum aromaticorum ana drachmam dimidiam castorei pulverisati grana decem. M. D. S. Schnupff-Zobad.

§. VII.

*Causa-
vesica-
toria
in-
ter-
mit-* In rebelli affectu, ad derivandum serum stagnans efficacissima sunt cauteria, ut vocant, actualia, nucha inter secundam & tertiam, vel hanc & quartam colli vertebram inurenda, quorum virtus sicut a vetustissimis medicorum magni aestimatur, ita recentioribus etiam exemplis confirmata a Clarissimo ERNDTELIO in Warsawia physice illustrata pag. 185. At quem delicatior nostri seculi genius non permittat, tam terribili, quale videtur, uti remedio; solemus substituere setacea, eaque nucha admovere; vel si nec ea arriserint, vesicantia remedia aut nucha aut pedibus imponere. Posterior locus in subjectis sensibilioribus priori praferendus: eo quod a vesicatorio cervici adposito, convulsivos partis non affectae motus supervenisse, compertum fuit.

§. VIII.

*Eva-
cua-
tia junct-
adhibe-
da.* Si magis inveteratum fuerit malum, praeter dicta, convenientia evacuatio in usum sunt vocanda; ut iis hu-

mores a capite sensim revellantur & evacuentur. Et primo quidem purgantia oportet simul esse balsamica; qua laude pilulae gaudent ex extracti colocynthidis, aloes, hellebori nigri, resinæ Jadani ligni aloes, florum benzoës, salis succini, myrræ, balsami Peruviani ana scrupulo uno, mercurii dulcis drachmis semis, camphoræ, salis volatilis cornu cervi ana granis quatuor paratæ, si viginti quatuor ex scrupulo fermentur, & quatuordecim pro dosi propincentur. Inter diaforetica palmam obtinet Spiritus cornu cervi succinatus, cum liquore andyno minerali adjecta castorei essentia, & decocta lignorum ex ligno Sassafras Santalo rad. chinæ parata. Non satis porro laudanda in morbis capitum serosis est virtus diureticorum, ac speciatim succinatorum medicamentum: e quibus essentia succini, cum antimoniū tinctura acri principem tueretur locum.

§. IX.

Quid diutius morbis paralyticis de- *Roborant-*
tinentur, simulque generis nervosi *titus usus* *in sero-*
debilitate laborant: roborantibus me- *ja & in-*
dicinis, praeter rectum vivendi ge- *vetera-*
neus sibi debent prospicere. Et hoc *ta para-*
nomine spiritus salis ammoniaci urino- *lysi*.
sus cum aqua liliorum convallium ita mixtus, ut una spiritus tres aquæ partes recipiat, magnam meretur commendationem. Parari quoque potest Elixir nervinum ex essentia gentianæ rubra, corticis cascarillæ, tinctura antimonii acri, liquore andyno minerali, & macis ac cinamomi oleo; idque ex infuso melissæ, quod citri foveat cortices, exhiberi. Qui adpetitu languente & stomachi debilitate vexantur; iis viscerale nostrum Elixir, vel Electuarium, quod cortex chinæ ac cascarillæ ingreditur, magnas feret suppeditias. Nec, praesertim senibus, convenientius quicquam erit balsamo vi- *ta nostro*, ad aliquot guttas ma- ne, cum infuso melissæ sumatur.

§. X.

§. X.

*De ex-
ternis
sensu-
motu-
que ex-
tertiis-
bus.*

Inter externa sensum & motum extitiantia, varia sunt quæ commendantur. Ab antiquissimis temporibus inclaruerunt fortiores partis adfictæ cum pannis asperioribus frictiones; vel si sensus defecerit, summam catim vel urticis cædere vel præmissa frictione cum squilla per medium dissecta siccas cucurbitulas applicare soliti fuerunt. Egregiæ etiam sunt resolutarum partium inunctiones cum Spiritu salis ammoniaci, nec non vini camphorato: nec spem fallet vinum vetus Rhenum, cum roremarino, floribus chamomillæ Romanæ, spicæ, & caryophyllis aromaticis leni calore digestum, cumque linteis quadruplicatis spinæ dorsi, ossi sacro, artuumque juncturis inunctum. Isdem locis, præviis vel balneis vel frictionibus magno cum fructu etiam linimenta nervina admoventur; quæ ex axungia humana, galbano, terebinthina balsamo de Copaiva & Peruviano, oleo lavendulae, juniperi, majorana, rutæ, anthos, succini, rosmarini & nucistæ expresso concinnantur. Sola enim destillata haud usurpare decet olea; quoniam nervos nimium exsiccando, ac velut indurando plus noxæ parint. Caput cingi solet cucuphis discutientibus ac roborantibus: temporibus balsama apoplectica, quæ nemis sint suaveolentia caveas, admovei: raso capiti pulvis succini inspergi: & occiput spirituosis, quæ ex spiritu volatili cornu cervi, lumbrorum, aqua Anhaltina, essentia balsami Peruviani, castorei, oleo nucistæ & caryophyllorum parantur, cum fructu lavari.

§. XI.

*De af-
flictis.
rum.*

Denique in affectibus paralyticis plerumque ad balnea, tanquam sacram soleant confugere anchoram. Ex iis prodeunt primum therma, decenti modo usurpatæ, quæ quidem inter Toeplenses, Emseres, W'sbadenses, Aquisgranenses, ac in Misnia Wölkensteinenses malo magis inveterato;

Lauchstadienses vero ob martiale adstringens principium vel recentiori, vel jam superato, & non nisi motus debilitate semet exserenti convenient. Earum vim autem superant pœne balnea arte parata; e quorum numero primum locum tuentes, quæ ex scoriis metallorum conficiuntur, & vulgo Schladen-Bader vocantur. Conf. habita hic de iis dissertatio. Succedunt balnea ex nervinis herbis & formicis concinnata. Commodæ huic scope sunt herbæ serpilli, sideritis, abrotani, origani, menthæ, hyssopi, rosmarini, majoranæ, flores chamæmeli, & id genus alia, quæ sacculo inclusa, inque tenui lixivio cocta, aquæ tepidæ immergantur & partes affectæ foveantur. Inter linimenta præstantissimæ est efficaciam, quod fit ex Sapone veneto, & spiritu vini camphorato addita essentia Galbani, & bdellii.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

§. I.

*M*Agna est utilitas, quæ ex vene *Cantela* *elica eti-* *gultie* *mifion-* *nem.*

fectione in affectibus paralyticis, ex sanguinis mole subortis redundat: præsertim in principio. Veteres *Archigenes* apud *AETIUM*, *CELSUS*, *COELIUS AURELIANUS*, *ARETÆUS* statim mittendum esse sanguinem experientia fida confirmant: nocet vero in paralysi inveterata serosa, ubi vires, ciborumque languent adeptentia. Qua de causa *BALLONIUS* *Lib. VI. pag. 255.* monet, ne in paralysi, ubi humor frigidus in motu est, vena secatur, ejusque damnum exemplo confirmat. *TRALLIANUS* in paralysi curanda nunquam mittendum esse sanguinem statuit, nisi manifesta sanguinis abundantia appareat. In pede vena non tundenda est, si illi frigidi, spasmodique constricti fuerint. Viris, qui ex hæmorrhoidum impedito successu, vel suppresso fluore in nervorum resolutionem inciderunt, post præmissam venæ.

næsectionem hirudines cum fructu ano admoventur, quin in A.N.C. vol. III. append. pag. 164. exstat casus, de hemiplexia, adpositis pone aures hirudinibus, admotisque suris pedum vesicatoriis, brevi curata.

§. II.

*Circa
sternas
& ait-
dulat.* Quibus a paralyticis affectibus caput valde imbecillum, & sensus etiam interni præsertim memoria lexi sunt; abstinere debent ab improviso interno tam thermarum, quam acidularum usu. Namque haec aquæ per minima capitum vascula, nimium relaxata difficultime progrediuntur; & amplius majori serosorum humorum stagnationi præbent occasionem. Neque etiam acidulas cum vino mixtas loco potus ordinarii tuum salutares esse deprehendi, quia vapore spirituoso nimis caput repletur. Verum si ætas juvenilis fuerit, & malum a passione hypochondriaca ortum traxerit: præservando recidivas, operæ pretium faciunt thermæ Carolinæ, illæ nempe temperatores quæ a molendino nomen habent; vel etiam acidulæ, sed tepefactæ: sub quarum potu, qui parcior esse debet a frigore, micerore, multisque mentis laboribus cavendum, nimio non indulendum somno, corpus sedulo movendum, medicinisque nervinis & balsamicis utendum est. Generatim scire licet, harum aquarium potationem, malo declinante, & melius vergente, longe opportuniorem esse, quam ubi illud in suo fuerit vigore.

§. III.

*Circa
balnea
artifi-
cialia.* Balnea, quæ arte ex formicis & nervinis herbis parantur, eo efficaciora sunt, quo leviores & tenuiores iis conficiundis assumuntur aquæ. Quare optima censetur pluvialis, vel hac deficiente, quæ post copiosas pluvias ex fluvio desumitur. Sed omnibus artificialibus præstant Tœplenses, quæ levitate pluviales adhuc superant, & insigni virtute discutiente, & diaphoretica affectis partibus tonum, & robur reddunt. Stilicida quoque harum aquarium principio spinalis medullæ

adhibita ad humores stagnantes dissolvendos. Insignem non raro opem at. tulisse experientia docemur.

§. IV.

Ad affectus paralyticos, eosque potissimum inveteratos non sine fructu *balnea* commendantur balnea frigida, item *frigida*; leniter adstringentia, & fatus qui ex radice consolidæ majoris cum aqua decocta conficiuntur. Huc spectant quoque fontes medicati martiales, cuius generis sunt Freyewaldenses in Marchia & nostræ Lauchstadienses, item artificiales quæ ex scoriis metallicis parantur. Sed haec circa eorum usum observatio necessaria est, ut non ea tepide adplicantur, alias nimium commovendo sanguinis & humorum massam, miras anxietates, cephalaligas, & cordis palpitations efficiunt. Haec enim febrim artificialem excitando, suppetias morbo ferunt: quippe constringendo exteriores corporis partes convertunt sanguinis & humorum motum magis ad interiora, inque primis ad cor, & quæ illud ambiant, majora vasa: unde fit celerior ac vehementior cortis ac arteriarum systole, & ideo celerior etiam humorum per vasa minima circuitus. Hinc fieri potest facilissime, ut obstruktiones referentur, viscidæ succi resolvantur, & stagnationes discutiantur. At cavendum probe, ne haec balnea adplicantur corporibus sanguine turgidis, aut dyscrasia humorum, partiumque solidarum imbecillitate laborantibus, veluti sunt senilia.

§. V.

*Circa
lotiones* Capitis lotiones insignem in paralyticis affectibus habent utilitatem, utique in assuetis: quibus si quis haud adfuetus fuerit, incipiendum a levioribus ex lixivio minus acri, incoctis herbis nervinis; dein radix asari, & herba rorifmarini insuantur sacculo, inque lixivio coquantur; quæ vero remedia non nisi prævia purgatione licet adhibere.

§. VI.

In scorbutica paralyssi, quæ plerumque

*Circa
lotiones
capitis.*

*Circa
paraly-
sin scor-
buticas.*

que particularis & spuria existit, externis parum proficiemus remediis. Opus est potius, ut decoctis infusisque diluentibus, tam calide, quam frigide in vicem potus ordinarii haustis, acrimoniam humorum temperemus, tandemque specificis antiscorbuticis, & quibus lumbrici terrestres in pulvere vel succo cum sero lactis sumti eminent, infringamus; tandemque sordes e corpore proscribamus; & has quidem crassiores per alvum commodis in hunc finem laxantibus mannatris ac rhabarbarinis; subtiliores autem & in sanguine fluctuantes per cutis spiracula ope pulverum diaphoreticorum. Nisi enim tota repurgetur humorum massa, perfectæ nullus est curationi locus.

§. VII.

Circa paraly- sin pal- pebra- rum. Paralysis palpebrarum oculi pes metatasis aut stagnationem humorum producitur, & nisi cito depellatur, immedicabile constituit malum. Observavi in ea efficacissimum balsamum vitæ nostrum, calide mane vesperique palpebris inunctum; nec non oleum cinatomi & caryophyllorum, modo vera fuerint, cum axungia quadam permixtum. Non negligenda etiam est seri vitiōsi derivatio ac evacuatio; quæ per laxantia, diuretica, vesicaria, & id genus alia perficitur: unde de tali palpebrarum paralysi post morbillos suborta, & vesicatoriis curata recensetur casus in A. N. C. volum. I. obs. 140.

§. VIII.

Circa paresia. Paresis ex colica poscit remedia, serum vitiosum ex sanguine per transpirationem proscribentia. Externe operæ pretium faciunt pelles recenter matorum animalium calide affectis partibus applicatæ; nec non axungia humana recens, si ejus uncia non drachma olei caryophyllorum addatur, eaque pars affecta perfricitur. Hoc etiam in casu non frustranea est adpliatio cœcarum cucurbitularum: quibus curatam talem paresiu referunt A. N. C. des. I. ann. III. obs. 308.

§. IX.

In paralyticis affectibus usus aeris *Circa diatam.* sereni & temperati valde utilis est: unde COELIUS AURELIANUS L. II. C. I. p. 349. regnum in lucido loco ponit jubes. Hinc conclave nimis calefactum, nec nimis frigidum, sed temperatum oportet esse. Vixius quoque facilis & tenuis esse debet, eo magis, in principio ubi paralysis acutus plerumque morbus est & ventriculi robur nunquam non est languidum. Nec ulla convenit cerevisia, nec ulla modo vinum præsertim in principio, sed quando morbus jam diurnus factus est & tunc etiam vixius plenior esse potest.

§. X.

Ad lavandas partes paralyticas, si aridae & atrophicæ fuerint, spiritus *Circa sa- tamores.* ammoniaci nequitam convenient; *Partium Paraly- ticarnum.* sed præstat eo uti, si partes tumore sint affectæ. Hoc in casu consultum quoque est, tumidas partes tenui sacculo includere, qui sequentibus impleri potest speciebus. Recipe furfurum & milii ana manipulos quatuor, mixta in scutella aut abeno aliquo supra cineres siccentur, caelestant, calida includantur sacculo, quo decumbentis ægri pars affecta circumdetur.

§. XI.

Graviores affectus capitis, ut lethargus, apoplexia, hemiplexia, &c. sunt senili atati per quam familiariæ, & fere immedicabiles. Igitur præservationis causa magna cum cura & sollicitudine ab omnibus iis, quæ systema nervorum debilitant & circuitum sanguinis per caput impeditorem efficiunt, cumprimis a frigore, præsertim ubi corpus ad sudorem dispositum est, a largiori vini spirituosi potu, mœrore animi, terrore, venæctione consueta intermissa, neque minus a nimio tabaci usu, vaporosis absynthiacis, cerevisia crassiore, humido & vappido aere senes abstinere debent. Quod vero hi dicti morbi rarissime in sensibus medelam recipient, hæc mihi vide.

videtur causa: quoniam eorum sanguis humore valde pituitoso & glutinoso laborat; qui ad regrassum sanguinis per subtiliores venas cerebri, quas lentore obstruit, & sinus venosos impediendum plurimum confert. Ad ejusmodi vero obstructiones vasorum, quae altius in cerebro situm habent referandas, non tam facilis & expedita medendi ratio deprehenditur.

§. XII.

Coractio parvissima. Corpora paralyticorum quando pinguidine, & vitiosorum humorum copia abundant, non facile ad sanitatem redeunt, vel vires recipiunt, nisi diæta, & victu exsiccante utantur, qui in eo consistit, ut ægrotantes a jurientis, enixis, & humidis abstineant, & ut parco etiam potu utantur, atque non nisi decoctum ex radice chinæ, rasura santali, citrini, sassafras cum passulis assumant, & portionem generosi visi; carniibus non nisi assis vescendum, passulisque exacinatis, corpus quoque, ejusque membra quoad fieri potest, motu exercenda.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Hemiplegia dexteri lateris sanata.

Vir quadagenarius, temperamento sanguineo phlegmatici, per multos annos sub vita parum mobilis largam quotidie cerevisiæ Martifburgensis quantitatem ingerere solitus, adpetitu sensim destitui, corpusque valde tumidum præ se ferre cœpit, Quo in rerum statu molestam vertiginem, artuumque gravitatem per satis longum tempus sensit, & tandem circa vernum tempus ex improviso in dexteri lateris hemiplexiam, cum memorie sensuumque internorum debilitate junctam incidit; pulsu existente magno, celeri, facieque tumida ac rubicunda. Quamobrem ex vena in brachio tusa non semel, sed aliquoties multum crux detrahebatur, pulsus nihilominus in magnitudine & celeri-

tate sua persistente; nucha cucurbitulae cum scarificatione admovebantur, pulsus tamen magnus esse pergebat; alvo infundebantur enemata, ac intus dabatur infusum mannatum, nec non nitrosi pulveres. Inter horum usum pes movendi potentiam sensim recuperabat; at manus resoluta manebat, quin lenta quædam febris, circa noctem semper exacerbata accedebat; & pulsus nunquam non celer erat. Tum, missa cerevisia, fontem Selteranum vino nuptum, pro potu ordinario adhibebat; pedes quotidie pediluviis tepidioribus, ex aqua, floribus chamæmeli & trifolio fibrino paratis immittebat; brachium resolutum spiritu vii camphorato perficari curabat; ac intus liquorem nostrum anodynū, pulveres digestivo salino nitrosos, & pro sudore eliciendo essentiam alexipharmacam usurpabat. Usus præterea est victu parco & exsiccante: & hinc factum est, ut post aliquot menses prorsus convaluerit, sentiendique pariter ac movendi recuperaverit facultatem.

EPICRISIS.

1.) Notabile est in hoc casu, quod post tam largam, sèpiusque repetitam sanguinis missionem, pulsus nihil sensius permanerit magnus & celer: qualem quandoque in nimis hæmorrhagiis observare licet. Testatur ille, affectum ejusmodi pro causa plenitudinem sanguinis, ejusque vehementem ad caput congestionem agnoscere; & in vehementia ac diuturnitate a spasmodicis partium internarum stricturis, quæ etiam hæmorrhagias comitantur, & pulsus magni dureque fiunt auctores, sustentari.

2.) Ego non semel sed sèpius observavi, quando de ante acta paralyticorum vita interrogare solitus sum, eos plus justo genio suo indulsisse, præferim in assumendo potu spirituoso, sive cerevisia inebriante, aut potente vino, nam ejusmodi potus, quando im-

mode-

moderatius assumuntur, frigidos morbos, ut tremorem, convulsionem, paralysin, apoplexiā, sopores excitasse, non modo experientia confirmamur; sed & a veteribus medicis, jam olim proditum est. Nam ab immoderato calore & densiores, & glutinosiores sunt humores, qui per minorā vasa difficiliorem habent progressum, & circuitum, inde stagnant.

3.) Pediluvia ex herbis nervinis & roborantibus concinnata, præsertim, si morbus est in declinatione, circumspecte & repetitis vicibus, adhibita non carent eximio usu, & fructu; eo quod corpus noctu disponunt ad sudorem, & blando calore ac humore partes inferiores relaxando, majorem affluxum sanguinis & humorum ad caput præpediunt, neque minus humores lentes ac viscidos tenuiores & fluidiores efficiunt.

4.) De insigni victus exsiccantis in paralyticis humidioris constitutionis virtute in quonam consistat, jam abunde supra in cautelis practicis §. 12. dictum est.

OBSERVATIO II.

Paralysis Juvenis viginti annorum, sanguine magnum & succis plenus, cum meretrice aliquando in lecto decumbens, & venereo nimis percitus oestro, ob accedentem ex improviso patrem, tanto percellebatur terrore, ut paulo post toto corpore debilitas & languidus, neutrūm movere potuerit pedam. Mox hi cum reliquis inferioribus artibus magno quatiebantur tremore; sequentique nocte largo corpus distfluebat sudore. Expergefactus mane non valebat incedere; sed regio inferior ab umbilico ad extrellum usque pedem omni privata erat sensu, adeo ut nec acus intrusæ vis perciperetur, nec sciret ægrotus, cum alvum deponeret, aut urinam redderet. Nihilominus exhibebant resolutæ partes calorem naturalēm, nec marcescabant, nec adipetus, nec pulsus quopiam labora-

bant vitio. His per integrum annum affectus molestiis, variis generis medicamina, thermas, balnea, nervinae penetrantissima in & externe, sed in cassum, adhibuit; neque enim purgantes medicinæ, nisi magna dosi datæ alvum movebant, nec ulla concitatabant tormenta. Sensim adeo abolabatur sensatio, ut aliquando, quod notabile est, lapides igniti ægri sedentis pedibus suppositi, cutim vehementer adusserint, ipse tamen præter anxietates præcordiorum nihil doloris lenserit; donec tandem a fumo ex accessa cute exhalante certior, quid ei acciderit, factus, circumstantes vocaverit in auxilium. Et hanc miserans per biennium protractit vitam; quo elapsò præcordiorum anxietates, a sumis potissimum epulis adfigere, adipetus dejici, calor latus corpus depascere & vires prorsus perire ceperunt, ipseque fatis cessit ægrotus.

E P I C R I S I S.

1.) Terrorem vehementem non modo convulsivas & epilepticas in continentis producere posse motiones; verum etiam nervorum inferre subitanam resolutionem; hæc docet morbi historia. Aëtio terroris autem in strictura partium nervosarum, & speciatim membranarum cerebræ ac medullam spinalem involventium consistit: quæ in præsenti casu circa lumbarem contigisse videtur regionem, & eo perniciösior esse debuit, quo vehementiori veneris oestro inflammatum tum fuit corpus.

2.) Ad rariores referri meretur hæc inferiorum partium paralysis; eo, quod cum movendi potentia, sensus quoque omnis deperditus fuit, adeo ut nec acus vis, nec adustio per ignitos lapides perciperetur, quum tamen vix occurrat paralysis, inqua non aliqualis super sit sensatio. Et hæc quidē paralysis non externas solum occupavit partes; verum interna quoque viscera & cum primis intestina; testantibus purgantium

tium inertia, & faciem urinæque involuntaria emissione. Dum vero, ex abolitione omnis motus ac sensus, totalem influxus fluidi nervei in nervos ex spinali medulla infra diaphragma prodeentes cessationem, non sine ratione colligimus: attamen non omnem visceribus abdominis, maximeque intestinis denegamus sensationem, quoniam purgantia majori dosi data alvum moverunt. Quod facile conciliabit, qui perpendet, intestina etiam a cerebrinis nervis per intercostales ramos, nervolas adipisci propagines; per quas aliqualis relictus fuit sensus.

3.) Medela tali in casu locum vix habet: vero enim est simillimum, medullam spinalem ab eo loco, ubi facta est stricatura, collabi, flaccidam, exsuccamque reddi, cui præsumptioni ansam præbet casus A. N. C. vol. II. obs. 102. insertus. Quare non mirum, quod lenta demum febris accesserit, finemque vitæ imposuerit. Nam hoc in rerum statu, languescente sensim sensimque humorum circuitu, pravi inaprique per abdominis viscera succi generari debuerunt: unde virium defectus, adpetitus prostratio, & lenta febris suam traxerunt originem.

OBSERVATIO III.

Paraly- Vir triginta annorum, frigidæ, *si abdo-* siccæ, & macilenta constitutionis, *minis &* metallurgiæ addictus, aliquando in *acrum* inferto-minerarum saturninarum calcinatio-*terrore* ne, cœlo existente turbido & pluvio-*so* occupatus, ingentem vaporum saturninorum copiam inspiratione hausit sub dulcis saporis perceptione. Postri-*lethibili* die de intolerabili circa umbilicum dolore conquestus, pertinacissimam incidit alvi adstrictionem, que omnem clysterum infusionem, & laxantium ex-*hibitionem* rebellis elusit. Jungebantur vomendi conatus, cardialgicæ præcordiorum anxietates, gelidusque per corpus erumpens sudor. Quo in rerum statu pugnatum est antipasmodi-*cis*, clysteribus oleosis, balneis,

oleoque amygdalarum dulcium, carminativis nupto: unde remittebat dolorum ac reliquorum symptomatum vehementia. Verum enim vero brevi post nova succedebat afflictio; quippe sinistra manus dolore pressorio, cum movendi impotentia, absque tamen tumore prehendebatur, adeo ut ex nec flecti, nec ad os duci potuerit. Adhibebantur varii generis sudorifera, balnea Laconica, fokus ac limimenta, sed in cassum: alvus simul adeo compressa erat, ut nisi clysteribus admonita, sui non reminisceretur officii. Meo tandem flagitato consilio suaſi, ut æger abstineret ab omnium calidorum, acidorumque remediorum uſu, loco cerevisiæ decocta biberet, laxante ex manna, passulis, oleo amygdalarum, tartaroque tartarisato alvum moliretur, & affectas partes axungia humana, oleo caryophyllorum acuta, calide perfricaret: unde factum est, ut per Dei gratiam restitutus, diu salvus vixerit.

E P I C R I S I S.

Morbus quo post inspiratum sub dulcis saporis perceptione, saturni vaporem, noster est infestatus æger, colica convulsiva, & peculiari cognomine saturnina, die Dutten Rare, vocari solet. Familiaris ea est metallurgis, Hercyniæ potissimum Sylvæ accolis, & plumbi venas scrutantibus; & debetur furnis saturnini, ore hauſis, & sensibilioribus intestinorum tunicis, quas graviter vellicant, infixis. Præter tormenta vehementissima, & convulsivos fere totius generis nervosi motus molestissimum in hoc morbi genere symptoma est contumax alvi compressio; & ei familiariter jungitur parens manuum.

2.) Quo liberior ipsis in locis, quibus dictæ tractantur minera, quoque serenior est aer; eo rarius occurrit re-*censitus* morbus, quoniam virulentæ exhalationes commode dissipari queunt. At si gravis ac pluviosus fuerit aer;

com-

comprimit vapores &c, quo minus in auras abeant impedit: unde sub ea tempestatis constitutione frequentissimum est malum.

3.) Curatio in Paresi, ut recte moneret CRATO consilio 72. 73. non ad principium nervorum, sed ad musculos, ad quos humor vicius transmissus, ut ille discutatur, & membra corroborentur, dirigenda est, non neglectis illis, quae intestinorum tonum restituunt, & alvum lubricant. Cum ante aliquot annos in juvene gonorrhœa laborante, ab improviso tincturæ antiptifisæ Grammani, quæ probasi saccharum Saturni recipit, usu, contumacissimam alvi adstrictionem cum paresi utriusque manus conjunctam observarem; oleum amygdalarum dulcium recens cum juseculo avenaceo, additis aliquot guttulis olei cynamini destillati, crebrius usurpavi, non omissis potionibus mannatis, cum eodem oleo permixtis, quæ tamen non ante apertione alvi per clysterem emollientem, & oleofum assumentæ fuerunt. Alvo liberiori reddita, usurpata quoque sunt sudorifera, ut Sp. c. c. cum Eff. Succini & Sp. nitri d. Adhibebam porro balnea ex semine lini, & herbis emollientibus & balsamo nostro vitæ, nec non essentia Galbani saturata, manus, resolutæ inunctæ, naturale suum robur receperunt. Etcum a vinis austoris, rubicundis, neque minus malitiosis per additionem lythargirii adulteratis, idem morbus, eadem symptomata in Germania, & in provinciis ubi vinorum est proveniens, admodum sicut familiaria; non aliis, quam modo laudatis remediis illum ipsum curatum fuisse a fide dignis medicis, nobis relatum est.

OBSERVATIO IV.

Fœmina triginta annorum, exilio ris staturæ, valsis capacioribus prædicta & ob nimiam, qua pollet, sanguinis terrere abundantiam, a quatuor jam annis hysteris pathematis cum vehe-

Tom. IV. Pars IV.

menti capitis dolore, ac violentis vomitionibus tanta ferocitate fuit cruciata, ut saepius, maxime post iram vel terrorem suffocatibus ac apoplecticis corriperetur invasionibus. Anno elapsso, vigesima post puerperium hebdomade, menses more solito, licet ipsa infanti præberet ubera, fluere coepiunt: qui, cum accedente gravi terrore, protinus supprimerentur, paucis post diebus, prævia spasmodica artuum lancinatione, incidit iu dextræ lateris hemiplexiam, oris rigore stipitam. Hanc transactis aliquot diebus, febris quedam intermittens excipiebat, a meridi singulis diebus invadens, & per tres durans hebdomades: sub qua tandem per dextrum pedem alba, sinistrum rubra efflorescebat purpura. Qua per usum quorundam remediiorum desiccata, redibat quidem aliqualis movendi potentia: at loquela adhuc erat impeditor, & magna laterris resoluti, maximeque manus relaxabat imbecillitas. Configiebat ergo ad fontem Lauchstadiensem: quem cum per quatuordecim dies in balneis adhiberet, eruperunt adhuc maculae scorbuticæ, & sanitas majora sensim cepit incrementa. Ego, cum meum expeteret consilium, suasi ut fontem felteranum tribus horis ante balneum ad mensuram unam biberet, ut quatuordecim dies curæ adhuc insisteret; quo factum est ut præsentissimum levamen atque augmentum in partibus imbecilibus roboris experta fuerit.

EPICRISIS.

1.) Non opportuniora affectibus apoplecticis & paralyticis sunt subjecta, quam plethorica, & simul hysterica: & certissime illos incurront, si excretiones sanguineæ, superveniente, dum fluant, gravi terrore, subito sistantur. Idem in præsenti contigit ægrotante, quam valde fuisse plethoraicam, vel hæmotypsis iteratis sponte revertens vicibus testatur. Adhuc

B san-

sanguinem ipsi fuisse impurum & scorbuticum: docent & purpuratæ in uno pede rubræ, in altero albæ, & scorbuticæ efflorescentia; quibus ad cutaneum corticem pulsis, levari plerumque solet malum. Quare etiam recte hic morbus paralysis hysterico-scorbutica appellari potest.

2.) In cura hujus ægrotantis mulieris plethorica & hysterica in eo peccatum fuit, quod non tempetive satis per sectionem venæ detracitus fuerit sanguis. Ita forsitan statim paralytica affectio vel arceri vel tolli potuisset; Atque in eo consentientem habeo RAYGERUM clarissimum Hungariae Medicum, qui obs. X. scribit; paralysis & hemiplexia in foeminae sape unica venæ sectione in brachio tolli potest.

3.) Vix unquam paralyticum affectionem, cum primis recentiorem vidi, quin febricula quadam intermittentí sinnili fuerit stipatus. Sed nulli prorsus solatio hæc febris est: quamvis enim nulla paralysis sine febre curetur; uti monet etiam Clarissimus BOERHAVE Pr. Med. P. V. p. 15. id tamen de artificiali intelligendum esse febre, jam sub Pathologicis ultima thesi adnotavimus.

4.) De balneis Lauchstadiensibus, quæ valde adstrictivæ sunt indolis, notari meretur, quod in paralyticis affectionibus vel ab initio, ubi adhuc mobilis, nec nimis impacta est materia, vel sub flacciditate, ubi non nisi languor quidam nervosi generis restat, cum fructu possint adhiberi. In malo confirmato magis et resunt aquæ Aquisigranenses, quæ intimius stagnantem materiam penetrant, & resolvunt.

5.) Lauchstadiensium fontium pro balneo insignissimum usum atque utilitatem ego primus ante triginta annos inveui atque detexi, & peculiarem de iis conscripsi dissertationem, & bona fide testari possum, quod convenienti & circumspecta observatione si usurpentur, ad imbecillia corporis membranae roboranda, vix suisimiles habeant,

adeo ut etiam in eo certis in casibus Tœplicensis balneorum virtutem exsuperent. Horum operatio fit per febrem artificialem. Nam sub ipso balneo valde tepido subtiliores martiales moleculæ subcutaneis fibris & poris se paulo altius insinuando strictroram cutis efficiunt, & eo ipso humorum cursum ad interiora urgendo sub celeritate & magnitudine pullum & auctor calor & major transpiratio sequitur, cuius beneficio vitioli morbi humores ex partibus exterioribus discutuntur, & impuri salvi ad habitum corporis protrahuntur.

OBSERVATIO V.

Vir annorum viginti novem, temporamenti sanguineo-cholerici, habitus spongiosi, potui fabarum Caffee nimium addictus, nec venam sibi unquam secari passus, per biennium, ex quo matrimonium init male habere, ac de spasmodicis passionibus, molestaque alvi obstructione conqueri coepit. Quibus consulturus in manus Pharmacopæi incidit, qui datis medicamentibus id effecit, ut abdomen tympani instar intumuerit, & forsitan ipsa accesserit tympanitis, nisi medela fuisset lata. Brevi post rus aliquando petiit, moxque ab itinere intravit conclave valde calefactum; cuius impatiens, aperta fenestræ adsedit, cervicemque aeris frigidioris flatui exposuit; tum vehementi corpus commovit exercitio, & demum sub vespertino ac nebuloso domum reversus ccelo, loquela subito amisiit facultatem. Quam, sumto calidiori decocto fabarum Coffee recuperavit quidem noctemque placido transegit somno; sed expergefactus nec loqui, nec dextri lateris artus movere potuit. Tusa protinus in brachio sinistro vena, adhibitisque nervinis, dia-phoreticis, pediluviosis ac frictionibus utraque evanescebat molestia sed memoriae quædam remanebat imbecillitas. Verum paucis post hebdomadibus vehementi percellebatur terrore & ab-

hinc

Hinc protinus aphoniam, & dextri lateris paralysi iterum prehendebatur. Se-
cabatur in sinistro brachio vena, adhi-
bebantur diaphoretica, laxantia ner-
vina in & externa, balsamica & id ge-
nus alia; sed malo nullum accedebat
levamen. Lingua enim, utut satis
commode moveri queat, articulatum
non valet edere sermonem; nec bra-
chium ullo modo moveri potest. Con-
sultus ego suasi, ut vesicans empla-
strum utrique furarum imponeretur;
decoctum ex Ligno sassafras, cinamo-
mo & passulis, loco cerevisiae potare-
tur; passulae rhabarbarinæ laxandi
scopo per vices fumerentur; pulvis ex
lapidibus cancerorum, antimonio dia-
phoretico, succino, nitro, cinnaba-
ri, sale absynthii, radice aaronis &
cardamomo bis quotidie caperetur, &
denique balnea Lauchstadiensia in
usum vocarentur.

EPICRISIS.

1.) Potus Coffe abusus sicut variis morbis januam pandit: ita ad nervorum morbos corpori afficit quandam dispositionem. Fabæ enim hæ Turciæ principio expansivo & vaporoso pollent; quo humores commovendi, solidasque & nervosas partes relaxandi, possident facultatem. Hinc occurrit quotidie, quod id decoctum paulo saturatius & largius bibentes de orgasmo sanguinis, & tremore manuum conquerantur: quare etiam BOER-HAVE Pr. med. L. V. pag. 12. abusus, inquit, nimius Thee & Coffee paraly-
sin induxit, nervis flaccidis redditis nec amplius contineri possibilibus.

2.) Paralysis in praesenti casu debe-
tur cohabitæ per subitam aeris muta-
tionem transpirationi; unde humores retroacti, circa medullæ dextri potissimum lateris principium, & nervos sermoni dicatos stagnarunt. Et in tali casu si non fiat cunctatio admodum noxia, sed mox accersatur medicus, ve-
na fecetur, congruisque medicamina-
bus regularis humorum circuitus pro-

moveatur, facile superatur morbus,
qui his neglectis aut tardius admissis.
subsidiis, chronicus evadit.

3.) Hoc notari debet apoplecticos & paralyticos motus facile resuscitari. Nam, utut sanata videatur paralysis, relinquit tamen aliqualem partium af-
fectarum imbecillitatem, qua præ-
sente terror, ira, & quicquid vehe-
mentes spasmos producendi facultate
pollet, quam facile ad eadem loca hu-
morum motum compellit, ut ibi sta-
fin concipient sensum & motum tol-
lendo, ubi tamen sciendum, quod
quo frequentius revertantur ejusmodi
affectus, eo intricatiorem & diffici-
liorem admittant curationem, quæ
non modo interna sed & externa effi-
caciissima remedia expostulat, adeo
ut sine balneis & linimentis spirituosis
diuturnior affectps non leniri multo
minus expugnari possit.

OBSERVATIO VI.

Verbi divini minister, quadraginta ^{annis}
septem annorum, temperamenti san-
guineo phlegmatici, habitus corporis
spongiosi, vita sedentaria, & lucu-
brationibus valde deditus, adpetitu
integro, ac sanitate illibata, sub ve-
næsectione bis quovis anno celebrata
gavilus, nec ad animi affectus, nisi
nimiam venerem pronus, pertinacissi-
mos aliquot annos in valde calefactis,
ætivo etiam tempore conclavibus
commorari, largisque perpetuo fudo-
ribus madere suevit. Qui cum per pro-
ximum remitterent biennium; de-
tentivis ac spastmodicis artuum dolori-
bus; sensu quodam frigoris in vertice
& cervice percepti; nec non pedibus
gelidis, licet attactu calidi essent,
ceperit conqueri. Sensim magno car-
nium fastidio capiebatur, cessantibus
que demum doloribus, insigni totius
corporis languore vexabatur, adeo,
ut vix incedere potuerit, & inde fibi
mortem ominaretur: deinde lenis-
mentis alienatio, quia continuo lo-
quebatur, aderat. Mittebatur ali-
B. 2. quando.

quando e vena in pede incisa crux satis larga quantitate , & ecce brevi post circa vesperam lingua subito resolvetur , & vera accedebat dextri lateris hemiplexia . Nam artus sensu motu que carebant ; dexter oculus videndi , dextra naris olfaciendi & auris dextra audiendi potentia destituebatur ; memoria labefactata erat ; nec bene masticare & deglutire poterat ; corpusque largo & perpetuo per aliquot hebdomades diffluebat sudore . Frustra usurpati vesicatoriis , antispasmodicis , & balsamicis , adibat tandem Lauchstadienses fontes : ad quos ipsum balbutiente lingua , memoria debili , lateris dextri resolutione , & pulsu in dicto latere vix notabili praeditum deprehendi . Jussi igitur , ut mane in balneum descenderet , vesperi pediluvii uteretur , atque elixit balsamicum sub epulis , vesperi pulverem antispasmodicum sumeret ; externe vero nucham & dorsi spinam linteis calidis , spiritu florum chamomillæ Romanæ imbutis perfricandam curaret . Balnea ingressus , large sudabat , dolores dextri brachii persentiebant , & frigoris sensum percipiebat ; at lecto impositus , iterum incalefiebat . Et continuata sic per mensem curatione melius habebat , movendique pariter ac loquendi potentiam , relicta imbecillitate atque torpore recuperabat . Com mendavi ad plenariam restitutionem viatum cum abstinentia exsiccantem cuius auspiciatissimum effectum ego in ejusmodi morbis aliquoties vidi .

EPICRISIS.

Multa hoc casu continentur momenta , in usum practicum accomodatissima . Sistit ille veram hemiplexiam , in qua non modo alterutrius lateris artus movendi sentiendique facultate carere ; sed & lingua balbutire , alterque oculorum , narium , & aurium lædi , memoriaque solet labefactari . Porro deglutitio læsa est , ut potum præsertim assumptionem suffo-

cative sequatur molestia , & ægri assumta sc̄pius sanum versus flectere debeant latus ; testante exemplo CONSULT. MED. Part. I. Cas. XX. pag. 91. allegato . Non minus interna quoque viscera quandam labem contrahunt ; unde haud raro observavi hepar in paralysi defunctis insignem retulisse magnitudinem , ut notavi sit . 1. casu XXII. pag. 116. Pulsus in affecto latere tam debilis est , ut digitis vix queat percipi , claro testimonio , imminutam esse arteriarum vim systolicam . Tali ratione differt hemiplexia perfecta a paralysi lateris alterutrius ; in hac enim motus voluntarii , vel ad summum simul sensus abollentur ; integra manente facie , ejusque partibus illæsis . Hinc pater , in hemiplexia vera caussam simul in cerebro hærere , qua in paralysi non nisi spinalē afficere videtur medullam .

z.) Caussa præsentis hemiplexie non nisi sudorum consuetorum cessationi debetur ; quæ in corpore per vitam otiosam , multas lucubrationes , nimiamque venerem debilitato facilis pernitiale exferere potuit effectum , quam in robustiori . Eam ob caussam curatio per balnea Lauchstadiensia felicem utique obtainere debuit finem ; cum sic revocatis sudoribus subtracta fuit materia nervos comprimens . Præterea vero solitus sum in ejusmodi casibus Elixir meum viscerala propinare , eo quod ventriculus plerumque simul labefactus esse solet .

OBSERVATIO VII.

Illustrissima quædam comes , quin-^{Paræ} quaginta annos emensa , succi ple-^{fi ab} na , plethorica & cacochymica , per immi-^{nito hæmorrhœa} viginti jara annos fluxum hæmor-^{morbis} rhoidalem , stato tempore proman-^{dum han} tem cum levamine passa , nec non foanticulum per duodecim annos in brachio gerens , ab itinere aliquando ad familiares facte domum redux , male cœpit habe-^{re}

re, & nihilominus inter lautam diætam corpore pinguefcere. Quo in rerum statu hæmorrhoides parcus fluxerunt, & fonticulus serum fundere prorsus desit; unde habuit illustrissima, ut de insigni corporis languore conquereretur. Tandem crux media hyeme per venas sedales erumpere conatus, parcissime stillavit; poltridie alvum egerendi stimulum sentiens, & ad locum secretiorem tendens, in medio conclavi tanto prehendebatur pedum torpore, ut protinus in terram concideret, & sinistri lateris paralysi, cum oris tortura, linguaeque balbutie stipata corriperetur. Vena protinus secabatur, vesicatoria manibus admovebantur, & omnis generis remedia in & externa usurpabantur; sed in cassum. Movendi artus sinistri lateris impotentia manebat eadem; attamen eosdem dolor quidam per vices occupabat; maxilla sinistri lateris motu carebat, & in dextro solum masticandi erant cibi; atque memoria paullulum videbatur læsa; cum febrili commotione, omni vespera accedente. Alvis insuper magis compressa erat, urinaque ferebatur difficultus. Consultus suasi, ut vena in pede tunderetur; dorsi spina linitimento ex axungiae humanæ uncia una, olei nucistaræ drachmis binis, rorismarini, lavendulæ majoranæ & rutæ, singulorum drachma una confecto inungetur, probeque fricaretur; pro potu decoctum ex radice scorzonera, chinæ, sarsaparillæ, ligno sassafras, lentisci, santalo citrino, passulisque paratum adhiberet; ter quavis hebdomade laxantem pulverem ex rhabarbaro, terra foliata tartari, nitro, & oleo destillato macis sumeret, & mane laetis serum dulce potaret. Adhac pediluvia cum herbis nervinis rorismarini, majoranæ, salviæ abrotani, floribus chamaemeli, thymi & herba rutæ commendavi; utque ea egressa lectose daret, paullulumque sudaret; ac denique sub epulis quinque balsami mei virtutis sumeret guttulas, suasi. Hinc percepit paralyticum maximam partem re-

Tom. IV. Pars IV.

mississe, & per anum lividi seri per multum cum levamine secessisse.

EPICRISIS.

Quum excretiones tam naturales quam extraordinarie & consuetæ suppressæ vel impedite präcipuum gravium & difficilium morborum causam constituant, tum quam maxime id in paralyticis & aliis capititis & nervorum affectibus observatur. De quo etiam präfens morbi historia testatur. Una illius caussa est fonticuli exsiccatio; qua factum est, ut serum copiosius in corpus retrocederet, & tandem ad medullæ spinalis crus sinistrum decumberet. Altera, majoris ponderis, debetur imminuto hæmorrhoidum fluori; unde sanguis in tam plethorico corpore retentus, & superiora versus congestus, serosam demum dimisit portionem. Cui quidem eventui occasionalem caussam dedit hyemalis tempestas; quæ ob impeditorem sub ea transpirationem, mirum quantum his producendis favet morbis. Et präservari hunc insultum paralyticum potuisse, extra dubium est positum; si eo, quo illustrissima comes ex itinere reverfa, corporeque obesior facta fuit, tempore, vena tusa, aut ano admotæ fuissent hirudines. Quibus omissis, omnis utique curandi cardo in eo constitut, ut hæmorrhoidalis revocaretur excretio: quam licet obtinere non licuerit, attamen satis fuit, seri livida magnam per anum effluxisse copiam. Quum enim accessit demum sudoris per blanda pediluvia provocatio, & hinc facta seri vitiosi evacuatio; auspiciatus omnino, malo existente recentiori, evenire debuit eventus.

OBSERVATIO VIII.

Vir septuagenario major, macilen-
tus, vañisque capacioribus präditus, sic den-
constitutionis sanguineo melancholi-
rit late-
cæ, in juventute ex vita sedentaria, rit infe-
multisque lucubrationibus contraxerat pinage-
natio.

sibi melancholiam hypochondriacam, sed per congrua adminicula, maxime que motum corporis illam debellaverat. Ab hinc sub venæ sectione, bis quotannis repetita, & frequenti corporis exercitio, quo alvum lubricam servari dixit, integrum ad senectutem usque conservavit valetudinem. Per novissimum vero biennium omni mane large sudare solitus fuit; & quum pronuper mense Aprili rus petisset; immunitus hinc sudoribus, de cōlicis intestinaliōnē doloribus, & alvi conquestus est obstruktionē. Brevi post prævia corporis lassitudine, dextri lateris paralysi corripiebatur, lingua dextraque maxilla intumescebat, sinistra extenuabatur, os torquebatur, loquela erat impeditior, movendique manum & pedem dextri lateris potentia evanescerat. Vocatus ego mox sanguinem e vena in pede tusa large detrahendum; clysterem adplicandum; vitaque nostrum balsamum inungendum curavi; interne vero liquorem anodynum, cum balsamo vitæ remixtum propinavi. Factum est inde, ut melius haberet, & loquendi, ambulandi, scribendique facultatem, utut languidorem recuperaret, sudores etiam largi per noctes rursus erumpabant, & somnus adperitusque sibi constabant: sed alvus non nisi alternis respondebat diebus, & æger in dextro pede perpetuum sentiebat frigus; quo etiam in toto corpore perfunditur, simulac liberiori se tradiderit aeri.

EPICRISIS.

Quanta mala ex suppressione excretionum consuetarum, sive fuerint sanguineæ, sive serosæ, propullent, vel præsens docet casus. Obvia enim in illo paralysis non nisi sudorum immunito proventui debetur: unde accumulati in corpore, præfertim senili, humores serosi distenderunt vasa medullæ spinalis principium ambientia, & per illorum porulos omnino transfluisse videntur. Quemadmodum vero

ortum a prohibita transpiratione traxit morbus; ita non alia exstirpari potest ratione, quam per abundantis feri imminutionem, ac ad habitum corporis revocationem. Prius obtinuimus venæ sectione, quippe qua una cum sanguine serosus latex subtrahitur: & dum ope liquoris anodynī strictræ cutis relaxatae fuerunt, rediit etiam consueta sudatio, cumque hac multum vehementer morbi subtractum est.

2.) Circa paralyticorum sudores adhuc scire licet, quod affecto latere plerumque copiosiores erumpere soleant. Quum enim humorum vegeta circulatio in eo latere valde langueat, sanguisque tarde moveatur: sit inde, ut serosus latex sub lento progressu a sanguine secedat, & per laxatos tubulos largius exhalet. Hinc etiam observamus, in artibus resolutis exanthemata, scabiem, purpuram &c. longe majori copia efflorescere, quam in sanis.

3.) Membra paralyti resoluta ordinario frigida sunt. Quemadmodum enim corporis nostri calor a motu sanguinis vegetiori & rapidiori proficiuntur: ita quo hic magis languet, eo majus percipitur frigus. Quum igitur in partibus paralyticis languidior sit humorum circulatio: facile patet, cur illæ attactu sint frigidæ, curque intumescere soleant; quia nimis irruptioni humorum serorum, nulla est resistentia.

OBSERVATIO IX.

Fœmina, viginti duos annos nata, ^{Taraly-}
procera, post enixum partum lochiis ^{attum}
bene perfuncta, absolutoque puerperio ^{inferior-}
e lecto surgens conqueri coepit de partum, ^{d posse}
gravi ventris dolore, ad lumbos diffuso, & cum motus imbecillitate stipato; qui affectus adeo sensim invaluit, ^{de partum,}
ut binis abhinc mensibus non solum non ingredi, sed nec pedibus absque fulcimento insistere posset. Quin immo tanto torpore manus etiam affectæ sunt, ut nec pondus aliquod attollere, ^{nec}

nec ipsas facile contrahere vel explicare valuerit, incolumi tamen manente sensu. His demum accedebat motus quidam convulsivus, & rigor partium infernarum; nec non sensus constrictiois in abdomen, ad lumbos usque diffusus. Alvum non nisi sollicitatam dejiciebat, & rarius difficulterque urinam reddebat, lunareque tributum, statim quidem tempore, sed parcius solvebat, somno existente longiori. Adhibitis varii generis medicaminibus, fontem Lauchstadiensem usurpavit, simulque meo suauu Spinam dorsi Spiritu ex floribus chamomillæ Romanæ destillato inungi curavit: unde sensim majorem movendi recuperavit potentiam.

E P I C R I S I S.

1.) Caussa præsentis mali absque omni dubio hæret in ea medullæ Spinalis parte, quæ intra lumborum & ossis sacri vertebrae continentur: & vero videtur simillimum, uterum a partu non rite fuisse expurgatum; unde restantes sordes per metastasis ad lumbaris regionis medullam decubuerunt, eamque comprimendo impedierunt, quo minus fluidum nerveum in partes, quæ a dicta medullæ portione suos nervos adipiscuntur, sufficienti influere potuerit quantitate.

2.) Quum parciors effluxus fluidi nervi ex inferiori spinae medulla fuit, ille omnino in aliis partibus largior ac copiosiore esse debuit. Hinc patet ratio, cur ægrotans nostra in partibus integris convulsivos motus, & in abdomen constrictiois sensum fuerit passa. Notabilis hanc in rem est observatio, quam A.N.C.vol. II. obs. 102. allegant, ubi miles quidam paralysii abdominis & partium inferiorum affectus, infra costas spurias constrictioem percepit, abdomen chordæ instar ambiente: post mortem dissecta Spina, ejus medulla intra primam lumborum vertebra sita, labe caruit, nisi quod succis turgidior paullo fuerit: ea vero,

quam sequentes incluserunt vertebræ, tota flaccida & exsucca adparuit. Et hinc clarissimus SALTZMANNUS, dictæ observationis auctor rectissime concludit, constrictionem illam provenisse a succo nervoso copiosius quam par est, in nervos e prima lumborum vertebra prodeentes influente.

3.) In hac partium infernarum paralyssi & mictionis & alvi vel involuntarii fluxus vel pertinacissima retentio observari solet. Utrumque vitium a relaxatione vesicæ aut intestinorum provenire; contradictorium videtur, sed non est. Involuntariam harum sordium excretionem deberi partium relaxationi, nemo dubitaverit: at quomodo illius suppressio ex relaxatione provenire queat, multis videbitur dubium. Neque vero opus est, ut explicando huic phænomeno diutius immoremur; qui ppe quod in CONSUL. MED. Tom. II. Sect. IV. casu 138. pag. 552. fuisus demonstravimus. Res eo credit: omnes canales membranacei totius nostri corporis pollent motu constrictorio & dilatatorio; ad excretiones vero justum partium robur requiritur; quo sub paralysi cessante, vel non fiunt excretiones, vel contra voluntatem contingunt.

O B S E R V A T I O X.

Matrona honesta, sexaginta sex annorum, robusta, bis quotannis veniam tundendam præbere solita, a teneris ferme integra valetudine est galvosa. Anno novissimo neglexerat suetam venæctionem & hyemali tempore concionem in templo audiebat: hinc per aliquot dies de vertigine, refrigeratione & languore corporis conquesta, levem quoque mentis alienationem passa, ex improviso omni sensuum ac rationis usu privata, incidit in hemiplexiam, sub qua dextrum capitis latus conveltebatur, sinistrum erat resolutum, & ægra jacebat infelix. Vocatus multum sanguinis e. vena jubeo detrahi, infundendosque

euro clysteres : sed quum spes vota fal-
leret , præscribo mixturam ex aquæ
lilliorum convallium , melissæ , flo-
rum tiliæ , cardui benedicti ana unciis
tribus , mixturæ simplicis guttis qua-
draginta , aceti destillati uncia una ,
lapidum cancerorum drachma una cum
dimidia , cinnabaris scrupulo uno ,
tartari emeticæ granis duobus , julepi-
que rosarum uncia dimidia parandam .
Hujus bina cochlearia postquam binis
sumferat horis ; remittebat convulsio ,
redibat rationis usus , & ægra intra
horas viginti quatuor perfectissime
convalescebat .

E P I C R I S I S .

Sicut naturalium excretionum sup-
presso ; ita artificialium neglectus ad
varios morbos , ipsamque nervorum
resolutionem , præsertim in senili æta-
te contribuit . Hemiplegici enim in-
sultus , quem matrona honesta tolera-
vit , non aliam invenire possumus
caußam , quam stagnationem sanguini-
nis , per neglectam venæsectionem ac-
cumulati & per frigus versus caput
commoti . Refellitur simul inde vulgi
valde noxiūm præjudicium , quo seni-
bus non debere sanguinem mitti perhi-
bent : non enim ætati tanta noxa ex
omissis sanguinis missionibus acquiri-
tur , quam quidem senili , propterea ,
quod vis & elater partium solidarum in
ea sensim languescere incipiat , nec sa-
tis valeat humorum impulsu resistere .
Hanc ob caußam eo quoque in præsen-
ti curatione respeximus , ut primum
sanguinis depleretur abundantia per
venæsectionem . Et quando ab hac
ægri ad sensuum & rationis usum non-
dum redeunt ; multo cum fructu exhibe-
re solitus sum descriptam mixturam ,
quam tartarus emeticus ingreditur ,
non eo fine ut vomitum excitare consilium
fuerit , sed ut torpidæ & languen-
tes partes nervosæ subtilissima rībii
acrimonia vellicatæ , ad motum &
sensum recipiendum stimulentur .
Nam in medicamentis antimoniaли-

bus , quæ paulo majori dosi emesin ex-
citant , si refracta dosi a perito medico
usurpantur , plane singularis & incom-
parabilis ad difficiles & chronicas pa-
ssiones expugnandas virtus deprehendi-
tur , eo quod glandulas & nervosæ
partes irritando lympham stagnantem
& corruptam discutiunt , & humores
crassos viscidos attenuant , & fluidos
reddunt .

Ad præcavendam recidivam & sy-
stema nervorum corroborandum præ-
ter sollicitam corporis & extremarum
potissimum partium a frigore & ven-
tis frigidis præcautionem , conservam
florum anthos & florum melissæ turci-
æ item elæosacharum olei macis &
olei melissæ veri , interdum quoque
aliquot guttulas balsami nostri vitæ in
decocto succoladæ vel Coffee veletiam
spiritum oleosum salis ammoniaci pro
lubitu assumenda commendavi .

O B S E R V A T I O XI .

Vir quidam , ecclesiastico præfectus *Infulus*
muneri , sexaginta annorum , tempe- *apoplex-*
ætati in
ramenti sanguinei , habitusque succi *corpo*
pleni , ad quadragesimum usque an- *poda-*
num integra sanitate gavisus ; postea *gra pur-*
vero nephriticis affectibus infestatus , *paraque*
sed ab his ope Amasiani fontis libera- *venato-*
tus est . Deinceps ad aulicum promoto-
tus officium , ad vitæ genus solito ma-
gis lautum , diætamque vinosam per-
venit , vinis potissimum rubicundis
utens , & valde frigidum adeptus est
habitaculum . Sex abhinc annis poda-
gra chiragraque , cura spirandi perpe-
rua difficultate & tussi stipata corripie-
batur ; quæ mala sæpius repetebant ,
& tandem erumpente post usurpata anti-
scorbutica purpura , insigniter remit-
tebant . Ante biennium mense Novem-
bri ex improviso apoplexia leviori in-
festatus , sensuumque & rationis ufu-
privatus concidit ; sed tusa vena , ad-
hibitoque Spiritu cornu cervi succinato ,
tinctura antimonii acri & essentia
castorei , ad valetudinem redibat : uti-
que cum & podagra & purpura recru-
desce .

descerent. Sequenti tempore multa tulit adversa, ideoque perpetuis confectus mœroribus, magis magisque suum debilitavit corpus; quin memoræ quan-dam sensit imbecillitatem. Tandem accidit, ut prævio pulsationis circa aures sensu, caput subito dextrorum convelleretur, & æger paullo post sensu, motu, ac rationis usu destitutus, in-star apoplectici prosterneretur. Ad se rediens, crux quidpiam naribus reddidit, adhibitusque venæ sectione & frictionibus, rationis integratam recuperavit; sed tumorem dextri oculi inflammatatorium retinuit, qui cum malorum reliquiis tertio demum post die revertente podagra, penitus evanuit. Quum vero pulsatilis pone aures dolor continuaret, metumque reversuri mali injiceret: præter cucurbitulas cum & fine scarificatione juxta aures adpositas, quatuor circiter e brachio mittebantur sanguinis uncæ. Nihilominus vires mirum in modum prostratae manebant; unde meum ad avertendam recidivam implorabatur auxilium.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Primarius, quocum hic æger confiliatur, morbus est apoplexia, quam diximus spasmodicam; quæ humorum stagnationi in basi cerebri suam debet originem: hanc enim vel solus pulsationis circa aures sensus significat. Neque mirum est, ægrum tanto rapi morbo: quum enim natura temperamento pollet sanguineo, ad sanguinis justo majorem generationem aptissimo, & præter consuetudinem in opiparum vinorumque devenit viatum; præter modum omnino succi debuerunt accumulari. Quare etiam experientia teste plurimi ex nimia ingluvie & comeditionibus, in paralyticos morbos incident. Deinde vina rubicunda, quia ut plurimum sunt austera & adstringentia, ad affectus nervorum inque primis paralyticos gignendos multum conferunt, & ob hanc caussam etiam Moraviae incolis paralyticum endemium morbum esse

Jordanus prodidit. Cavere quoque sibi quam maxime debent ab ejusmodi austeri vinis podagrici, præfertim in senili ætate constituti. Nam ex remanente hac critica excretione gravissima oriri afflictiones necesse est. Accedit habitaculum frigidum; in quo salutaris transpiratio vehementer solet imminent. Hinc factum est, ut sordes in sanguine suborirentur salinæ, acres, tartarea; quæ corpus ægri ad scorbuticam constitutionem, podagram & purpuram disposuerunt. Quo in rerum statu, junctis insuper mœroribus, meditationibus, vita sedentaria, accrevit nervosi generis debilitas; cuius ratione & purpuraceæ & podagricæ materiæ vegeta ad corporis superficiem expulso imminent cœpit. Unde abundantes pariter ac impuri succi ad caput fuere compulsi, ibidemque stagnantes, apoplecticum produxerunt insultum; qui, vocato mox medico, missoque protinus sanguine, bis feliciter superatus fuit.

2.) Cum ego vocarer in auxilium; nihil prius tentandum duxi, quam donec vires fuerint refocillatae. Hunc in finem præscripti potionem analpticam ex aqua melissæ, florum acaïæ, liliorum convallium, tiliæ, rofarum ana uncii binis, cinamomi fine vino uncia una, matris perlarum drachma una, Spiritus nitri dulcis guttis tringinta, syrapi acetositatis citri drachmis binis confectam, eamque ad duo vel tria cochlearia scapus sumendum suasi. Vesperi pulverem ex lapidum cancerorum, pulveris Marchionis ana drachmis daabus, succini, nitri drachma dimidia, cinnabaris preparatae granis duodecim, castorei granis sex compositum, & ad drachmæ pondus capiendum ordinavi. Juscule medicata mane sorbillari jussa: alvumque obstructam clysteribus aperiendam curavi. Sic collectis viribus, suasi, ut ad corrigendam sanguinis impuritatem pro potu ordinario decoctum radicis chinæ & cichorii cum passulis biberet, a coena abstineret, &

victu attenuante ac leniter exsiccante & roborante uteretur. Cæterum non possum non hoc loco referre, me hemiplexiam a nimia ingluvie & desidia in corporibus maxime mollieribus ac spongiosis pinguisculis enatam diæta emaciante Dunger-Cur, & lignorum decocto, methodo, quam optime descripsit VALLERIOLA in obs. I. I. obs. III. p. 23. feliciter curasse. Vitentur carnes bubulæ, porcinæ, hædinæ, lactaria, legumina omnia & fructus, somnus meridianus, sed exercitium in rheda est utilissimum.

OBSERVATIO XII.

*De præ-
servan-
dis apo-
piexia-
insulsi-
bus.*

Comes quidam illustrissimus, annorum sexaginta, temperamenti phlegmatico sanguinei, iter aliquando per fluvium Danubium in navi sub aere humido, nebuloso & valde pluvioso per tres continuos dies faciens, incidit ex improviso in dextri lateris hemiplexiam; sub qua manus pedesque dicti lateris immobiles, linguaque gravis & balbutiens evadet, & æger delirabat. Ineisa protinus vena, redibat valetudo, & vir illustrissimus, intra viginti sex horarum spatium perfecte convalescebat. Abhinc diæta & sex rebus non naturalibus optime fungebatur; humidam frigidamque tempestatem, tanquam ipsi noxiæ fugiebat, & quotannis semel venæ tun-dendam præbebat. Quo in statu satis equidem sanus vivebat; at quum per intervalla manuum stuporem, cum dolore & sensu formicationis sentiret, metuens recursum gravioris mali, meum petebat pro eo præcavendo consilium. Ego, quum noscerem, ægrum illustrem multis mentis laboribus fatigari, fluorique hemorrhoidalí obnoxium esse, suasi, ut bis quotannis circa æquinoctia venam in pede secandam curaret, motui corporis plus, lucubrationibus minus indulgeret, ab imo præsertim ventre & dorso frigus humidum arceret, & pro potu fontem Selteranum, quarta vini Rhenani parte

remixtum, interposito nonnunquam vini Hungarici haustu, adhiberet. Ex pharmacis tria commendavi, pulverem nempe nervinum ex matris perlarum, pulveris Marchionis, succini præparati ana drachmis binis, cinnabaris scrupulo uno, ambræ grylæ granis duodecim & olei macis cinnamomi que ana guttis tribus confectum, inque decem partes divisum, quarum unam alternis diebus ex aqua frigida sumeret. Ad ventriculum roborandum exhibui Elixir viscerale, septuaginta guttis inter epulas capiendum; & vitæ balsamum nostrum, ad inungendas manus & cervicem proposui.

EPICRISIS.

Illustrissimus de quo sermo est æger vi temperamenti, quo pollet phlegmatico sanguinei, ad languidorem solidarum partium motum proclivis est; &, accendentibus quamplurimis mentis laboribus, ac fatigationibus, insignem utique generis nervosi sibi contraxerat debilitatem. Hinc facilime fieri potuit, ut in diuturniori sub aere pluvioso ac nebuloso commoratione, cohibita transpiratione, hemiplecticus suboriretur insultus, tempestiva venæfectione brevi debellatus. Ex tali pluviosa tempestate vero paralyses chronicas & pituitosa nasci posse, confirmat variis exemplis. FORESTUS L.X. obs. 83. seqq. ad quas expugnandas commendat affata præcoctis, victum tenuem & exsiccantem, & ut ægri in aere siccо, & cubiculo caryophyllis suffumigato versentur. Laudat quoque clysteres, primo mitiores, tum fortiores; pilulas de hiera simplices & compositas, nec non cochias. Ad sudorem movendum decoctum bardana præscribit, & denique nucham, spinamque oleo nardino, costino, philosophorum, sambucino, ruraceo, de euphorbio inungendam suadet. Spectat hoc quoque insignis locus apud GALENUM de locis affectis cap. IV. Quidam tempore frigido & pluvioso madidо.

*madido pallio collum diutius obvolvit,
unde in manus paralyсин incident.*

OBSERVATIO XIII.

*Bim-
plute
sum sub-
sequente
mortis.* Vir quinquagenarius, temperamen-
ti sanguineo melancholici, vietu du-
riori, & crasso, nec non vini ob pa-
simoniam spiritu frumenti, floribus
papaveris rhæados tincto, cerevisiaque
valde tenui & lupulata, & nimio Ta-
baco usus, atque lucubrationibus, an-
xiis curis & iracundia deditus, & epe-
numero ictero, a crebra ira inducto,
satisque pertinaci laboravit. Aliquando factum est, ut mane sanus surgens,
& jentaculum assumens, ob frustula
placentæ in asperam arteriam delapsa,
validissima tussi, cum vehementi pe-
ctoris concussione, vultus tumore ac
rubore, & lacrymarum profusione sti-
pata corriperetur. Sedata motuum
violentia, robur sinistri lateris labefac-
tum erat, adeo, ut nec artus, nec
corpus moveare, nec pedibus inniti po-
tuerit. Deportabatur in lectum stra-
gulisque obruebatur; sed malum in-
crecebat citissime, & lingua non mi-
nus, quam totum latus linistrum re-
solvebantur penitus. Medicus vocatus
sanguinem e brachio dextro detrahen-
dum curavit; sed sine ullo levamine;
æger potius gravi sopore obrutus jace-
bat, subque eo dextrum brachium ve-
hementer agitabat, expergefactus si-
nistram attollere nequibat palpebram,
assumta deglutire vix valebat, alvum
cite deponebat, & urinam per biduum
retentam largiter emittebat. Nec si-
lentio prætermitti debet, sub invasio-
ne hemiplexiae vomitus quosdam mul-
ta pituitosæ ac biliosæ materiæ super-
venisse. Vixit in tam misero statu per
septem dies; quibus elapsis crevit so-
por & memoria abolitio, & deum,
frustra usurpati variis medicaminibus
exspiravit.

EPICRISIS.

Discimus ex hac morbi historia i)

quod a validiori pectoris per violentam
tussim & concitatiorem exspirationem
commotione, sanguis tanto cum im-
petu ad caput urgeri queat, ut minus
respondente ejus per venas regressu fa-
cillime in partibus capitinis internis sta-
gnare, & serum extravasari possit.
Contingit hoc eo facilius in subjectis,
quaæ crasso, copiosoque sanguine, &
alvo segniore pollent; atque quibus
debilitatum est cerebrum, genusque
nervosum. Quæ omnia in præsenti lo-
cum inveniant ægro quippe qui diæta
crassa, & spiritus frumenti, papavere
rhæados tincti usu crassos succos, per
graves vero meditationes ac ærumnas
nervosi generis imbecillitatem, sibi-
met omnino contraxisse videtur.

2.) Omnim malorum caussa in se-
ri stagnatione quærenda est; quod si-
cuti circa spinalis medullæ principium
hærens, hemiplexiam parit; ita cor-
ticem cerebri inundans soporofum pro-
duxit affectum. Et pessimi semper in
hemiplexia prælagii est, si lateris sani
convulsivæ agitationes accedant, &
malum cum vomitibus invadat: tum
enim gravior est præsumenda partium
internarum læsio.

3.) Quanquam tales morbi opem
eludant, tamen religiosam medicum
non decet, ab eorum curatione manus
subtrahere. Cardo autem rei in eo ver-
titur, ut sanguis per venæsectionem
imminuat; clysteres paullo acrieres
injiciantur; velicatoriorum nuchæ ad-
moveatur; Spiritus volatilis naribus
offeratur; capiti raso epithema ex ace-
to rosaceo, rutaceo & Spiritu vini
camphorato paratum imponatur; &
Spinalis medulla limimentis nervinis
inungatur.

4.) Denique monemus, ut omnes
senes, plethorici, & qui sunt debilio-
ris cerebri, sibi sedulo caveant ab om-
nibus rebus, quæ pectus in motum
concitare & tussim ciere valent. De
paralyticis & hemiplecticis morbis legi
possunt CONSULT. MED. Tom. I.
Sect. I. rafu XVI. ad XXVII.

C A P U T II.

DE AFFECTIBUS SOPOROSIS.
COMATE, CARO, ET
LETHARGO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*D: so-
porosi-
affec-
tibus per
quam
confusa
apud
Medico-
et biro-
ris.*

Affines apoplectis & paralyticis, & cum iis scepnumero conspirantes sunt morbi soporosi: quorum tam confusa, tamque intricata apud medicorum plerosque reperitur historia, ut cui credant, dubii omnino relinquant letores. Hinc quidam Medicis, velut HOLLERIUS & RONDELETIUS multas de ea confusionem habuerunt querelas & ne eam committerent HARTMANNUS, RIVERIUS, & PAULUS BARBETTE, de morbis iis generatim potius, quam singulis speciebus agere maluerunt. Verum, quo magis eorum causas, & his innixam curationem variare, ex infra dicendis patebit: eo curatus quoque signorum diversitatem esse attendendam putavi. Et quæ hac in recessu, ac diuturna me docuit experientia; mihi nuper BARTHOLOMÆI de MOOR *Pathologiam cerebri* perlegenti, ita videbantur comparata, ut cum iis observationibus, quas clarissimus vir Cap. VII. de affectibus soporosis memoriae reliquit, exacte convenient. Sequare igitur ipsius ordinem, eaque nomina, quæ huic vel illi somnolentia speciei imposuit, omnino retinebo.

§. II.

*Sopor-
osorum
affectuum
defini-
cio
differ-
tia.*

Per soporosos affectus intelligo præternaturalem in somnum propensionem, ipsumque ut plurimum soporem inexpugnabilem, mox sine mox cum febri stipatam, ab impedito fluidi nervi in medullam cerebri oblongatam, ipsosque sensui motuique tributos ner-

vos sufficienti influxu propullolantem. Plures horum morborum recensentur species quarum præcipias coma vigil, somnolentum, carus & letargus constituunt. Omnes in eo convenient, quod in iis præternaturale circa somnum occurrat vitium: attamen ratione gradus, caussarum & curationis omnino differunt, adeo, ut neuti, quam sit alienum ejusvis speciei genium pressius rimari.

§. III.

Coma vigil hisce se prodit notis: *Historia
Aegri conqueruntur de capitis dolore, Comatis
magis tamen ardente, & velut expan-
sivo, cum sensu ebullitionis intra caput stipato; maximopere in somnum
propendent, illumque anxie anhelant:
attamen vel prolsus nequeunt dormire,
vel si obdormiscant, mox parum
levati expergiscuntur, ab omni adhuc
immunes delirio. Neque enim ante-
cesserunt hunc affectum diu protractæ
vigiliæ: unde ii, qui post longas vigi-
lias a somno sibi temperare nequeunt
(de quibus vulgo dicit: Die sind
Schlaftrig, und sonnen doch vor Mat-
tigkeit nicht schlaffen:) nondum comate
hoc laborare censendi sunt. Differt
etiam coma hoc a pervigilio, quod fa-
miliare est acutis febribus: hoc enim
nullam ad somnum proclivitatem ha-
bet comitem, (unde vulgo dicunt;
Et fann nicht schlaffen, flagt auch
nicht daruber: quæ tamen comatosis
est molestissima. Malum hoc semper
est symptomaticum; siquidem acutis;
ardentibus, malignisque febribus, &
inflammationi matrisduræ scœpe tan-
quam symptoma jungitur, inque his
non raro phrenitidem antecedit. Idem
vero symptoma hemiplexiam inter-
dum comitari, nonnullis mihi inno-
tuit exemplis, quorum unum in CON-
SULT. MED. Tom. I. Sect. I. Cas. XX.
pag. 91. legere licet.*

§. IV.

Somnolenti comatis hæc fere sunt signa: ægri languentes, a febrili in-*Historia
Comatis
somno-
lenti*
cendio prolsus liberi, nec fere haben-
tes, de quo conquerantur, nisi de af-
fidua

sida somnolentia, contra voluntatem semper dormiunt, somnoque scipiis inter edendum cum amicis colloquendum, vel munera obeundum obruuntur profundo: per intervalla vigilant, sed brevi post somnolenti rursus obdormiscunt. Hoc malum senes potissimum, qui lauta diæta utuntur, sanguinisque negligunt missiones, corripit, nec parcit juniori ætati, si idoneæ concurrant cauæ. Est etiam idiopathicum semper; & in eo a vigili simul se distinguit comate, in quo anhelantes somnum, ejus participes fieri nequeunt; quo comate somnolento affecti, abunde fruuntur. Hujus exemplum exstat in CONSULT. MED. T.I. Sect. I. casu XV.

§. V.

Carus est sopor profundissimus, ex quo ægroti nec per clamores, nec agitaciones, nec si vel eos acu pupugeris *excitari* possunt; aut quamvis sentire acus stimulum videantur, tamen vel non loquuntur, vel mox in priorem relabuntur soporem. Jacent attonitorum instar; ac spiratio ferme naturalis, & dormientium similis est. Malum vel idiopathicum est, vel symptomaticum; & saepe febre stipatum: sed, hoc optime monente BARTHOLOMÆO DE MOOR Cap. VII. pag. 198. tres exhibet species. Prima est, quæ sociatur acutis febribus, circa earum principium, vel incrementum; cui nonnunquam convulsiones superveniunt ac singultus, vitæ imponentes finem. Altera est, cum ægri post toleratas vehementiores acutas febres ex insigni infirmitate altos incident sopores, inque iis per aliquot dies permanent, excitati ad interrogata respondent, mox vero iterum obdormiscunt, & tandem expergefacti, ad se redeunt, omniumque, quæ sub eo sopore loquuntur, insciæ convalescent: cuius mali mentio fit in CONSULT. MED. Tom. I. Sect. I. Cas. XIV. pag. 60. Contingit etiam talis sopor per febres acutas, maxime exanthematicas circa dies

criticos; tumque sudore junctus optimum exhibet præsagium. Tertia species cari occurrit in morti ex febre proximis: per unum enim alterumve ante mortem diem ægri febrili tyrannide cunctis exhausti viribus, sensu motuque destituti, ac alto sopore oppressi jacent, subque eo exspirant animam.

§. VI.

Qui denique *æw's vñs nñs* *ab obli-* *vione dicitur, lethargus,* *est gravis* *lethargi-* *affidusque sopor, quo ægri perpetuo-* *sine vigiliarum fere intervallis, tan-* *tum abest, ut hæc tam longa sint,* *quam in comate somnolento, obruuntur.* *Excitati respondent, sed eorum* *instar qui ab alto & tranquillo somno-* *præmature suscitantur, dictorum ne-* *scii, & oblioviis in pristinum mox re-* *labuntur soporem: quidam matulam* *poseunt, manuque tenent, mingendi* *tamen memoriam, mox iterum ob-* *dormiscentes amittunt, vel oscitantes* *os claudere oblitiscuntur. Sic a comate* *sommolento patet differentia. Jun-* *gitur autem, & quasi Symptoma le-* *thargo supervenit febris, quæ mitior* *est magisque pulsuum femet exferit* *frequentia, & spiratione rara febrili-* *que: Hinc discrepat a caro, qui sa-* *pius est febrium vel symptoma, vel* *conlectarium, & sentiendi quoque* *impotentiam habet comitem. Differt* *etiam ab apoplexia, quæ subito invadit,* *cum omnium & sensuum & mo-* *tus voluntarii abolitione, ac stertore,* *etiusque necat, quam lethargus;* *quippe qui ultra septimum non raro* *producitur diem.*

§. VII.

His morborum soporosorum histo- *riis præmissis, addemus sectiones ana-* *corporis* *tomicas, iis denatorum, atque tunc* *soporo-* *causarum perscrutationi studebimus.* *Nobis* *Pleraque* *nobis suppeditat solertiſſi-* *florum* *mus BONETUS, qui in anatomia* *eius practica, quam sepulchretum ana-* *tomie vocat, Libr. I. per tertiam* *eamque integrum sectionem, soporo-* *sis affectibus extintorum anatomias* *exhibit. Ampla nimis foret recensio-*

omnium, quæ adducit, exemplorum sufficiat, summa illorum allegasse capita. Sic invenit in plerisque serum copiosum per cerebri substantiam diffusum, ita tamen, ut pars ejus potissimum exterior, seu cordicallis cum meningibus, aquis fuerit inundata: & simul adnotat, quod in quibusdam interiora, ac penetralia cerebri salvo cortice, extravasato sero repleta videbit, ea vero subiecta per totam vitam soporofo neutquam laboraverint affectu. Hoc diluvium cerebrinum, quo magis ad medullam cerebri penetravit; eo majorem soporis gradum per vitam fuisse animadvertis. Deinceps invenit quoque in sopore peregrinis abscessus, scirrhos, tumores in cerebro: sed hi quoque non aliam quam anteriorem & corticalem ejus regionem obfederunt. Et denique in nonnullis, cerebro existente sicco, & a serosa colluvie libero, deprehendit vas a pia potissimum meninges crux erasso admodum farta distenta, & velut varicosa: cumprimis in lethargicis membranas cerebri inflammatas vedit Johannes Faber Lyncius; teste HARENDEZ L.IV. cap. 18.

§. VIII.

Observationes de sopore. Indolem nostrorum affectionum illustrandi caussa, addemus adhuc quasdam observationes hoc spectantes. WEPFERUS & PEYERUS canibus per plus minus graviorem cerebri a crano denudati compressionem, arte soporem conciliare docuerunt: & per quam notabile est exemplum ejusdem mendici Parisiensis, cui casu quodam magna crani pars depedita & cerebrum denudatum fuit. Hic ex leviori cerebri compressione oculorum obtenebrationem; ex paullo fortiori, aurium tianitum; ex adhuc graviori vertiginem & soporem passus; & cefante pressione, ab iis iterum liberatos fuit symptomatis. Conf. BORETII diff. de epilepsia ex depresso crano. Cui quidem observationi maiorem affundit lucem, crani per trepanum a chirurgis fieri solita terebra-

tio; qua, in subjectis ex sanguinis inter cranium & cerebrum facta extravasatione, & hinc pendente cerebri pressione soprosis, educto ope trepani stagnante humore, protinus sensus redire, omnemque soporem discuti per fide dignas compertum habemus observationes. Ex quibus certo concludimus, quod materialis caussa affectionum soporosorum intra corticalem cerebri substantiam primario & originaliter continetur.

§. IX.

Jam ex physiologia (vid. SYSTEM. Causa MED. Tom. I. L. I. Sect. III. Cap. VI. §. 3. proxi- seqq.) repetimus, somnum natura- midistea ab influxu fluidi nervi in nervos effectu sensibus, motibusque voluntariis tri- soporo- form- butos imminutiori, ac languidiori de- pendere: hunc vero languidiori influxum partim ipsorum nervorum relaxacioni, partim fluidi nervi penuria, partim tardiori sanguinis per vasa cerebri & membranarum circulo deberi. His cum iis, quæ præcedentibus paragraphis dicta sunt, collatis, sequitur, caussam proximam affectionum soporosorum esse valde languidum ac imminutum fluidi nervi ex cortice cerebri in hujus medullam & inde in nervos sensui motuque dicatos influxum. Caussæ hunc influxum præter naturam impedientes tres potissimum esse videtur; nimurum vel nimia fluidi ipsius penuria, vel tubolorum illud vehementium laxitas, vel denique compressio cerebri corticalis, eaque seu per sanguinem tardius per cerebrum & ejus involucra progredientem, aut plane stagnantem, seu aliam peregrinam, dicto cortici incumbentem materiam facta: unde medulla undique cortici adnexa comprimitur simul, & ideo non satis fluidi recipere potest.

§. X.

Quum vero plures affectionum soporosorum sint species; singulam per scrutemur curatus. Vigil coma, medius quasi inter pervigilium, & affectus soporosos morbus, ubi somni desiderium inexplicabile urget, licet ipse

capi nequeat, est Symptoma vel hemiplexia, vel febrium acutarum, maxime cum duræ meningis inflammatione junctorum, & scepis antecedit phrenitidem. Caussam ipsius mixtam esse debere, qua in uno cerebri loco fluidi nervi influxus languidior, in altero austior sit, quilibet pervidebit facile. Consideremus ergo, num talis caussa in dictis morbis locum habeat. Quod febres acutas attinet, sic concludimus: Si in iis coma vigil ut plurimum antecedit phrenitidem, quæ juxta MED. SYSTEM. Tom. IV. P. I. Sect. II. C. V. §. I. seqq. ab inflammatione membranarum cerebri suboritur, & nostris in regionibus symptomatice ut plurimum febribus malignis exanthematicis supervenire solet; si etiam cum dolore ardente ac ebuliente complicitum est: vero videtur simillimum coma vigil in iis febribus pro caussa mediata agnoscere, membranarum cerebrum involventium incipientem in uno loco inflammationem. Quum vero inflammatio supponit sanguinis auctiorem ad locum quandam congestionem, & plane stagnationem: necesse est, ut inde cerebri corticalis pars quædam comprimatur, & hinc introitus fluidi in medullam imminuat, cum insequente somnolentiæ effectu. Hoc dum in uno cerebri sit loco; in altero tamen a sanguine per febrilem motum celerius agitato, jugis fluidi nervi perennat secretio; quæ, quo est copiosior, eo magis vigilias inducit, nec praesentem ad somnum proclivitatem in actum deduci sinit. Quicquid igitur in febribus acutis sanguinis orgaſmum adaugere, ejusque copiosiorem ad caput progressum adjuvare valet: illud remote ad coma vigil inducendum contribuit; veluti sunt remedia spirituosa, calidiora, alexipharmacæ, regimen justo calidius, refrigeratio extremorum in variolis.

§. XI.

Qua coma vigil ratione jungi queat
hemiplexia; explicatu facilissimum est.

Si enim perpendimus, in eo affectu *in hemiplexia* nervorum principum in uno latere *plenis tantum* comprimi, & sic influxum *obvii &c. fluidi mobilissimi* in unum duntaxat *latus impediti*, altero immuni; mox quoque intelligemus, quod in uno loco & latere pervigilii, in altero somnolentiæ, ex quibus componitur vigil coma, latere possit caussa: eo quod succus nervosus denegata in uno latere secretione ad alterum eo copiosior feratur; quod inter alia integræ lateris convulsivæ testantur agitationes. Verum cur non omnes hemiplectici sunt comatosi? Legas, quæ §. VII. ex BONETO allegavimus, & invenies, solam principiæ nervorum compressionem non secum semper habere soporem, nisi simul corticalis cerebri substantia fuerit vitiora.

§. XII.

Coma somnolentum, frequentior profecto, quam lethargus & a febre *comatis somno-* semper vacua affectio *tenti & bet* caussam, qua transitus fluidi nervi ex cortice in medullam non in uno *lato-* loco, sed per totum impediri potest cerebrum. 1.) Talis est nimia relaxatio canalium sanguinem per cerebrum videntium, ob quam nec sanguis vegete progrebi, nec satis fluidi secerni potest: sicut fere fit in senibus plethorici. 2.) Sanguinis, præsertim spissi ac impuri difficilior per caput circulatio, & inde pendens cerebri compresio. Hinc plethorici sunt somnolenti, hinc scorbutici, & hypochondriaci hunc frequenter incurvant soporem, eoque magis, cum per imi ventris spasmus humores eo copiosius compellantur ad caput: hinc quoque petenda commatis somnolenti ratio, quod, teste RIVERO, pueris lumbricis vexatis nonnunquam evenit; siquidem hoc in casu per abdominis spasmos vitales succi coguntur ad superiora. Hinc valde plethorici, accidente caussa sanguinem nimium commovente & expandente, ut ebrietate, profundo immergi solent sopori, eoque plane necari. 3.) Seri nimia per membranas cerebri, illud-

Iudique ipsum collectio ac plane extravasatio: unde aurum manationum, coryzae, ulcerum improvide suppressiones, & exsiccationes, ad id morbi genus contribuunt; nec rarum est, ischuriam seu plenariam urinæ suppressionem presso pede coma sequi somnolentum, quod restituto urinæ fluxu, protinus cessat.

§. XIII.

Cari, ejusque prima species atbiola. gis. Cari prima species, quæ in principio, aut vigore febrium acutarum maxime synocharum nonnunquam, nec nisi in valde plethoricis, occurrit, dependet ex nimia sanguinis abundantia & ebullitione, qua cerebri & ejus membranarum vasa adeo expanduntur, ut compriment mollem cerebri substantiam, & nervosi succi introitum in medullam per totum impediant caput: unde succus ille per cerebellum in partes, functionibus vitalibus praefectas eo copiosior impellitur, cordisque systole efficit vehementiorem. Hinc cognitu facillimum est, cuncta exastuanta, ac commoventia remedia in iis febribus adhibita, nec non intermissam venæfectionem, remotius narcoticorum, ad concilianendum somnum, inepte exhibitorum abusum proximius ad carum in febribus producendum, multum conferre.

§. XIV.

Cari, injusque secundae species atbiola. gis. Ad cari alteram, quæ post supertas fere acutas febres sequitur, speciem plures contribuunt caussæ. Non enim ignorari oportet, per febrile incendium tam fluidas, quam solidas partes mirum in modum alterari: solidæ scilicet a naturali vigore & toni dejiciuntur, fluidæ vi continui attritus resolvuntur, & transeunt in crasis cœconomia vitali non nimis amicam. Namque humidior ac generosior succorum vitalium pars, non accedente novo nutrimento, dissipatur, perque varia loca e corpore proscriptur: & hinc resultat fluidi nervei penuria, lymphæ serique vappida, & quasi gelatinosa consistentia, ipsiusque sanguinis coagulum. Concurrentibus igitur 1.) va-

forum debilitate, 2.) nervi succi penuria, 3.) cerebri compressione a sanguine difficilius per illud progrediente facta non fieri potest, quin sopor præternaturalis, cum sensuum imminutione suboriatur. Quod eo fit facilius, si per febrim potentiora pharmaca, solidas partes debilitantia, vel plane narcotica fuerunt adhibita. Et si hæc fluidorum solidorumque vitia nimis invaluerint, uti fere in tertia cari sit specie: subsistunt tandem coagulati inertesque succi in debilitatis vasis, extravasantur, & sic vix evitabilem accersunt mortem.

§. XV.

Lethargi denique sunt eadem causæ, *Lethargi, gis, grisei, logia,* quas comati somnolento tribuimus, nisi quod in eo graviores sint, ac profundius corticalem cerebri substantiam penetraverint, adeo ut non sopor tantum inducatur, sed sensus quoque externi & interni elangescant. Cardo rei in eo vertitur, quod in comate perinde ac caro nulla adhuc existat sanguinis vel seri extravasatio, sed hæc demum tanquam effectus producatur, & in apertis post mortem craniis conspicatur. Præsto potius in iis soporosorum affectuum speciebus est circulus sanguinis per vasa meningum, & cerebri corticalis valde debilitata difficilis, ejusdemque plus minus serosi stagnatio: at lethargus pro causa agnoicit vel seri tenuioris per arteriarum poros factam secessionem, vel plane extravasationem.

§. XVI.

Distinguitur vero lethargus a caro *Differet, dum lethargici excitati respondent, etiam se- carotici vero minus.* Est quoque di- *parum ab aliis morbitis,* scrimen inter apoplexiā & soporem; nam in illa respiratio est difficilis ac de- finit in paralysin, quod non sit in caro. Differit quoque a syncope, in qua pul- sus parvus vel admodum obscurus & languidus ac facies cadaverosa; earo- tici pulsus magnus & validus est, & color faciei potius floridus. Neque minus differt a præfocatione uterina, quod præfocatae sine omni respiratione sunt,

sunt, & postea intelligunt & recordantur; in caro autem in paroxysmo non intelligunt, nec recordantur; oculos semper clausos habent, & si aperiunt, statim claudunt.

§. XVII.

Cantus remoto et effusus. Quemadmodum ex dictis speciales & proximæ affectuum soporosorum caussæ clarissime persipientur: ita generatim sciendum est, quod iis producendis aptissima sint omnia, quaæ ad difficiliorem humorum per vasa cerebri & meningum circulationem, eorumque stagnationem conferunt, & vim vasorum membranarum elaticam labefactant. Quo nomine remotissimis caussis accenseri merentur corpora cacochymica, cachectica, scorbutica, viribus defraudata, a nimio mœrore, tristitia, vel diurno morbo, enormi sanguinis profusione debilitata: abusus pótuum inebriantium, Spiritus vini, cerevisiæ valde spirituosa & lupulata, frequens cra-pula, habitatio in conclavi humido, ubi densus vappidusque aer est, nec non aeris humida ac nebulosa, Zephyri flatu prægnans constitutio, hiemalis tempestas, & Tabaci abusus.

§. XVIII.

Castus tenuis. Præterea quam sc̄opissime in praxi licet observare, in subjectis sanguinosis, sanguineo phlegmaticis, obesi habitus, sanguine plenis ab hæmorrhoidum, meusium, & cujuseunque hæmorrhagiæ solennis ac criticæ suppressione, coma somnolentum, vel etiam lethargum excitari. Nec rārum est, eosdem affectus a sudorum præsertim matutinorum, atque criticorum cohitione, nec non serofarum excretionum suppressione, oedematoforum pedum repentina gracilitate subito generari: quid? quod in iis, qui cerebri sunt imbecillioris, a nimia potus vinosi in corpus refrigeratum ingurgitationes, vel a corporis vino farti & calentis refrigeratione, repente sopor altus cum omnium sensuum stupore producatur, brevi tam tempore absque periculo transeat.

Tom. IV. Pars IV.

Non minus comatosi lethargicique affectus introduci deprehenduntur ab arthrici, podagricique doloris quotannis semel bisve ante reūntis cessatione: & observavi lethargum in asthmate convulsivo, revocato ad articulos dolore, una cum astmate fuisse debellatum. Huc denique spectat nimius ac intempestivus vaporosorum usus: unde ab absynthiacis & opiatis largedatis, papaveraceis, fumo sulphuris, vapore carbonum ardenti, intra arctius spatiū inclusō, in subjectis imbecillibus, graves & plus minus periculosos produci sopores non raro animadvertisimus. Nimius quoque suaveolentium usus nocet. STRABO L.XVI. narrat Sabæos populos incidere in hunc morbum ex odore & fragran-*tia fructuum & florum in hisce regionibus productorum.* Novi exempla, ex continuo suaveolentium usu omnem odoratum ex toto deperditum fuisse, eo quod membranis cerebri & nerveis narium atoniam inferre videntur. Ad soporosorum affectuum causas pertinent etiam violentiæ capiti illatæ, sic GALENUS L. de instr. odor. Cap. VI. numerat inter eas cerebri compressionem factam a Chirурgo, qui perforavit cranium, & membranam cerebrum ambientem; & ego, inquit MERCURIALIS in pralect. Batav. p. 22. quandoque vidi ex importuna perforatione craniæ a Chirурgo vulneratum quandam statim factum esse catrotium.

§. XIX.

Soporosorum affectuum prognosis non adeo leta, sed pro-causarum gravitate plus minus infusa est. Et vigil quidem coma persæpe phrenitatem ac convulsiones funestas prænuntiati, inque malignis febris non raro in emortualem transit soporem. Si ve etiam somnus profundus testante HIPPOCRATE in Coac, interdum in febris significat firmam crisi & non est malum. Quando dolores caro coniuncti sunt, teste eodem Hippocrate l.c. convulsionem significant. Quo se-*niora*

niora sunt corpora, & quo magis debilia, impurisque sueticis pregnantia, eo majus portendit periculum coma, facileque, monente præfertim Mercato L.I.C. 12. in mortiferum terminatur lethargum. Carus quo gravior juncta est febris, & quo pejores ejus notæ, urinæque crudiores, eo periculosior attamen prima secundaque species non raro debellatur, tertia nunquam non lethalem exhibit eventum. Lethargus nunquam periculo caret, is tamen pessimus, quem artuum tremor, & gelidus faciei sudor comitantur.

CURATIO.

§. I.

Indications curatio- **M**orbos soporosos curaturo, tres generatim incumbunt medendi intentiones, quarum prior est, ut ægrum e sopore excitare annitatur, altera, ut sanguinis & humorum difficultem per caput circuitum, stagnationem, vel extravasationem removere conetur; & tertia, ut robur membranarum vasorumque cerebri deperditum instaurare laboret.

§. II.

Prime indica- Soporem discutiendi, ægrotumque excitandi vim ea possident remedia, quæ principio subtili ac penetrante in nervosas partes, eas agitando, vellendo, tremulumque & oscillatorium per universum nervorum sistema motum inducendo agunt. Huc spectant 1.) potentiora acida, & ex his palam præ reliquis obtinet Spiritus chryallorum veneris, qui nihil est, nisi Spiritus aceti concentratissimus, & cum essentia castorei mixtus, admotusque naribus, penetrantissima agilitate cuncta superat: 2.) Salia volatilia, velut est, spiritus salis ammoniaci urinosus cum calce viva paratus, qui vertici admotus, vel quod consultius est, naribus inditus sternumentum movet, ac torporem soporemque discutit egregie. 3.) graveo-

lentia, ut galbanum, pennæ perdicū &c. accensa, ut odor gravis nares feriat. 4.) Aqua frigida repente toti capiti infusa, quæ membranas cerebri simul roborando promte somnum excutit. 5.) cataplasmata ex aceto forti, ruta, foliis lauri, summitatibus Satureiæ, semine sinapi, castoreo, camphora parata, rasoque capiti, fronti ac temporibus admota.

§. III.

Eorum vim secundant, & simul se-
rosam, si peccaverit, e capite collu-
viem. 1.) sternutatoria, quæ inter
primas meretur sal vitrioli albi, si ejus
grana decem in dimidia aquæ majora-
na uncia fuerint soluta, & naribus
hausta. 2.) vesicatoria e cantharidi-
bus paullo latiora, & pedibus, nec
non cervici imponenda; quippe quæ
& solidis nervosis partibus motitatio-
nem inducunt, & seruos revellunt
humores. 3.) cucurbitulæ vel cum vel
sine scarificatione nuchaæ applicatae.
4.) frictiones validæ partium inferna-
rum, 5.) clysteres acriores. 6.) Nec
satis laudari possunt enemata paullo
acriora, ventri infusa; quibus sal
gemmæ vel commune, vel etiam squil-
læ radix stimuli loco commodissime
additur.

§. IV.

Excitato horum ope a sopore ægro, Alterum
restat, ut restituatur æqualis humo-
rum per totum corpus circuitus, &
subinde corroborentur debilitatæ par-
tes. Favet priori scopo sanguinis mis-
sio, in ipso sciepius sopore, si turgeant
cruore vasa, instituenda, multoque
magis, discusso somno, ad ejus præ-
servationem administranda. Tum
quoque si primæ regiones sordibus onus-
tae, vel spasmis sint obsecratae, blando
laxante alvum moliri oportet. Sta-
gnationes humorum discutiendi, si-
mulque partes infirmas corroborandi
virtute gaudent nervina, nupta dia-
phoreticis: ex quibus magnam me-
rentur commendationem essentia li-
gni aloes, succini, cum spiritu lilio-
rum convallium, salis ammoniaci,
&

& antimonii tinctura acri remixa; vel sal cornu cervi, cum sale succini, cinnabari antimonii, vel bezoardico minerali in pulveris formam redatum.

§. V.

*Transfervatio
marborum sa-
propositum.* Denique recurrentes soporum insul-
tus præcavere licebit partim victus re-
cta servata ratione, partim causarum
eos inducentium remotione. Et quum
sanguinearum excretionem suppressio,
vel motuum arthritico-podagricorum,
haetenus consuetorum silentium,
ad id mali generandum, plurimum
contribuant: hand ludet operam, qui
revocandis istis & fluxionibus & doloribus
operam navabit, eorum legitimum
conservabit successum. In vietu
vitanda otium, ebrietas, cibi coctu
difficiles & spirituosa: corpus movea-
tur sedulo: repletio omnis est vitanda;
quemadmodum jejunare aut parce nu-
triri optimum est; a pescibus, lacte,
caseo prorsus abstinentem, & inter
fructus, humidi fugiendi omnes; carni-
bus magis assis, quam elixis vescen-
dum; panis a lolio, quod intermix-
tum esse solet, probe purgari debet:
senes ac debiles generoso vino, tan-
quam eorum lacte utantur; somnum
non diu nimis protrahant; ab animi
affectibus caveant; amicorum confor-
tiis intersint frequenter; commodis
peregrinationibus delectentur; alvi-
nam perinde ac cutaneam current ex-
cretionem; nec sanguinis adsueta mis-
fiones statim repetere obliviscantur tem-
poribus.

CURA SPECIALIS, ET
CAUTELÆ PRACTICÆ.

§. I.

*Comatis
vigilis
in febre
duo cura-
ria.* **Q**uemadmodum caussæ affectuum
sopororum, eorumque spe-
cies valde sunt diversæ: ita et-
iam illis medendi ratio non una est ea-
demque. Quare quid auxilii per singu-
las species supersit, videbitus. Co-
ma quidem vigil, uti plerumque in

malignis febribus a nitia sanguinis
mole, & imminente membranarum
cerebri inflammatione suboritur: ita
exposcit ea omnino remedia, quæ nec
ipsi febri sint præjudicio. Et hoc fine
venæselectio, si febris haud ultra ter-
tium quartumque duraverit diem,
larga debet institui: ut confirmant
GABELCHOVERUS Lib. I. §. 8. &
FORESTUS Lib. X. obs. 34. Misso
sanguine alvus, si sit obstruēta, cly-
steribus, minus tamen acrioribus li-
quanda: tumque exhibenda remedia,
quæ diluendo temperandoque humo-
res, astum illorum coercent. Quo
quidem nomine præter pulvilos abfor-
bentes, leniter nitrosos, cum anti-
monio diaphoretico & aquis diapnoi-
cis ac analepticis in potiunculam reda-
ctos, nec non emulsiones leniter pa-
paveraceas; magni usus in malignis
sunt acidulata. Et placet sane mihi
julepus, quem ex roob ribium tribus
uncis, in aquæ fontanæ libris duabus
solutis, & cum Spiritu vitrioli ad gra-
tam aciditatem permixtis conficien-
dum docet LOTICHIUS. Spiritus
nitri dulcis ob temperantem pariter ac
blandam anodynæ vim, usus est
egregii. Nec sua laude carent exter-
na, velut cataplasmata cum aceto pa-
rata, unguentum alabastrinum, tem-
poribus admotum, animalia viva dis-
fecta, & imposita capiti: non negle-
cto quieto blandoque regime.

§. II.

Vigil, quod hemiplecticis familia-
re coma, ut diuturnus, ita curatu-
matis est difficilius. Parum præstabit, qui
solum symptoma, neglecto principa-
li morbo adgredietur: nihil supereft,
nisi ut hemiplexiæ ea, quam præce-
dente capite notavimus, rarione me-
deamur; tum enim sponte sequetur
somnus naturalis.

§. III.

Carus, ejusque prima species, lar-
gam, si nondura clapsa fuerit com-
moda occasio, venæselectionem, ex-
poscit: cui jungenda dormientis exci-
tatio per clystres, squilla acuatos,

vesicatoria ; aceti destillati in nares immisionem ; tumque intrinsecus per temperantia , diaphoretica fixa , & acidula humorum orgasmus compонendus . Altera cari species , quam sc̄epe sit critica , nihil fere opis medicæ exigit ; sed sibi relicta , sanitatem secum fert . Tertia , eaque pernicioſſima , vix admittit medelam : attamen tentare juvabit , an aeger vesicatoriis queat excitari , tumque diluentibus & analepticis dimicandum .

§. IV.

Curatio somnolentum rectissime di-
somnolentis viditur in serosum & sanguineum .
Illud serosas excretiones vel naturales
sentientia revocari , vel his artificiales substitui
dicitur . Urinæ suppressio accommoda-
frigida tis præsidii referanda ; podagrici mo-
tus pedum frictione , vesicatoriis , la-
xantibus , balneis tepidis invitandi .
Juvant hoc loco sternutatoria , edu-
cendo per nares serum , nervisque
motum inferendo . Ubi pituita visci-
da obsidet ventriculum ; operæ facit
preium vomitus arte concitatus : quo
fine pulvis squillæ ad scrupulum dimi-
dium vel unum , aut bina tartari eme-
ticæ grana , laxanti potiunculæ , ut
 diluantur , intermixta , summo cum
 fructu poterunt exhiberi .

§. V.

Curatio somnolentum
Contra vero coma somnolentum ,
somnolentis quod a cauſa calida , i. e. sanguinis
stercoraria per caput difficultiori transitu , vel
stagnatione originem trahit , uti fe-
re fit in hypochondriacis ac scorbu-
ticis , majorem requirit circumspec-
tionem . Quæcunque enim calidiora
ac spirituosa sunt remedia , cane
pejus ac angue fugiantur : hisque
substituantur , clysteres , venælectio ,
blanda laxantia , pulveres temperan-
tes , simul nervini , & id genus
alia . Et hæc quidem omnia circa
lethargum quoque sunt observanda ;
nisi quod efficaciora s̄epius requirat
excitantia .

§. VI.

Curatio affectus
Quicunque soporosi affectus a san-

guinis vel seri extravasatione intra *soporos*
meninges ac calvariam per exter- forū ab
nam violentiam inducta pendent : extera
*non prius sanari poterunt , quam *ta* *ta* *ta**
humoris extravasati per trepanatio- ducto-
*nem eliminatione . Attamen & huic *rum**
operationi si abundet sanguinis mo-
les , præmittenda venælectio .

§. VII.

Sanguinis missionem in soporosis morbis peroportunam esse , facies *Cantab.*
*rubens , oculi crurore turgidi , venæ *circum-**
tumentes , pulsusque arteriarum ma-
gni indicant . Qua administrata , si
floridior vultus color , pulsusque ma-
gnitudo continuet ; spes est recon-
valescentiæ , sed simul opus erit ad-
huc semel secare venam ; eo , quod
non sufficienter facta venælectio plus
minetur detimenti . Quo spissior
præsumitur sanguis ; eo amplior ve-
nis infigenda incisio , ut nimirum
ei solutior pateat exitus .

§. VIII.

Post detractum cruentum , alvus *Circus*
ducenda vel laxante intus dato , ordinem
vel enemate : neque enim , nisi præ-
missis hisce evacuationibus , alia re-
mediorum genera , ut roborantia ,
diaphoretica , sternutatoria &c. ad-
hibere licet ; quoniam major motus
& impetus humorum ad caput per
ea concitatur .

§. IX.

In soporo omni morbo sedulo *Circus*
cavendum a balneis calidis , vapo-
*rosis , & quæ fragranti , olidoque *intensio-**
vapore ad somnum contribuunt .
Multo magis absurdum est , narco-
tica , sulphurea , opiata , crocata ,
papaveracea in usum vocare ; quor-
um etiam pertinent theriacalia ,
quæ veteres his in affectibus præ-
scribere solent ; quia his oleum ca-
mino additur .

§. X.

Externa volatilia , naribus attrahi *Circus*
solita non nisi in soporibus a cauſa
frigida , serosa subortis adhibere li-
cet . Hinc ab iis abstinentum in om-
ni sopore , febrim acutam comitante ,
vel

vel qui a materia erysipelacea, purpurea, exanthematica &c. ad cerebrum devoluta proficitur: ubi potius acida fixa, simul tamen penetrantia, cum fructu inserviunt. Cujus generis sunt oxyrrhodinum, cuius usum AVICENNA & RHASIS jam laudarunt: cui etiam majorana & ruta possunt addi.

§. XI.

*Circa
therma-
rum
insum* Quamvis thermarum, multoque magis acidularum potatio in morbis capitum idiopathicis, non omnino sit suadenda: attamen in soporibus, qui hypochondriacos ex suppresso haemorrhoidum fluxu, vel retroacta podagra cruciant, mirabilem thermarum, quae in Carolinis juxta molendinum scaturiunt, & ab hoc dicuntur, virtutem, in revocandis podagra & haemorrhoidibus, & fugando hinc sopore deprehendi, cuius exemplum in CONSULT. MED. Tom. I. Sect. I. casu XV. allegavi.

§. XII.

*Circa
sternu-
toria
insum* Cavendum maxime, ne ab initio hujus morbi ad excitandum a somno sternutatoris utamur; praesertim in plethorica: eo quod ex intempestivo hujusmodi remedio, major affluxus ad caput fit, ut inde metus apoplexiae immineat.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Circa
cum fe-
brum ter-
tiana
compli-
catus* Vir quinquagenarius, scarificationibus adsuetus, ex diurno moerore & vigiliis contraxit sibi dolorem capitum gravativum, vertigine, ventriculique imbecillitate slipatum; cuius abigendi caussa vinum absynthites mane pariter ac sub cena per aliquod tempus liberalius sumvit. Interim accidit, ut verno tempore, quo febres tertianae grassabantur, postquam gravi exaserbat ira, in libero aere, cœlo existente pluvioso iter faceret, domumque redux in duplice-

Tom. IV. Pars IV.

incideret tertianam. Hujus accessiones cum profundo incipiebat sopore, ad duodecim sœpius durante horas; quo diffusso calor satis mitis excipiebat, & hunc demum sudor sequebatur. Quam scenam paroxysmi septies ludebant, & omnes, quæ ad somnum propellendum adhibitæ erant, medicinas volatiles, purgantes & excitantes spernebant; adeo, ut majora potius fumerent incrementa. Vocatus ego tribus ante paroxysmum horis lena dedi emeticum, quod aquæ menthae unciam unam, tartari emetici grana duo, syrapi cinamomi drachmam unam habebat: quo sumto, miram colluviem pituitæ lentæ ac viscidæ nec non bilis valde crassæ, oleaginosæ, & ut dicunt vitellinæ evomuit. Sequens paroxysmus longe fuit mitior, & quod notabile, sopore caruit. Hinc idem remedium, interjectis aliquot diebus repetitum, una cum aliis antifebrilibus & febrim & soporem prorsus fugavit.

EPICRISIS.

Si soporis, qui febre nostram comitatus est, nomen indagemus; illum ad cari titulum referendum esse, qui vis facile judicabit, qui soporosorum affectuum supra positas historias legit. Carus autem hic non nisi symptomaticus est, & una cum ipsa febre saburram biliosam & pituitosam, primis in regionibus stabulantem pro causa agnoscit. Quum enim in febribus intermittentibus, maximeque tertiana omnes circa primas vias sitæ nervosæ ac membranaceæ partes spasticè constringuntur: non potest fieri, quin succi vitales copiosius ad caput compellantur. Quod quia a prægressis moerore, vigiliis, & vini absynthiaci usu in præsenti æstro nimis debilitatum videtur; stagnantes in cortice cerebri humores facile potuerunt soporem concitare; qui resuente sub paroxysmo caloris a capite per totum corpus sanguine, sponte cessavit.

C 3 Propterea

Prorsus igitur curaruto hunc affectum incubit, ut spasmi primarum viarum causam, quæ est saburra bilioso viscida, removeat; quod ope vomitorii brevissima fieri potuit via.

OBSERVATIO II.

Coma somno lassitudine scorbuticorum. Vir temperamenti sanguinei, habitus spongiosi, in locis degens paludosis, & crasso crudoque utens victu, febre tandem intermittente corripiebatur: qua cessante, totum corpus admodum languebat, crura magno dolore, tantaque lassitudine affiebantur, ut vix incedere potuerit, urinæ absque siti & molestia rufescabant, & arteriarum pulsus erant debiles. Brevi vero post in præternaturalēm incidit somnolentiam, qua interdum per totam fere diem alto sopore obrutus jacebat, dein vero per aliquod tempus iterum vigilabat. Opposita huic malo remedia fuerunt succus nasturtii aquatichi, cum jusculis crebro sumtus; Spiritus cochleariae cum spiritu salis ammoniaci mixtus; & per intervalla aqua vitæ emetica, quæ sursum & deorsum copiosam eduxit saburram. Præterea a vino abstinuit, & pro potu ordinario decocto satureiæ, majoranæ & chamædrios cum passulis concocto usus fuit: indeque fugata somnolentia, pristinam recuperavit valetudinem.

EPICRISIS.

Præsens affectus omni jure nomen comatis somnolenti scorbutici tuetur; quod nimis ab humoribus viscidis, lentescientibus, & impuris, per minutissima cerebri vascula difficulter progredientibus, ibidemque stagnantibus suos mutuatur natales. Eidem scorbuticæ succorum diathesi reliqua, quæ soporem antecesserunt, debentur symptomata, nimis febris intermittens, urinæ rufescens absque siti & calore color, corporis lassitudo, crurum dolor, pulsusque debilitas. Quem-

admodum vero hanc humorum impuritatem diæta crassa, cruda, & habitatione in uidis palustribusque locis generavit: ita eandem magis adauxit febris intermittens, cuius calore sulphurea & spirituosa sanguinis portio dissipatur, & lenti vappescentesque remanent succi. Hinc non sine egregio frumento oblata fuerunt ea remedia, quæ sanguini blandam reddunt spiritucentiam, viscidos humores incident, & languidas partes ad motum resuscitant. Et hac quidem laude superbunt antiscorbutica usu recepta, uti sunt trifolium fibrinum, nasturtium, cochlearia, beccapunga &c. Neque tali in casu alienum est, blandum exhibere emeticum; quippe quo & saburra e primis regionibus evacuatur; & nervosæ partes in motum eriguntur. Externis enim remediis in omnibus, quæ a scorbutica sanguinis diathesi proficiuntur, affectionibus parum proficiuntur.

OBSERVATIO III.

Vir robustus Iexaginta annorum, *Coma somno lassitudine scorbuticorum.* victui crasso adsuetus, alvi adstrictior, per longum tempus moerori indulgens, singulis ferme mensibus erysipelas in crure sinistro tumorem pati solitus fuit. Tandem hyeme existente sicca idem exanthema, sed paullo languidius erupit, & perpetuo dormiendi junctum est desiderio: clausi semper erant oculi, pulsus magnus, facies rubicunda, & tertio post die pes niger tumidusque adparebat, adeo ut sphaceli periculum immineret. Consultus ergo medicus affecto pedi applicuit epithema, ex floribus sambuci, myrrha, bolo rubro, cerussa, camphora, aceto arque vino concoctum; cuius adplicationem cum profundior exciperet somnus, ad hunc discutendum præscripsit sal volatile cornu cervi. Verum auctus inde potius est sopor facie tumida, rubicundaque existente; & quum artuum jactationes accederent, alter medicus exinde mortem

tem prænunciavit, quæ paullo post est insequuta.

E P I C R I S I S.

Hippocrates, solertissimus naturæ observator rectissime scribit, quod senes, qui sæpius erysipelate tentantur, eo tandem moriantur. Erysipelas enim rarissime fit sine febrili commotione, & quo magis plethorica vel cacochemica invadit corpora, velut sunt senilia, eo gravioribus quin sæpe funestis stipatum est symptomatibus. Ex his periculofusum valde est coma somnolentum; quod sanguinis majori ad caput propter insultum febrilem raptui debetur; & eo majorem incutit metum, si materia erysipelacea vel ob imbecillitatem naturæ, vel per male feriatas artes retropulsa fuerit.

2.) Erravit itaque medicus, quod in præsenti affectu, qui neutiquam ab humore frigido, tenaci, sed sanguinis ebullitione & raptu ad caput, testibus pulsu magno, vultusque rubore, ortum traxit, calidioribus medicinis, ut est sal volatile, pugnaverit. Hinc enim factum est, ut sanguis magis commotus, & sopor profundior fuerit redditus. Consultius fuisse, cucurbitulis cum scarificatione cervici appositis molem sanguinis imminuisse, & deinceps ad temperandum æstum, materiamque peccantem per transpiracionem successive excutiendam, nitroso cum pauxillo camphoræ & pulvéribus bezoardicis exhibuisse, & externe cataplasma ex aceto rosaceo, camphora, Spiritu rosarum & oleo ligni rhodi capiti & temporibus adplicuisse.

O B S E R V A T I O I V .

Lethargi classem pertinet;
Vir sexaginta sex annorum, macilento corpore, vasisque sanguine turpiter, gredis præditus & venam bis quotannis tundendam præbere solitus, huic per novissimum annum supersedit. Aliando fortiori percussus terrore, de extremorum frigore, anxia præcordio-

rum compressione, spirandique difficultate conqueri cœpit, facie existente tumida & rubicunda. Paullo post capitis gravatus dolor, vertigo, & mira ad somnum propensio cum obliuione accedebat: quæ debellaturus symptomata, iter fulcipebat; sed exinde tam profundum sibi contrahebat soporem, ut eo per quatuor dies se-pultus, nec oculos aperire, nec pedibus infistere potuerit. Excitatus tandem, ingentem virium prostrationem, artuum languorem, & perpetuum dormiendi proclivitatem persentiscebatur; rite quidem respirabat, at pulsus depresso, alvum adstrictam, urinæ fluxum parciorum, adpetitus prostrationem, & memoriarum omniumque sensuum languorem patiebatur. Quo in rerum statu ego consultus, mox largam sanguinis quantitatem ex pede detrahendam, & clysterem ex antispasmodicis ac nervinis paratum, multoque sale acutum crebro injicendum curavi: circa somni tempus usum pediluviorum commendavi; naribus adplicandum præbui sal volatile salis ammoniaci, oleo rutæ majoranæque nuptum; infusum ex herba majorana, satureia, floribus anthos, radice sarrafarilla loco Theæ potari, & cum eo sal volatile oleosum Sylvii cum tintura antimonii acri propinari jussi. Unde factum, ut cum pristina in gratiam rediret valetudine.

E P I C R I S I S.

Præfens, de quo sermo est, sopor ad lethargi classem pertinet; qui nunquam non cum obliuione sensuumque torpore stipatus existit. Is suam originem sero per vasa sanguinea ab humeribus ibi stagnantibus distenta & relaxata secedenti debet; & pro remotiori causa sanguinis justo majorem ad caput agnoscit raptum. Cui quidem virio in præsenti calu remotiorem occasionem præbuit intermissa, quæ consueta fuit, venæfæctio: qua humores præter modum accumulatori, &

in corpore senili partes nervosas debilitare debuerunt. Accedens terror effecit, ut constrictis inferioribus & externis partibus succi aëtu ruerent ad caput, ibidemque stagnando, recensita prodacerent symptomata.

2.) Motus corporis sicuti ad robورandas solidas partes, & aëqualem sanguinis circulum juvandum permultum contribuit: ita in morbis ex humorum abundantia productis, antequam minuatur nimia moles, & excretionum libertas restituatur, magis commovendo magnam parit noxam. Unde etiam inconfultum fuit, quod noster ægrotans ante præviam venæfctionem & alvi liquationem iter suscepit.

OBSERVATIO V.

*Carus periodi.
ee rever.
tens.* Matrona trium ultra sexaginta annorum, variis curis & aerumnis per aliquot annos agitata, nullisque post mensium cessationem nec naturalibus nec artificialibus adsueta hemorrhagiis, hyemali aliquando tempore, pravia vertigine spasmодico convulsivis prehendebatur motionibus. Hæc enim primum in abdomen vehementissimis torminibus, & alvi urinæque retentione fecerant exferebant; deinceps ad pedes excurrebant, qui attractu gelidissimi in magno tremore agitabantur; tum manus exercebant, & denique caput oceupabant, illudque ab uno versus alterum torquebant latus. Excepiebant demum omnium tam internum, quam externorum sensuum abolitio, & sopor profundus; quo cum per triduum, spiratione liberiori existente, sepulta fuisset; accedebat febris pulsusque celer, sub qua aliquando expurgiscebatur, & delira loquebatur. Septimo die largus erumpet fudor, quo & febris solvebatur, & sopor discutiebatur, adpetitusque cum perfecta redibat valetudine. Et abhinc per novissimum triennium idem ille, jam recensitus paroxysmus, iisdem symptomatis stipatus bis quo-

tannis circa singulum solstitium recurrerat, febreque semper ac in sequente sudore solvebatur. Reliquo tempore optime valet ægrotans, nec ultius hucusque remediis a descripto malo vindicari potuit.

E P I C R I S I S.

Sistit præsens morbus peculiarem cari speciem. Describitur nempe carus, quod sit somnus profundissimus, in quo respiratio libera est, & ægri nulla arte excitari possunt. Differt igitur a lethargo, in quo spiratio est difficilis, & ægri quidem excitantur, sed obliosciunt: differt etiam a comate somnolento, ubi non perpetuo dormiunt ægri, sed actiones suas peragunt, & sub iis ipsis obdormiscunt. Et si dicendum, quod res est; carus videtur infimus apoplexiæ esse gradus; siquidem omnium & sensuum & motuum sub eo cessat usus. Caussarum etiam in his tribus affectibus hæc mihi videtur differentia, quod coma somnolentum a sanguinis stagnatione in cortice cerebri; carus ab ejus profundiori, medullam simul & sensuum organa penetrante stagnatione, & facta sub hac seri tenuioris secessione; lethargus vero ab actuali seri per vasa relaxata, aut plane rupta & dilacerata extravasatione suos mutuentur natales.

2.) In præsenti casu notabilis est peculiaris naturæ vigor. Quum enim ægrotans tam proiectam attigit ætatem & nullas sanguinis habuit excretiones, quarum tamen cessato in seniliate & sequiori sexu est nocentissima; quum etiam diuturnis miceribus confectum præ se tulit corpus: non fuisset mirum, si gravi subito periisset apoplexia. Hinc mirandus est naturæ vigor; quo excitata febris, discussa stagnante materiam, eamque per sudorem excusit: id quod critico veteri motu deinceps est factum.

OBSER.

OBSERVATIO VI.

Cerne post ejus mensa, robustæ ac firmæ constitutionis, post cessantem per ætatis rationem hemorrboides aquafisiæ tamen e venis sedalibus statim tempore reddere suevit, & sub hac excretione fida et sana vixit. Quum vero hæmorrhoides aliquando fluere definerent; prævia vertigine incidit in altum soporem, in quo absque ullis sensus vel motus vestigiis, pulsu existente celeri & forti, per tres immota decubuit dies, nec ulla arte excitari potuit. Tusa in pede vena infusisque frustra clysteribus, arripiebat consilium, ut aqua frigida liberiori quantitate ori instillaretur: quo factum est, ut elapsu trium dierum spatio non modo diarrhœa accederet, sed & hæmorrhoidum fluor recurreret, & ærotans sopore discussio, prorsus ad se rediret, omnium rerum ignara, ad hoc usque tempus sana vivens.

EPICRISIS.

Caussani soporosorum pariter ac paralyticorum affectionum scipiis quidem nimia humorum præbet moles, sed nec hæc tanta machinari potest mala, nisi solidarum & nervosarum partium accesserit imbecillitas. Hoc ex fonte in praesenti casu egregius aquæ frigidæ effectus potest explicari. Postquam enim per venæfectionem moles humorum imminuta, & per clysteres eorum raptus a superioribus derivatus fuit: curationi colophonem addidit aquæ frigidæ potus. Hujus ea est vis & indoles ut ventriculo & intestinis robur addat: quo recuperato, hæmorrhoides rursus cooperunt fluere, & sic depleta sanguinis abundantia pristina rediit valetudo.

2.) Id non semel sed sepius a nobis observatum fuit, quod graves illi cerebri affectus soporosi & semi apoplexici & paralytiei post tertium diem

ceu dimidium septenarii motu quodam critico vel in melius vel in pejus mutati fuerint; & quod peculiare naturæ robur & vigor in vincendis difficillimis hisce morbis plus quam remediorum efficacia valuetur; ut etiam verissimum illud GALENI l. X. method. haber possit: validas vires omnia sustinere, imbecillas a minimis laedi.

OBSERVATIO VII.

Vir generosus, annorum quinquaginta sex temperamenti sanguineo post mortem cholerici, habitus spongiosi, venæctioni adfuetus, & intemperantiae febrium tam vinosa, quam ciborum nimis indulgens aliquando vino ferme fatus tradit se itineri, & sub eo horrore & tanta virium prostratione corripitur, ut domum attingere non posset, sed in pago manere cogeretur. Lectum petens, profundo & gravi per noctem fruitur somno, & mane expergesitus insignem cruris tumorem cum macula ex brunno rubicunda deprehendit. Vocatus medicus erysipelas aedesse pronunciat, & mittit purgantes pilulas, quæ oclies movebant alvum. Sed sequebantur graviora symptomata, & æger subito omni seofu ac loquendi potentia destituebatur: unde suspicatus apoplexiæ medicus dabat mixturam ex aqua apoplextica, confectione alkermes, oleo cinamomi & caryophyllorum paratam. Pulsus, qui jam cum aucto calore celer aderat, magis augebatur; & æger sponorem incidebat profundum, cum insigni calore, & omnium sensuum abolitione stipatum, inque eo per octo dies jacebat, & a medico, & ab aliis pro deplorato unque habitus. Tandem accersitus alter medicus, querit primum: an apertæ sit alvus? respondent, illam per octo jam dies mox a datis pilulis pertinacissime clausam fuisse. Injiciendum ergo protinus clysterem curat emollientem, & hoc votis haud respondente, alterum paullo acriorem iubet infun-

infundi. Neque hinc mota alvo ægrum in lecto hinc inde volvi & agitari præcipit: quo facto mox secedebant fæces copiosissimæ, grave oientes, & cum his globuli tam duri, ut vix contundи potuerint. Elapsis abhinc binis horis ad se redibat æger aectorum inscius, & de dolore occipitis, corporisque debilitate querulus. Quare elixiria stomachica cum sale volatili oleoso combinta, & externe spiritus vini camphoratus, ad nucham inungendus, fuerunt ordinata, & æger convaluit.

EPICRISIS.

1.) Quemadmodum vitæ genus inordinatum, multæque crapulæ, debilitando cerebrum & nervosum genus, remotius ad præsentem soporum contribuerunt affectum: ita eundem proxime induxit male tractata febris erysipelacea. Hæc sese exseruit horrore, cum in sequuta virium prostratione, & tumore erysipelaceo stipato; & debetur corporis, vino parti sub itinere refrigerationi. Datum ad eam expugnandam purgans, vero non potuit non esse pernicioſissimum: a purgantibus enim & vomitoriis retroactum scopiū vidi erysipelas. Nam agunt purgantia vi stimulante, qua & intestina, & externas corporis partes ad spasmum proritant, quo repellitur acris & caustica, quæ sub erysipelatis specie excussa fuerat, materia.

2.) Peccavit deinceps medicus, quod justo calidius dederit remedium, quo humores in majorem astutum ac ebullitionem sunt acti: & facillimum inde fuisse, ut phrenitis & gangræna supervenissent, eo magis, cum ob alvum a dato purgante, pertinaciter strictam, omnis humorum motus ad caput conversus videtur.

3.) Hinc alter rectissime egit medicus, quod repetita clysterum infusione duras fæces emoliverit, imique ventris stricturas consopiverit: unde restituto per corpus, sanguinis æquali circulo, sopor discussus fuit. Inde di-

scant practici juniores, ut in omnibus morbis alvi rationem ante omnia habeant.

OBSERVATIO VIII.

Vir quinquagenarius, obesus plethorico sanguineus, & cacoehymicus profundus, corripitur aliquando erysipelate cum horrore & febricula stipato. Tertio die memoriæ, retinuit jam omnium mentis functionum notabilem immunitionem, tantamque memoriarum debilitatem, ut præteritarum plane ignarus esset rerum. Quo in statu, frustra usurpatis omnis generis adminiculis, per aliquot annos & ad vitæ usque finem permanet; licet ceterum & adpetitu frueretur integro, & optime nutriretur.

EPICRISIS.

Sensus internos, memoriam, ingenium, phantasiam, in homine vivo ope nervorum haud secus ac externos administrari, vel exinde patet, quod relaxata cerebro & nervis, aut a serosa colluvie inundato, prorsus haec cesserent actiones. Et idem in nostro casu contigisse post discussum soporem, probabile videtur: scilicet relicta fuit laxitas & imbecillitas eorum, qui memoriarum & ingenio serviant nervorum.

2.) Quemadmodum camphoratum remedium, & in pulvere, & cum spiritu vini solutorum externus usus in tumoribus erysipelaceis repellentem & nocivam exserit efficaciam: ita eadem, in repulso jam erysipelate, intus cum nitrosis, post præmissam venæ-

venæsectionem & alvi liquationem exhibita, egregia pollent vi, materiam erysipelaceam e corporis penetralibus removendi, & ad cutaneum rursus corticem, cum magnō sanitatis commodo, propellendi.

OBSERVATIO IX.

Comate, Caro, & Letbargo.
Verbi divini minister, quinquagenario major, obesi valde corporis habitus & temperamenti sanguinei, indulxit in juventutis præsertim annis crebris compotationibus, maximeque vinis calidioribus. Hinc podagrīcī pedum doloribus diu fuit excruciatus; quibus ope cuiusdam emplastri prorsus fugatis, retinuit tumorem circa pedum taleolos, in quo per vices maculae rubræ efflorescebant, squamatim abscedentes. Præterea septem abhinc annis incidit in perpetuam ad somnum proclivitatem, & hanc ad hoc usque tempus retinuit. Obdormisicit saepius nocte dieque, somnoque tam profundo obruitur, ut vix queat excitari; sub quo facies sit rubicunda & intumeſcit: attamen memoriae judicii que observatur imminutio. Conqueritur saepius de dolore gravativo in lumbis, calculum mentiente, & interdum præcordia adeo angustante, ut vix spiritum ducere queat. Multis ad depellenda hæc vitia usus est præſidiis, nimirum crebris phlebotomiis, quibus intra spatium sex hebdomatum ultra duodecim sanguinis librae fuerunt detraহtæ. Usurpavit decocta lignorum cum mercurio dulci, decocta viperarum, cinnabarina, volatilia, cephalica, millepedes &c. a quibus involuntarium urinæ sibimet contraxit fluzum. Optimum in potu aquarum Schwalbencensium invenit solatium; quas quamdiu potabat, tam diu a sopore liber erat.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

1.) Omnes, qui soporosis ex interna cauſa affectibus vexantur, ejusmo-

di solent esse homines, qui crebris indulserunt crapulis, viniſque calidioribus aut cerevisiis lupulatis. Hisce enim sibimet contrahunt ad omnes, qui ex cerebri atonia propullant morbos, dispositionem, quæ in eo consistit, quod vasculosæ, nervosæ ac membranaceæ partes nimis distendantur & la- befactentur.

2.) Cauſa præsentis mali quærenda est in podagræ retròpulsione; ex qua in debilitatis ejusmodi subjectis innumerā provenisse vidi damna. Et hinc petenda ratio, cur tali in casu omnia fruſtra adhibeantur remedia, niſi podagrīcī materia discussa, aut ad pe- dum revocata fuerit articulos. Venæſectiones in plethoricis subjectis cum fructu quidem instituuntur: at ejus immoderatum in casu præſenti ulū merito taxamus, eique majorem mali pertinaciam omnino tribuimus. In cu- ratione hujus chronicī mali vitanda sunt omnia, quæ sanguinem commo- vent remedia, sudorisera, volatilia ſic dicta cephalica, nervina aliaque; & ad roborandum caput inserviunt po- tius epiphemata ex aceto vini rutaceo, cum aliquot guttulis olei lavendulæ & rorismarini necnon camphora parata, & fronti temporibusque cum linteis adplicita. Præterea magnum fructum observavi ab uſu pediluviorum non modo ad revocandam podagram ſed & ad divertendos humores a capite, quod tamē a vaporibus est defendendum. Potus aquæ frigidæ etiam in paroxysmo nunquam fere non proficuus; ma- gis tamen ubi febris ſubest: utpote fri- gus motum sanguinis expansivum co- ercat & nimium relaxatis fibris tonum & elaterem naturalem reſtituit.

OBSERVATIO X.

Vir dives generosus annorum su-
pra quinquaginta, temperamenti fan-
guineo phlegmatische, obesi corporis manente
habitus, in juventute multum ſemper
pituitæ ex naribus excrevit, gulae,
vino & veneri plurimum indul-
genſus

gens per aliquot annos tempore autum-
nali & vernali cum febricula catharrali
dolores mox in manibus mox in pedi-
bus expertus est. Sed postquam æstate
nimium fructibus horaeis refrigerantibus,
& fragis, ribibus, lacte ebutyrato,
& Pyrmontanis quoque aquis usus fuit,
seuenti autumno, a consuetis ejus-
modi doloribus artuum plane fuit im-
munis. Præter modum vero de lan-
guore virium, membrorum lassitudi-
ne, dolore capitis gravativo, spiran-
di difficultate & continua in somnum
propensione conqueri cœpit. Postea
accessu venti frigidioris borealis stimul-
& semel sopor ita invaluit, ut ægerri-
me excitari, nec ad interrogata respon-
dere potuerit. Pulsus erat magnus,
mollis & frequens, alvus obstructa;
urina secedebat tenuis & cruda, men-
tis quoque levior aderat alienatio. Ego
vocatus in consilium reperi ægrotan-
tem in conclavi humidiori & demissio-
ri jacentem in lecto. Quare mox eum
in locum superiore transportandum
jussi: Preinde spiritus crystallorum
veneris cum oleo rutæ destillato robo-
ratus applicabatur naribus. Clyster
aliquoties injectus fuit, qui constabat
ex decocto majoranæ, satureiæ, sa-
le ammoniaco, adjectis sex granis tar-
tari emetici solutis, qui ingentem
semper pituitæ viscidæ cum sordibus
eduxit copiam. Cucurbitulæ cum sca-
nificatione primo dorso, deinde scapu-
lis, poscea occipiti applicatae fuerunt.
Interne per vices oblatus spiritus salis
ammojaci urinosus cum essentia casto-
rei saturata mixtus; vehiculum fuit
aqua fontana frigida, quam etiam
sumsit pro potu. Vesicatoria pedibus
applicata nullas excitabant vesicas; in
nucha vero, tanquam parte sensibili-
ori eas omnino producebant. Remissior
quidem fuit morbus inde redditus;
circa septimum vero diem purpura in
superioribus partibus adparuit cum
largo sudore successive universum cor-
pus occupante. Ita sensim sensimque
morbi vi depulsa & vires & functiones
animales resierunt. Ad arcendam re-

cidivam abstinentiam cum exercitio
corporis, victum quoque attenuantem
& exsiccantem, & infusum herbae sa-
tureiæ, majoranæ, & florum arni-
cæ, ac cardamomi singulo mane for-
billandum plurimum commendavi.
Tandem altero anno thermis Caroli-
nis me suafoe uso, redit dolor poda-
gricus, ex quo optime convaluit.

EPICRISIS.

In hac morbi historia multa obve-
niunt notatu digna. Morbus hic, qui
nomen lethargi recte sortitur, in ho-
mine obeso, humidioris constitutionis,
ab inordinata diæta, otio & abuso fru-
ctuum refrigerantium, per quem ma-
teria arthritica intus remansit, & spas-
mos in inferioribus partibus produxit,
qui humores serofos ad caput propule-
runt, natus fuit, ad cuius genesis
multum quoque habitatio & dormitio
in loco decliviori & humidiori contu-
lit. Quod uti nunquam non insalubre,
ita quam maxime ad morbos capitis &
nervorum, qui ex atonia veniunt dis-
ponit. Ita HILDANUS cent. IV. obs.
XI. ex fumo fornacis non ita pridem
exstructæ lethargum & mortem anno-
tavit. Atque nos sèpius capitis mor-
bos cum fluxionibus, cum auditus
difficultate, vertigine, somnolentia,
in fœminis quæ lavatione linteami-
num operam dant, item quando cir-
ca fornaces hyeme linteamina exsic-
cantur, observavimus. Quare etiam
balnea & pedum lotiones si caput im-
becillum est, vel ad soporem aut pa-
ralysis dispositum, non conveniunt.
Denique non sine fructu emetica in
clysteribus etiam dari possunt, & lon-
ge securioris sunt effectus quam acrio-
ra purgantia, cuius generis sunt colo-
cynthiaca, ad humores a capite revel-
lendos. Tandem neque hoc loco præ-
tereundum, quod crisis in affectus et-
iam soporosos, præsertim si cum febre
conjuncti sunt, incidat.

CAPUT III.

DE VERTIGINE.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*Defin-
tia vero
sigillis.* **H**aud ultimum inter cerebri morbos locum tuetur vertigo; maxime frequentissimum, quod omnes capitatis affectiones nunquam fere non & antecedit, & comitatur. Ea est sensatio circumgyrationis & lapsus, vel cum vel sine corporis prostratione in terram conjuncta, a compressione nervorum opticorum, intra calvariam adhuc absconditorum, & hinc pendente vitioso fluidi nervae in tunicam retinam influxu originem trahens.

§. II.

Morbi. Ex improviso nimirum fit, ut ægrotantes omnia objecta, seque ipsos circumrotari sibimet videantur, atque sub idea imminentis lapsus titubent, pedibusque vacillent; tum vero oculi obscureruntur, quin ipsi prouersus non nunquam istar apoplecticorum concidunt. Junguntur sæpen numero capititis torpor, dolor, gravitas, aurium fuscus & tinnitus, oculorum mador, visu vitiata & vel duplicata, vel dimidiata, faciei rubor, somnolentia; rumque si vel levis inclinatio capitatis in terram, vel corporis circumgyratio accesserit, protinus oritur vertigo. Occupat subjecta potissimum sanguinea, edacia, senilia, viribus defraudata, hypochondriaca, hysterica, nephritica, & quæ alvi sunt dario-ris, imique ventris cruciantur spasmis. Interdum ea primarium constituit morbum: non raro tamen graviorum capitatis affectuum, velut est apoplexia, paralysis, soporosi morbi, epilepsia &c. prænuncia, cumque ipsis complicata deprehenditur.

§. III.

Digni vero sunt, ut annotentur, *Gradus* tres potissimum vertiginis gradus; *vertig-
nus*: quorum levissimus, omnisque periculi expers dicitur *Διάτος*, quasi turbo; quoniam affecti se in orbem agitari, & omnia secum in gyrum rotari putant, neque tamen concidunt, nec caliginem oculorum experiuntur. Huic obnoxii sunt, qui navie vehuntur, qui se in orbem rotant, qui Tabaci sumum crebrius sugunt, aut crapulis frequenter indulgent. Alter gradus vocatur *Scotomia* seu vertigo tenebricosa, in qua præter dictam rotationis ideam, & pedum vacillationem, oculi caligine suffunduntur. Antecedit ea vomitus, aliosque, qui ab inferioribus ad superiora adspirant, spasmodicos affectus; & exprimitur: Es svird mir grun und gelb fur denen Augen. Summus & gravissimus gradus appellatur vertigo caduca, & revera est species levioris apoplexiæ, vel etiam epilepsia. Antecedunt enim spasmis partium infernarum, formications sensum exhibentes; tum suboritur, idea gravissimi in præcipitia lapsus, & non solum objecta circum rotari vindentur, oculique caligant, verum ægri etiam, nisi contineantur, subito in terram prosternuntur, quin scipio omni sensuum, motuum, loquela ac rationis usu destituti, mortuorum instar jacent; quales notatu dignos casus reperies in CONSULT-MED. Tom. I. S. I. cas. IX. & X. & in A.N.C. dec. II. anno VIII. obs. 41.

§. IV.

Omnis vertigo merito distinguitur in idiopathicam & sympatheticam. Prior caussam in ipso cerebro hæren-
*Diabolo-
sis in in-
vertig-
nis in i-*
*tem agnoscit, & longe gravior est po-
steriori. Complicantur cum ea alii
capitis affectus, & raro est periodica.
Posterior fit vitio ventriculi, acida &
aci faburra prægnantis, & se pro-
dit per conjunctam nauseam, vomendi
proclivitatem, ructuosam molestiam,
ventriculique gravitatem. Plerumque
est periodica, & jejuno existente
stoma.*

stomacho gravissime urget, sumto autem vel pauxillo cibi protinus conquiescit.

§. V.

Vertigo servamus eam circa visionis potissimum organon habere. In ipso quidem oculo, quatenus intra orbitam continetur, nullum nec extrinsecus cernitur, nec post mortem reperitur vitium, hinc non sine ratione colligitur, illud in nervo querendum esse optico. Jam vero in demortuis, qui per vitam satis gravi laborarunt vertigine, deprehendimus vel plexum choroideum, vel tertium cerebri ventriculum præter naturam suisse constitutum. Sic enim SCULPTETUS in armam. chir. obs. 19. plexum choroideum vedit rubicundissimum; BONETUS Sepulchr. L. I. S. XI. obs. 8. tam in ovibus vertiginosis, quam hominibus invenit sanguinem concretum, vel tumorem vesicularem, tertium cerebri ventriculum occupantem, & ROLFINCTZIUS in diff. anat. L. I. C. 13. adfirmat, se in vertiginosis ovibus post mortem vesiculos aqueo humore plenas, & intra tertium cerebri ventriculum contentas, plus simplici vice, in homine semel obseruasse. Nihil autem vitii ipsò in optico nervo deprehensum est, in quo tamen sedem mali oportet residere. Quo id ergo fiat pacto, mox explicabimus.

§. VI.

Structio nervi optici. Cerebrum dissecanti, & ad plexum choroideum, qui est congeries plurimorum tam arteriosorum, quam venosorum vasculorum, pervenienti, hoc sublato sese sicut bina strata seu thalami nervorum opticorum, inter anum & vulvam sitorum, & per quandam fissuram, sub qua tertius cerebri ventriculus prodit, ab invicem distinxitorum. Ab horum superiori parte oriuntur bini nervi, qui dicuntur optici, qui non nisi pia meninge investiti, & dictos thalamos ab utroque latere complexi, antrorum progrediviuntur, & ante infundibulum arcessim conjuguntur; mox iterum

secedentes tendunt ad oculi orbitam; tum eos ab utroque & externo latere transversim attingit carotis interna arteria; ac denique perforant foramen, eorum transitui in posteriori orbitæ parte destinatum, cumque matre dura, instar vaginæ cincti, per oculos distribuuntur, & horum varias constituent partes. Si oculo recte constituto, nervus opticus vitio caret, & legitimus in illum fluidi nervi fit influxus, visio exercetur integra. Sublato penitus istius fluidi influxu, nascitur cœcitas; eodem vero quoque modo tantum imminuto, varia visionis vitia emergunt. Imminuitur influxus per dicti nervi compressionem: comprimi potest nervus a partibus vicinis præter naturam constitutis: partes vicinæ sunt plexus choroideus, arteria carotis, ventriculus cerebri tertius. Ergo ab harum partium præternaturali constitutione nervus opticus, licet in sua substantia integer, comprimi, & ideo vertigo etiam suboriri potest.

§. VII.

Scimus ergo, imminutorem fluidi *Forma-* nervi in nervos influxum producere *Its ratio* varias visionis laesiones, *velut visio-* vertiginis. nem duplicatam, dimidiatam, obscuram & circumgyrationis sensum: sed quomodo idea in mente excitentur, & quantum influentis fluidi ad singulam producendam requiratur; determinatu & difficillimum & inutile est. Sufficit, si ex hac tenus dictis cognoverimus, vertiginis formalem rationem in fluidi tenuissimi influxu in nervos opticos per eorum compressionem imminuto consistere. At unde pedum vacillatio? Sensum circumgyrationis comittatur idea casus; haec involvit metum; metus idem sequitur pedum titubatio, quæ confuso fluidi nervi in musculos situm erectum efficientibus influxu absolvitur; Ergo sensum circumgyrationis sequitur pedum titubatio. Haec docet experientia; sed unde fiat, quod certi corporis motus sequantur certam in anima ideam, nobis adhuc obscurum est.

§. VIII.

§. VIII.

Quemque de vertigo in- ducentur ab ebrietate quæ plerumque vertiginosam perturbationem, pedumque vacillationem habet comitem. Vinum scilicet ebrietatem, & hinc pendentem vertiginem dupli ratione caußatur: nam fovet 1.) principium subtile, vaporosum, quod majori copia ad cerebrum delatum, purissimam nervorum lympham inquinat, & ad sensus motus que rite præstandos insertem reddit. 2.) Principium spirituosum, unde sanguis expanditur, & arteriæ carotides, vasaque distenta thalamos nervorum opticorum, ipsosque nervos comprimunt: sicut id de vino MED. SYSTEM. Tom. II. Part. III. C. IV. §. VIII. & de cerevisia §. XII. fusiſ explicavi. At hæc vertigo transitoria est, & diffato principio vaporoso, sponitateque sanguinis ebullitione transit. Quare nec de hac, nec de ea, quæ per vectiōnem in navi, aut corporis rotationem inducit, tanquam non morbosā nobis nullus est sermo.

§. IX.

Ex causis potius morbosam vertiginem inducentibus, principalis est sanguinis nimia in arteriis carotidibus, & vasis plexum choroideum constituentibus, stagnatio. Hinc vertiginem patiuntur valde plethorici, cum primis si consuetæ excretiones per narium hæmorrhagias, hæmorrhoides, vel menses in foeminiis substiterunt, aut imprudenter suppressæ fuerunt. Non minus hoc malem incurruunt, qui consuetas venælectiones, aut scarificationes neglexerunt. Eo magis huic morbo obnoxii sunt plethorici, si simul hypochondriacis, hysterics, nephritics, spasmodicisque imi ventris passionibus vexantur; quibus sanguis majori impetu ad caput fertur. Et novi quidem juvenes hypochondriacos, sanguinisque missiones nunquam passos, qui vertigine uno impetu & iectu invadente rapti, perque aliquot horas de-

tenti, secuto autem vomitu statim liberati fuerunt.

§. X.

Eandem vim obtinet serum, in debita excretione cohibitum, ac intra cerebri sanguinea vasa accumulatum. *Nec non a collu- vte san- Quam obrem videmus cachecticos soe-guinitis- ferosis.* Eademque chronicæ ac pertinacissima adfligi, quibus serofæ manationes per aures, oculos & nares fuerunt cohibitæ. Hinc de vertigine diurna ex coryza suppressa in CONSULT. MED. Sect. I. Cas. VIII. de eadem per restitutum seri e naribus effluxum soluta *ibid.* Sect. IV. Cas. CLXIV. pag. 662, & de ea cum fluxu auris rheumatico alternante Sect. IV. Cas. CXXXIV. pag. 535. exempla leguntur. Inde etiam vernali ac autumnali tempore, quo repentinæ tempestatum mutationes contingunt, frequentes observamus vertigines. Has *A lolla temute,* porro progenerant narcotica, inque *re.* primis lolium illud frumentaceum, quod ab effectu vocatur temulentum, sub pane aut pulte comedunt: quales casus A.N.C. dec. II. anno VIII. obs. 173. & dec. III. anno II. obs. 127. allegant. Nec silentio prætermittenda sunt violentæ extrinsecus capiti illatae, quippe quibus humorum stagnatio & extravasatio facilime inducitur: unde satis gravis ac diurna fuit illa vertigo, cuius in CONSULT. MED. Sect. I. Cas. XLVIII. mentio fit, & quæ a vehementi in caput lapsu originem traxit.

§. XI.

Sympathicæ vertiginis causa residet *Ratio vertig- nis sym- pathice.* in primis viis, maximeque ventriculo, & non nisi hujus vehementiori debetur spasmus. Namque dum primæ regiones valide constringuntur, cogunt vitales succos ad superiora, qui ibidem copiosius collecti, & intra plexus postissimum choroidei vascula stagnantes, vertiginem pariant. Hinc frequens vertigo est iis, qui primas officinas salburra acri biliosa onustas habent; qui consuetas intermisserunt purgationes; qui leguminibus, & qui flatu movent, cibis

cibis largius vescuntur, qui vermes intra canalem intestinorum alunt, qui vehementi vomitu torquentur &c. Et hæc quidem vertigo, jejuno existente ventriculo, maxime urget; propterea quod tum acriores sint fôrdes; nam ab adsumptis alimentis, & sic acrimonia per subeuntis cibi admixtionem temperata, statim remittere solet affectus.

§. XII.

Causæ occasio-
nates vertigi-
vis.

Quum videmus in multis a caussa levissima vertiginem produci, quam in aliis ne gravior quidem excitaret: supponenda in illis est major cerebri & nervorum ad fovendas vertiginis causas dispositio. Et hanc cum MURALTO in A.N.C. dec. II. ann. VIII. pag. 26. in generis nervosi, vasculosi, & membranosi debilitate collocandam arbitramur: qua fit, ut irruenti cruxi non sufficiens sit vasorum resistentia, unde facilius ille stagnare potest. Hinc omnia, quæ caput debilitant, aditum huic affectui parant, velut sunt ætas senilis, vigiliae diuturnæ, frequens crapula, venus nimia & immatura, animi diuturnus mœror, vita sedentaria, & id genus alia. Hinc etiam leves caussæ eandem provocant; ut sunt capitis in terram inclinatio, terror, frigus, crapula, balneorum improvidus usus. Sic vertiginem a frigore semper recrudescensem adnotant A.N.C. dec. anno. VIII. obs. 5. eandemque a terrore in hypochondriaco subortam recensui in CONSULT. MED. Sect. I. cas. XXXII. pag. 175.

§. XIII.

Progr. no-
ss. ver-
signis.

Vertigo, quæ a vitio ventriculi suboritur, levis est, & repurgato cefsat ventriculo: quæ vero ex imi ventris spastico, conjuncta nervosi generis debilitate, natales suos mutuatur, altioris est indaginis magisque diuturnum portendit mörbum. Semper gravior est idiopathica, quæ a sanguinis aut feri stagnatione in cerebro proficiunt; & metu insequunturæ guttæ serenæ, paralyseos, apoplexiæ, aut soporosi affectus terret, maxime in se-

nibus. Qui jam passus est insultum apoplecticum, & corripitur rursus vertigine, habet cur a recidiva apoplexiæ sibi metuat. Gravissima vertigo est caduca, quippe quæ caussam profundius cerebrum penetrantem foveat, & revera nihil, nisi apoplexiæ levioris est species.

CURATIO.

§. I.

Indica-
tiones
curati-
onis.

UT promtum & expeditum huic malo adferatur auxilium; binas potissimum indicationes respicere oportet medentem, ut nimis sanguinis & humorum in capite stagnationem discutiat, eorumque raptum ad inferiora derivet; & deinceps ut systema partium nervosarum a tono suo dejectarum corroboret. Quum vero variae sint caussæ, quæ majorem sanguinis, quam pars est, ad caput compellunt quantitatem, harum in curatione habeatur ratio, necesse est.

§. II.

Mifianck
sangu-
arteriarum
ntitatis.

In recenti malo, corpore existente valde plethorico, facie rubicunda, arteriisque fortiter pulsantiibus, nihil est præstantius sanguinis missione. Quam ob rem, ut ad remotiores partes sanguis retrahatur, in pede secunda vena, multumque sanguinis mittendum. Deinceps si mensum vel haemorrhoidum irregularis sit successus, opus est, ut per commodam medendi rationem hæ revocentur excretiones. Haemorrhoidariis hirudinum ad anum adPLICatio præsentaneam non raro tulit opem; sicut confirmat observatio CONSULT. MED. Sect. I. cas. VIII. pag. 23. inserta. Quando narium haemorrhagia vel suppressa, vel sponte cessans malum induxit: præstans auxilium ferunt scarificationes cervicis & dorsi, præstantius autem & certius eisdem, more Aegyptiorum naribus admotæ.

§. III.

Remea-
dis sangu-
is.

Misso sanguine scœpius totum depel- sicutur

*galeum
accepit
deriva-
tia.* litur malum, quod si cedere recuset, infistendum est remediis sanguinem a capite derivantibus. Eminent ex iis præsentemque virtutem exserunt clysteres, iteratis injiciendi vicibus; vel etiam laxantia, quæ blanda & simili roborantia esse debent; quo nomine superbiunt pilulæ balsamicæ vel ad nostram vel Beati STAHLII mentem concinnandæ; aut laxans ex manna, rhabarbaro, & cremore tartari confectionum, addito oleo de cedro. Utilissima porro sunt pediluvia crebro adhibenda; quæ tamen tepida tantum oportet esse; quoniam calidiora sanguinem commovent, & recursum mali provocant.

§. IV.

*Curatio
vertigi-
tis sum-
plici-
bus.* Ubi cruditates acidæ, biliosæ, acres, ventriculum obsidentes, malum produxere: opus scèpenumero est, ut blando emeticò evacuatur ea saburra; quo fine in robustioribus tartarus emeticus, in sensibilioribus radix Ipecacuanhae operæ faciunt pretium. Si præ iis magis arrideant purgantia, ea paullo validiora esse præstat; & eo scopo pilulas balsamicas extracto hellebori nigri permiscere. Quando acidum ventriculo insidet, præmittendi & subjugandi sunt pulvres absorbentes ac digestivi, cum oleo nucisæ combinati; vel etiam martialia cum pilulis balsamicis alternanda.

§. V.

*Curatio
vertigi-
tis by-
probon-
dissi-
bus.* Diuturnioris perinde ac difficultioris sanationis est vertigo, quæ hypochondriacis passionibus, cum generis nervosost debilitate complicatis sociatur. Lenioribus in ea pugnandum est medicinis, quæ discutiant flatus in abdomine subsidente, acrimoniam ventriculi obtundant, fordes per alvum blande evacuent, ac spasmosimi ventris demulcent. Hoc nomine præstantissimæ utilitatis deprehendi pulverem, ex pulveris Marchionis drachmis duabus, cornu cervi philosophice præparati, nitri depurati, cinnabaris præparatae, lumbricorum terrestrium ana drachma dimidia, & olei macis gut-

Tom. IV. Part IV.

tulis tribus confectionum, atque bis quotidie cum aqua analeptica exhibendum. Conjugenda laxantia, pediluvia, ordinatæ venæsectiones, ac recta vivendi ratio.

§. VI.

Sic subtracta mali caussa, studendum ut roboretur nervosarum partium *Quæna-
partes
nervo-
sas ro-
borent;* Systema. Ad quem obtainendum finem amplam laudem meretur nostrum vitæ balsamum, quod & externe vertici infundi, & naribus admoveari, & interne in elæosachari forma propinari cum fructu potest. Adjuvat etiam ægros spiritus salis ammoniaci inter cibos acceptus. In chronica vertigine ex vitio hypochondriorum soleo robordandi sine circa quadras lunæ per aliquot dies sequens exhibere electuarium: Recipe visci querni, corticis chinæ ana unciam dimidiā, pulveris florum charmæmili, lumbricorum terrestrium ana drachmas duas, succini præparati, extracti cardui benedicti ana drachmam unam, caryophyllorum, cinnabaris nativæ præparatae ana scrupulos duos, syrapi berberum uncias binas. M. F. electuarium, cuius drachma pro una dosi exhibetur.

§. VII.

Omnis autem curatio erit irrita, nisi adjuvetur recto rerum non naturalium usu. Quare cibos oportet esse faciles, quibus concoquendis sufficiat digestionis officina, removeantur acria, falsa, acida, leguminosa, & quæ flatus pariunt. Qui debilem ventriculum fovent, iis, prodest jejuno tempore cortices citri vel aurantiorum masticare. Nec quidpiam est, quod magis vertiginosos lâdere valet, quam potus vinosi, spirituosi ac cerevisiarri; quorum in locum vel decocta, vel fontem Selteranum modico vini nuptum substituere juvat. Motus corporis sit cautissimus, ac placidissimus; ne ex vehementiori commotione novus excitetur paroxysmus. Aer feligatur temperatus ac serenus, ; omne

D frigus,

frigus, maxime partium infernorum fugiatur; & ab iracundia, terrore, macrōre, quantum possibile, cae-
veatur. Hæc qui rite observaverit, quique sanguinis molem debito tempore imminui & excretionum naturallium libertatem conservari curaverit; habebit modum, quo ab ulteriori & vertiginis, & aliorum cerebri morborum invasione semet vindicare posse.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

§. I.

*Quid cō-
ducat in
vertigi-
ne ex
spasmo
ventri-
culi su-
bore.* **Q**uando ex spastro ventriculi vertigo, ut soepe fit, oritur; utilissimus est pulvis Marchionum, cum pauca cinnabari, extracto castorei, & nitro mixtus, & in aqua lilio-rum convallium datus. Insignis etiam est efficacia pulvis ex cubebis, nucista, & lapidibus cancerorum paratus: neque minus desideratissimam in tali casu opem ferunt pilulae Wildegansii.

§. II.

*Curatio
vertigi-
ni ex
idiopa-
stibilia.* Fit nonnunquam, ut ex diuturniori sanguinis intra vasa plexus choroidei stagnatione, serum secedat, & vel in tertium cerebri ventriculum, vel alium locum, unde nervos opticos potest comprimere, extravasetur. Quo in casu utilissimum est, bregma ferro candardi inurere; aut nucha admove-re vesicatoria. In tali etiam vertigine, quam a caussa frigida subortam dixerit veteres, si molliori haud cedit medicina, cura per inediām, conjunctis fonticulis & cinnabarinis remedīis locum habet.

§. III.

*Mus
therma-
rum.* Quemadmodum in vertigine idio-pathica internus acidularum, thermarumque usus neutiquam proficuus existit; tantum abest, ut inde stasis humorum in capite augeatur: ita eadem ab hypochondriorum vitio progenerata, præmissa convenienti medicina, optimum a bene ordinato thermarum vel acidularum tepefactarum usu reci-

pit auxilium: testante observatione CONSULT. MED. Sect. I. Cas. X. inserta.

§. IV.

Gravidæ soepe numero vertigine *De ver-* adfliguntur; quæ non modo plethorae *tigine* qua pollent, verum etiam alvi adstri-*gravida-*ctioni & flatuum retentioni, ipsis fa-*datum i-*miliari debetur. Tali casu omne cura-
tionis absolvitur negotium, si admi-
nistrata venæsectione, flatus subdu-
cantur & alvus aperiatur vel infuso
clystere, vel laxante passulato, man-
nato ac rhabarbarino. Vidi etiam su-
bito ortam vertiginem in iis, qui per
aliquot dies suppressam habuerunt al-
vum: ubi infuso clystere, datoque
intus oleo amygdalarum dulcium,
omne protinus cessavit malum.

§. V.

Balsama roborantia, spirituosa, *Cautela* *circumsumma*, confortantia magis in hoc affectu proficia sunt senibus, & infir-*boran-*mis corporibus; subiectis vero junio-*stum.* ribus, floridioribus & plethoricis mi-
nus convenient, nisi antea vena tusa,
ac alvus evacuata fuerit. Tum etiam
convenient infusa calida ex herbis ce-
phalicis, radice valerianæ, & cube-
bis parata; nec non cucupha a Wepfe-
ro inventa, quam LENTILIUS in
Miscell. P. I. p. 74. & P. II. p. 314. de-
scribit. Vitanda vero cuncta sunt;
quæ nervos debilitant, ut sunt omnia
vaporosa, narcotica, moschata &
camphorata.

§. VI.

Sœpissime fit, ut cum vertigine *Remedii* complicentur affectus nephritici; quo in *verti-* in casu bina notissimum remedia effi-*tigine* caciſſima & velut specifica deprehendi-*specifi-* ca. Unum est succus ex dauco hortensi re-
cens expressus, cui, mane ea quam
octo cochlearia capiunt quantitate af-
sumto, infusum theiforme ex veronica, melissa, betonica, radice liquiritiæ & semine scenicali superbibendū dedi: alterum est pulvis ex lapi-
dum cancerorum, radicis pimpinellæ
nigræ, & iridis florentinæ æquali pon-
dere oompositus, & ad drachmam di-
midiam

midiam bis quavis hebdomade vesperi sumtus. Ex quorum remediorum usu per aliquot hebdomades protracto magnam vidi efficaciam.

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Vertigo levit. folio machilis: **V**ix quadraginta annorum meditationibus nimium indulgens, & animi mœrore, curisque per longum tempus agitatus, tandem de insigni capitii gravitate & levi vertigine conquerebatur; quæ in eo confistebat, quod mane potissimum & jejunio existente stomacho cuncta objecta videbantur nigra, & ipse pedibus vacillabat, ut sine lapsu metu vix ingredi potuerit. Ingravescebant hæc vitia, si tempestas ingruebat aquilonia, & præterea scipiis pituita viscida acida, interdum aqua limpida cum levi animi deliquio mane per os eructabatur; alvo existente strictiori: Implorato nostro auxilio ordinavimus pilulas nostras balsamicas, alternis diebus circa lecti introitum sumendas, & temperata quotidie pediluvia. Mane & hora pomeridiana quinta dedimus pulverem nostrum bezoardicum; & sub epulis essentiam corticum aurantiorum; cum balsamo vitae remixtam. Eodem balsamo inungi tempora cum vertice, eundemque naribus ac ioveri, & quandoque loco pulveris bezoardici ad decem guttulas cum infuso betonicæ, melissæ, salvicæ & veronicae intus exhiberi jussimus. Extrinsecus ad reprehendendum humorum ad caput raptum capiti non sine fructu applicuimus epithema ex camphora in spiritu rosarum soluta, aceto rutaceo, rosaceoque confectum; & mane panem butyro illatum, ut comedeter, suasimus. Inde obtinuimus, ut perfectam æger re-superaret sanitatem.

EPICRISIS.

Est hæc vertigo sympathica stomachalis. quæ a cruditatibus acidis, ventriculumque vellicantibus origines trahit. Fovet enim ventriculus insignem cum capite consensem vi paris nervorum vagi, per quod spasmi ac stricturæ simel ad superiora propagantur. Præterea præcordiorum stricturæ id secum trahunt incommodi, ut humores ad caput compellant, quivel in carotidibus arteriis, vel plexu choroideo accumulati, stagnantes, nervosque opticos comprimentes, vertiginem inducent. Quo acrior igitur est materia in ventriculo hospitans; eo gravior & spasmodus & vertigo est: qualis matutino præfertim tempore, ubi jejunus est stomachus observatur. Quare crebra etiam compertum habemus experientia, nunquam vertiginosis utile esse, ut jejunii permaneant; sed magno ipsis esse levamini, si mane parum cibi, & vel solius panis butyro illiti assument. Curatio eo dirigi debuit, ut fordes exprimis viis removerentur, & ventriculus una cum nervoso genere corroboraretur: qui scopi propositis medicaminibus optime potuerunt obtineri. Nec enim opus fuit, in præsenti per diuturnos mœrores ac meditationes valde debilitato, venam se-care; id quod in vertigine idiopathica, nunquam intermitti debet.

OBSERVATIO II.

Vir annorum sexaginta sex, temporamenti sanguineo cholericæ, corporis obesioris, matre nephritide ac vertagine caduca defuncta natus, in juventute sua fanus vixit, nisi quod & artuæ arthriticos quandoque & nephriticos motus fuerit perpetuus. Postquam vero per octo novissimos annos vitam magis otiosam sub diæta lauta, vinofaque egit; sensit primum motus hemorrhoidales, dein sub potu thermarum Carolinarum mixtum cruentum;

& denique gravem nephritidis paroxysmum , alvi obstructione , vomen-dique conatibus stipatum , sed ope emulsionum & nitroforum semper superatum , aliquoties toleravit . Suc-cessit demum vertigo cum artuum imbecillitate , quæ licet usu venæfectio-num & laxantium mitigari primum videretur ; paulo tamen post ex improviso vehementior cum vomitibus & sensuum abolitione recrudescebat . Sopitis per pulveres antispasmodicos vomitibus , vertigo caduca adhuc per quatuordecim inhærebat dies , le-ni febricula stipata , sub qua æger non incedere valebat , & pedes mirum in modum vacillabant . Anno abhinc elapso ad roborandos pedes descendit in balnea calidiora cum herbis radici-busque nervinis parata ; sed brevi post in plenarium memoriarum abolitionem , cum linguae paralysi & summa extre-morum debilitate conjunctam inci-dit . A quibus sensim liberatus incom-modis , tantum tamen pedum retinuit imbecillitatem , ut vix incedere pos-sit . Ab eo tempore nephritici motus plane siluerunt , & magis magisque pingueſcit corpus : sed vertigo per inter-valla revertitur , & cum sternutatione non modo invadit , verum etiam finitur . Consultus ego suasi , ut pro ratione plethoræ bis quotannis vena in brachio secaretur ; loco cerevisiae de-coctum ex radice chinæ , sarsaparillæ , Santalo citrino , rasura ligni aloes , passulis ac cinamomo adhiberetur , sumto desuper pauxillo vini . victum commendavi exſiccantem , abstinen-tiam a pinguibus , carnis coctis , & jusculis ; nec non pediluvia ex herbis nervinis , sale communi , cineribus que clavellatis parata , & post horum uſum juncturas & os sacrum unguento martiato , cum oleo rorismarini , thy-mi & majorana mixto inungendas suasi .

E P I C R I S I S .

1.) Præsens vertigo debetur con-gestioni humorum ad caput , a spasmis hypochondriorum hæmorrhoida-libus & nephriticis productæ : unde etiam ejus singulos paroxysmos vo-mitus sunt comitati . Pedum vero insignis vacillatio , non a sola ver-tigine derivanda ; quippe qualis non nisi sub ipso vertiginis paroxysmo semet exferere solet : sed originem omnino trahit ab atonia membra-narum , quæ medullam spinalem , inferiori spinæ parti inclusam cingunt , & hinc ad pedes prodeuntium nervorum ; quæ per motus nephri-ticos fuit relicta .

2.) Quemadmodum plethoricis & sanguineo cholericis calidiora & spi-rituosa omnia , nimiam sanguinis ebullitionem concitando , sunt no-centissima ; ita præsertim infensa is deprehenduntur , si jam capit is quo-dam morbo laborarint . Hinc enim factum est , quod noster ægrotans ex balneariorum calidiorum usu (quæ alias tepida nil nocent) apoplecticum ferme insultum contraxerit , qui linguae paralysi , memoriarumque debilitate se prodiit . Discimus ergo , & balnea & pediluvia in capitib⁹ affectibus usurpata semper esse tepla .

3.) Annexa erat huic obſervatio-ni quæſtio : num thermæ Carolinæ ex uſu ægroti eſſent ? Diffuſi au-tem earum uſum . Aegeſ enim non ſolum sympatheticæ vertigine laborare cendendus eſt ; ſed omnino idiopathica , a primarum viarum spasmis & excitata , & exacerbata . Caufa hujus jam in diſpoſitione heredita-ria eſt quærenda ; qua cerebrum & nervi insigni debilitate affecti vi-dentur . Quo in caſu omnes & ther-mæ & acidulæ ſunt fugienda ; quo-niam per debilitata vaſcula non ri-te progrediuntur , ſed stagnantes ma-jora pariunt dama .

OBSERVATIO III.

Litteratus quidam quadraginta sex annorum, spongioso habitu, vasis hypobrachioribus, multisque succis praeditus, vitæque nimium deditus sedentariæ, per sedecim jam annos magno animi torpore, angore, mœrore, angustia præcordiorum, languore artuum, cephalalgia, borborygmis, & spasticis flatulentisque commotionibus valde discruciatus fuit. Hæc autem inter symptomata maximam ipsi crucem figebat vertigo tenebrisca & caduca, sub cuius accessione, nisi contineatur, omnino concidebat, omniumque sensationum usu carebat. Post capitis ad terram inclinationem malum protinus invadebat; & interdum punctula seu scintillula se oculis praesentabant. Nares erant ut plurimum sicciores, & si post sternutationem vel natura vel arte provocatam pituitam plorabant, malo ferebant levamen. Alvis valde segnis non nisi alternis diebus scybala duressima reddebat; sed somnus cum appetitu rite sibi constabat. Variorum medicorum consilia contra hæc mala expetiit sibi ægrotans; sed a nullo sensit auxilium. Quidam haud incebris, caussam in ventriculo hærere ratus, emeticum ex tartaro emetico propinavit, idque cum non moveret vomitum, quater adhuc eadem die iteravit, nullo tamen effectu, nisi quod alvis inde duceretur. Inter alia præsidia usus etiam est thermis Carolinis, & tribus quidem vicibus, cum levamine tantum brevi. Non minus hemorrhoidum, quarum tamen nulla adsunt molimina, provocaturus fluorrem, hirudines ano curavit admoveendas; venam bis in pede quotannis praebet secandam; & novissime serum laetis curæ loco potavit. Præterea diætam servat strictissimam; cavit sibi a multis mentis laboribus; magis indulget corporis exercitio; loco cerevisiæ pro potu aqua leviori, vino nupta utitur. Sed quum ex his omnibus nullum

Tom. IV. Pars IV.

levamen, nedum plenariam medelam reportaret; meum flagitavit consilium.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

1.) Vertigo præsens rectissime vocatur hypochondriaca, eo quod suos natales a malo hypochondriaco mutuetur. Hæc autem vertiginis species, si inveteravit, longe pertinacior, curatuque longe difficilior est, quam omnes reliquæ, utut idiopathicæ: quoniam omnes totius corporis nervosæ ac vasculosæ partes simul a tono suo sunt dejectæ, omnes totius corporis functiones simul languent, & ipsa mens anxia, meticulosa & inconstans est; unde etiam diurniore non perferrunt medicationem, sed mox hunc, mox illum adeunt medicum, & mox hoc mox illud adpetunt medicamen.

2.) Eo autem gravior est in nostro ægrotante morbus quum jam omnibus, quæ bis in affectibus adhiberi solent, usus fuerit remediis, & novissime tale vitæ genus selegerit, quale ad curandos ejusmodi morbos admodum necessarium est: neque tamen minus valetudinem nondum recuperavit. Præterea ad majorem hujus mali pertinaciam multum contribuit 1.) perversa medicatio, qua vomitorium uno die quinques, idque pessimo consilio fuit adhibitum; 2.) alvi contumax, nec ullis remediis cedens segnities; quippe quæ spasmodicam imi ventris stricturam, una cum majori humorum ad caput rapto sustentat.

3.) Quamobrem angusta profecto curationis spes superest; quæ non alia ratione institui poterit, quam ut ægrotus exactissimæ viæ observationi insistat; pediluviis tepidioribus, blandis laxantibus, & nervinis utatur; & demum molares Carolinarum thermas sub debito adhibeat regimine.

OBSERVATIO IV.

Vertigo cum cataracta Vir juvenis, maritus, temperamenti sanguineo-cholerici, sub regulari nocturnis hemorrhagia sanus semper vixit: ea vero ineunte æstate cessante, capitum dolores per totam æstatem perpetuo afflentes sensit. Hos Decembri mense remittentes excipiebat gravis vertigo cum tendente & lacinante muscularum temporalium dolore, somnoque turbulentio stipata. Jungebantur oculorum obnubilationes, & ante illos punctula perpetuo obversabantur. Alvus insuper adstrictior erat; & flatulentiae, utut cibi non nisi molles sumerentur, abdomen cum spirandi difficultate distendebant. Ipse certum æger corporis exercitio haud multum studebat, nec unquam sanguinem sibi curaverat detrahendum. Ego itaque consultus fuasi, ut ter quotannis ex pede mitteretur sanguis; vesperi adhiberentur pediluvia; post venæctionem emplastrum vesicans exemplastri de meliloto uncia una, cantharidum drachma una, & balsami Peruvianni drachma dimidia nucha applicaretur, & per quatuor gestaretur hebdomades. Commendavi etiam Elixir meum viscerale ad octoginta guttas sub epulis sumendum; laxans rhabarbarinum bis quavis hebdomade capiendum; & cum recta vivendi ratione loco potus aquam vino permixtam ordinavi.

EPICRISIS.

1.) Vertigo, quam præfens ætate adhuc junior patitur æger, dupli nititur caussa: quarum unam suppressæ & intermissæ sanguinis excretiones; alteram flatulenta & spasmodica hypochondriorum pathemata exhibent. Priorem quod attinet, duplex ea iterum est; siquidem non solum nocturna hemorrhagia per ætatis rationem cessans, verum etiam venæctionis, quæ succedere debisset, intermissio accusari merentur. Alteram, quæ mali hypo-

chondriaci initia significat, testantur alvus adstrictior, borborygmi & flatulentia intestinorum, spiratio difficilis, & digestio vitiata.

2.) Iisdem caussis debetur cataracta incipiens sive spuria, quam ægrotus patitur, quamque significant scintillæ ac punctula oculis obversantia. Id vitii genus ex hypochondriaca passione generari novum non est: quum enim ob male constitutum ventriculum chylus generetur crassus & impurus, qualis etiam fit sanguis; & hic majori copia ob inferiorum partium spasmos ad caput compellatur, in oculis stagnet, & dimittat particulas crassiores: hæ in aqueum delapsæ humoris efficiunt eam sensationem, qua punctula oculis obversari percipitur. Quo ex vitio successu temporis ipsa emergit cataracta.

OBSERVATIO V.

Matrona generosa, sexaginta annorum, temperamenti sanguineo-melan-cholici, a teneris pro potu plerumque vino, & cibis crudis, coctuque diffi-cilioribus uti solita, permultos vario-que morbos toleravit, sed feliciter semper superavit. Post menstruorum cessationem hemorrhoides eruperunt, & per multos annos magno cum sanitatis emolumento fluxerunt. Quarum fluor cum ante triennium sponte file-ret, nihil tamen incommodi ad sanitatem inde pullulavit, eo quod venæctionibus ac scarificationibus moles sanguinis semper imminuta fuit. At elapso anno quum paucis post institutam circa autunnale æquinoctium ve-næctionem diebus, ostrearum justo majorem comedit quantitatem: acci-dit, ut gravi vertigine, præcordiorum anxietate, nausea, & vomendi conatu corriperetur; quæ cuncta symptomata, redditæ per vomitum multa pituita protinus conquieverunt. Sed interjectis aliquot mensibus longe ve-hementior redibat vertigo, extremo-rum frigore, pectoris oppressione, pulsu-

*Vertigo ex debite
itate ventris
culi.*

pulsuque magno & pleno stipata ; quæ ope clysterum alvum solventium , frictionum , & antispasmodicorum paulo mitigata ; venæ autem incisione prorsus sublata fuit . Neque tamen minus nausea adfligebat adhuc cum intercurrente levi vertigine ; quæ dato blando emetico ita debellabatur , ut ægra per aliquod tempus sana videtur . Sed brevis erat valetudo : siquidem circa vernale æquinoctium recrudescebat utique vertigo , cum dorsi & ossis sacri gravissimis doloribus ; & per aliquot hecdomades ægram lecto assiebant , donec prorumpentes hæmorrhoides felicem toti scenæ imponerent finem . Circa solsticium autem vehementis terror omne revocavit malum , quod abhinc , suppressis plane hæmorrhoidibus , inque cassum adhibitis intus Egrani , externe Lauchstadiensis aquis , nullis expugnari potuit medicinis , quin per intervalla rediret . Ego demum consultus pro potu decocta cum vino , laxantia rhabarbarina & Elixir nostrum viscerale commenda vi ; ad firmandum nervorum robur pulverem ex lapidibus cancrorum , pulvere Marchionis , nitro depurato , succino præparato , cardamomo , & cinnabari nativa præscripsi ; & venæfectionem quater quotannis repetendam ordinavi . In ipso vertiginis paroxysmo suasi , ut ano clyster infundatur , tum pedes immittantur pediluvio , & interne aliquot balsami vitæ cum quindecim liquoris anodynī guttis remixtæ exhibeantur .

EPICRISIS.

Fœminas , quibus post mensium cæsationem hæmorrhoidalis fluor stato tempore contingit , easdem ab eo utilitates circa sanitatem sentire , quas ex legitimo menstruorum fluxu perceperunt , quotidiana docet experientia . Quod si vero utraque excretio ob qualunque caussas cessat ; rectissime sibi consulunt , qui earum vicem artificiis sanguinis supplent missionibus .

Quemadmodum vero hæ sub debito regimine administratæ , incomparabilem inferunt sanitati usum : ita neglecto regimine , multorum auctores fiunt malorum . Et id in præsenti contigit etiam casu : immoderatus enim ostrearium usus mox a venæfectione , ansam præbuīt cunctis , quæ sequuntur affectionibus . Nam post venæsectionem per aliquot dies ab omnibus coctu difficultioribus cibis abstinentendum est ; quia ventriculus justo debilior , iisque digerendis impar existit .

2.) Discimus etiam ex præsenti casu , quantas & in producendis , & revocandis morbis vires possideat vehemens terror . Aegrotans nostra , si post adhibitam medelam , rectæ vivendi rationi studuisse ; procul dubio ab omnibus libera permanisset symptomatis . Sed terror omnia rursus exacerbavit ; quippe qui constringendo corporis habitum , ad interiora & superiore repellit vitales succos , qui accumulati in partibus nondum firmatis , pristinas ludunt scenas .

OBSERVATIO VI.

Vir generosus , quinquaginta sex *Vertigo* annorum , temperamenti sanguineo *ex homacho* cholerici , vitæ sedentariae addictus , a prima infantia ad vicesimum circiter primum ætatis annum , variis efflorescentiis scorbuticis , asthmaticis affectionibus & largis narum hæmorrhagiis laboravit . Aetate adolescente arthritici artuum & dorsi motus accesserunt ; sed venæfectione circa quodvis æquinoctium abhinc administrari solita mitigati , in fluxum tandem hæmorrhoidalem desierunt ; quo per multos annos singulis ferme mensibus crux , utut parca quantitas cum singulari sanitatis allevamento effluxit . Ante triennium parcus promanavit crux , & per novissimum annum fluere prorsus desistit : quo tempore sanus quidem vixit , nisi quod per intervalla efflorescentiæ purpuraceæ , cum doloribus artuum tensivis , flatulentis , cordis palpi-

palpitationibus, & nocturnis pollutio-
nibus corpus occupaverint, hancque
præsertim scenam Decembri & Aprilis
mense luserint. Novissime acceſſerunt
vertiginosa molestia, quæ cum cordis
palpitatione, inflatione abdominis fla-
tulenta, & crebris ructibus, post
prandium æque ac coenam gravius ad-
fligebant; sed adhibitis congruis me-
dicinis evanuerunt. Quum autem ea-
rum recursum, quin apoplexiā tim-
eret; meum flagitavit consilium.
Quare suasi, ut sub convenienti diæta,
& acidorum, spirituorum ac vino-
forum evitazione, nec non debita ve-
næflectionum continuatione, adhibe-
ret pediluvia; sub epulis caperet Eli-
xir nostrum viscerale, pro potu utere-
tur decocto ex hordeo, radice cicho-
rei, semineque foeniculi; & quando-
que pilulas balsamicas cum pulvere
præcipitante sumeret.

E P I C R I S I S.

1.) Innumeris exemplis & obſervationibus confirmari potest, quod qui in juventute largis narium hæmorrhagiis obnoxii fuerunt, his progrediente ætate cæſſantibus, arthriticis ac hæ-
morrhoidalibus afficiantur pathemati-
bus. Quibus omnino medelam ferre
licet, si vel hæmorrhoidum regularis
fluor provocari potest; vel convenien-
tes insituantur venæflectiones. Unde
etiam noster ægrotans sanus vixit,
quam diu fluxerunt hæmorrhoides.

2.) Quod si vero hæc supprimatur
excretio; quam vel sola vita otiosa,
crassos reddendo humores, & excretio-
nibus ineptos supprimere valet: stagnat
fucci in imo ventre, maximeque ven-
triculo & intestinis; quæ debilitantur
exinde, & officio digestionis rite per-
ficiendo minus sunt idonea. Hinc gi-
gnuntur cruditates in primis viis: quæ
ventriculi & conterminarum partium
spaſmodicas excitando ſtricturas,
vertiginis in nostro caſu cauſæ fue-
runt.

O B S E R V A T I O VII.

Vir sexaginta sex annorum, robu-
ſtæ & sanæ constitutionis, aliquando ^{Vertigo pertinax ab ira.}
circa vespertinum tempus vehementi
exardescens iracundia, sanus quidem
lectum petit; at mane surgens, tan-
ta prehendebatur vertigine, ut iterum
in lectum proſterneretur. Eadem et-
iam per aliquot menses affixus fuit;
donec exhibita remedia id quidem effi-
cerent, ut munis domesticis fungi,
& obambulare potuerit; nihilominus
vertigo pertinax continuat, ægrotumque per vices subito in terram pro-
ſternit. Cui cum medelam quæreret;
suasi venæflectionem bis quotannis ce-
lebrandam; dedi infusum theiforme
ex melissa, citrique corticibus; &
pulverem, qui cornu cervi philoſo-
phice præparatum, pulverem Mar-
chionis, lapides cancrorum, ſuccinum
præparatum, nitrum & cinnabarum
habebat. Unde factum, ut conjuncto
balsami vitæ extero uſu haberet egre-
gie.

E P I C R I S I S.

Senes, quamvis illibata sanitatem,
magnaque corporis & animi vigore
fruantur, accidit tamen ſæpius, ut
gravi animi perturbatione, ſubito ter-
rore, vel insolenti ira in ingentem vi-
rium defectum, quin etiam in affectus
vehementer caput infestantes incident;
idque eo magis, si ſanguine abundant,
vel criticae hujus evacuationes cefſant
& conſueta venæ ſectio intermititur.
Quo in caſu opus omnino est, ut fan-
guis mittatur & vehementes nervola-
rum partium commotiones blandis fe-
dativis ſopiantur, abſtinendo ab omni-
bus iis calidis nervinis, quæ ſanguinem
valde commovent. Eſt alias li-
quor noster balsamicus, qui balsa-
mi vitæ nomine venit, in affectibus
ſenum, capitis præſertim, & arcendis
& ſanandis efficacissimum & crebriori
uſu comprobatum remedium. Caven-
dum tamen ab eo eſt ſumimopere, ubi
valo-

vasorum est plenitudo & dispositio ad motus hæmorrhagicos & congestorios.

OBSERVATIO VIII.

Vertigo caduca in sanguinis prima- rumque viarum visio. Vir Reverendissimus quinquaginta annorum, temperamenti cholerico fanguinei, obesus & procerus, in jugulis ventute narium hæmorrhagiam sub illo libata sanitate expertus, nec ullis unquam morbis, nisi bis tertiana, novissime ietero discussa, fatigatus, ob insignem sanguinis & humorum copiam per viginti jam annos venam medianam quotannis tundendam præbere suavit. Neque vero minus per quindecim annos hæmorrhoides bis vel ter quovis anno absque ullis incommodis, nec sine egregia valetudine fluxerunt; quæ vero quatuor abhinc vel quinque annis febres commotiones nunquam non habuerunt præcursorum. Sed per novissimum triennium mutata fuit rerum facies; siquidem per crebra intervalla vertiginosus accessit insultus, quem semper comitatæ sunt hæmorrhoides cœcæ, adeo ut eo tempore non nisi bis fluentes fuerint. Hinc vertigo magis magisque increbuit, caducæ species omnino referens: etenim ex improviso cuncta videntur in gyrum rotari, pedes vacillant, titubant, ægerque lapsum evitaturus, desidere tenetur; tum vero magnam capitatis imbecillitatem sentit, maxime in cervice, ut caput erectum tenere nequeat, sed pectori illud adplicare teneatur: præterea refrigescunt expallescuntque facies, manus atque pedes, & non raro ipsi sensus cum ratione turbantur; quædemum cœcæ hæmorrhoides, mox iterum evanescentes excipiunt. Præterea auditus difficultas cum tinnitus auris sinistri infestat, æger appetitu fruitur integro, alvoque gaudet aperita; sed crebri vexant ructus, & insignis muci quantitas laborioso nonnunquam redditur screatu. Contra quæ mala cum plura pharmaca, nec non hirudines frustra fuerint adhibita: ego consultus fuavi, ut servatis recte vi-

vendi regulis, venam bis terve secandam quot annis daret; crebris uteretur pediluviis; quavis hebdomade alcum pilulis meis balsamicis laxandam curaret; sub epulis Elixir meum viscerale, oleo macis & cinamomi nuptum caperet, & vesperi nonnunquam pulverem ex antimonio diaphoretico, succino præparato, lapidibus cancerorum, nitro, arcane duplicato, & cinnabari usurparet.

EPICRISIS.

Hæmorrhoides insignem cum ventriculo & intestinis habere nexum, crebra docet experientia. Iis enim impedit fluentibus, vim concoctricem ac peristalticam dictarum partium admodum debilitari, passionemque sic generari hypochondriacam; & vicissim labefactato intestinali tono hæmorrhoides produci symptomaticas; quam plurimis didici exemplis. Idem in præsenti casu contigisse, inque primis ex hæmorrhoidum imminuto fluore primas vias vitium contraxisse; vel crebri ructus mucique screatus testantur. Quem vero fugit, ventriculo male habente, omnino generari vertiginem.

2.) Sed hujus in hoc casu ratio adhuc ab ipsius sanguinis copia, & ad caput facta congestione accersenda videtur. Scilicet dum siluerunt hæmorrhoides; natis in abdomen spasmis, humores copiosus ad caput rapti, distenderunt vasa, compresserunt nervos, turbarunt sufficientem liquidum tenuissimi in eos influxum, & sic produxerunt vertiginem, nervosarum capitis partium debilitatem. Spasmos inferiorum partium sub paroxysmo significant frigus extremarum partium; quibus remittentibus, cœcta adparuerunt hæmorrhoides.

3.) Febries commotiones, quæ hæmorrhoidum antecesserunt fluxum, significant, sanguinem jam crassorem & ad excretiones minus aptum fuisse. Observamus enim, spasmodicos ac febries motus omnem fere

fere antecedere hæmorrhagiam, eoque vehementiores, quo hæc succedit difficultius.

OBSERVATIO IX.

Vertigo. Serenissimus ætatis annorum quæ frigo draginta, a patre genitus podagrico re pedū per omnem fere vitam nunquam ægrotavit, nunc vero per quinquennium moderata, gravis vertigo subinde adeo eum invanit potu dicit, ut vacillantibus pedibus eum præsternat: ut plurimum periodice, circa octavam matutinam & vesperi circa quintam incidit, mox levior, mox gravior: accessionem tinnitus & auditus difficultas cum oculorum stupore & obnubilatione antecedit, facie exstante rubicunda & venis turgida. Ubi paululum affectus remittit, protinus pectoris cum anhelosa spiratione oppressio & dolor ac spasmus femorum, nonnunquam etiam vomitio vel conatus ad vomendum, neque minus dolor in reddenda urina adsunt. Solvitur malum ingenti materiæ tartareæ per urinam secessione. Pedes subinde frigi præsertim circa malleolos, nunc per quatuor hebdomadum spatiū tument cum dolore tensivo, torpore & debilitate, insprimis post pediluvia & tum levius malum existit. Sanguinis vacuationes criticæ per omnem ætatem visæ sunt nunquam, at vero circa æquinoctialia tempora sine incommodo sanguis screatu sicut rejectus, qui postea per annum ter incisa vena evanuit. Consultus ego suasi venam singulis anni quadrantibus in pede secandam & ut abstineret a cerevisia valde lupulata, venere, vini potu, cui paulo largius indulxit, aquam pro potu sumat, ac pedes probe a frigore defensat eosque mane, ut pessime consuevit, non nudet, pediluvia vero frequentius adhibeat & ad vim ventriculi concoctrīcē confirmandam in prandio temperatum balsamicum meum sicutum viscerale ad 60. guttas assumat. Suasi quoque ut instantे vere fontem Egranum cum debito regimine

interposito pilularum balsamicarum usu biberet.

EPICRISIS.

Hoc capitū frequentissimum vitium, ut saepius observatum a me est, a liberaliori vini potu, extremorum frigore, sanguineæ evacuationis sive per naturam sive per artem defectu in sanguine plenis subinde oboritur & laborantem saepè diu trahit, immo, nisi commodis auxiliis succurratur, in apoplexiā & mortem præcipitat. Ubi ex hisce causis nascitur malum, ego levissimis, facilimis & promptis modo enumeratis remedis diæteticis plus præstiti, quam generosis pharmacis. Sed opus est, ut ejusmodi vi- & vivendi ratione diutius ægrotantes utantur.

OBSERVATIO X.

Illus tristissimus Comes annorum sexagenaria trium in juventute semper robustus & bene valens, temperamenti sanguineo cholericæ, corpus venationibus probe semper exercuit: ante vi- & fortunam annos Silesiac in continuam & obnubilacione tartone acutam febrem ex abuso vini Hungarici incidit, quæ naturæ vires ac robur corporis adeo infirmavit & destruxit, ut vix intra tres menses functiones tam vitales quam naturales in ordinem redigi potuerint. Ab eo tempore imbecillitatem capitū cum vertigine per intervalla expertus est, quæ succedente tempore ingravescens ante quadriennium tam vehemens facta est, ut in terram Illustrissimum Virum præcipitaverit. Et licet crebriores hujus affectus accessiones per repetitas venæsectiones, leniter purgantia & alia commoda remedia fuerint præpeditæ, attamen adhuc ex vitio digestionis sub subitis tempestatis mutationibus ineidunt. Quod pessimum vero est, comitatur hoc vitium ingens audiendi difficultas & visus obnubilatio. Vires præterea constant, somnus placidus &

& major quam decet & laboris exercitationisque necessitas exigit, ciborum est appetentia. Inflantes vero cibos ac pingues, quorum usum frequenter soda excipit, minus bene ferre potest. Pro potu sumit aquam & singulis diebus duas vini Mosellani bibit mensuras, facies est florida, rubicunda. Per sex fere annos verno tempore fonte Egrano usus singulis fere annis quater, quinque, imo sex V.S. admisit.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Infirmitatem, quæ magnos & diuturnos morbos sequitur, aliis gravibus morbis, qui inde prodeunt, obnoxiam esse, & hæc historia & multæ aliæ nobis cognitæ manifesto satis confirmant. In ejusmodi diuturnis vitiis ego vix alii quam diæteticis remedii usum esse animadvertis. Interdixi itaque ex hoc fundamento liberaliorem vini usum, motum vero & exercitationem corporis ad sudorem usque pervectionem aut equitationem, neque minus abstinentiam a cibis, præsertim mucilaginosis, flatulentis, pinguibus ac vietum parvum & extenuantem imperavi, utpote cum ex sanguinis & succorum abundantia plerunque ad imbecillius caput congeftio proficiatur. Et quia ventriculi imbecillitas id vitii valde fovere & augere solet, semper omnino medicum, ea quæ concoctionem juvant, proponere oportet; quo nomine Elixir meum viscerale, idem quod in notis in Poterium præscriptum est, principem sibi vindicat locum. Postremo, hanc ceu perpetuam, &, quæ meretur notari, observationem subnectere hoc loco volui, idque maxime in gratiam juniorum medicorum: in capitib; affectib; ut in vertagine, auditus difficultate, ubi a sanguinis abundantia ortum traxerint, communia illa adversus ejusmodi morbos commendata cephalica, nervina balsamica, ad quæ etiam pertinent balsama apoplectica, & balsamum nostrum sic dictum vitale, nec

externe nec interne, nisi cum maxima prudentia exhibenda esse, eo quod majorem motum & orgasmum in humoribus excitando & consequenter stagnationem efficiendo pessimos effectus producant.

OBSERVATIO XI.

Litteratus triginta trium annorum, ^{Verrigo} temperamenti sanguineo-cholerici, ^{caducæ.} animi sensibilioris, crebris mox lucubrationibus & meditationibus, mox compotationibus, mox animi pathematibus indulgens, nocte aliquando in frigido conclavi scribendo transacta, mane facturus iter ex improviso gravi corripitur vertigine, quasi caduca: quippe ultra horæ spatum instar attoniti jacebat, oculoque celeriter invitus movebat, tum facies intumescebat, & paroxysmus sensim, reliquo corporis languore, remittebat. Abhinc quavis circiter hebdomade redibat; & novissime sic se habebat: Prævia insigni iracundia, cum mensæ pransurus adsidere vellet, frigus pedum, tanquam regularem mali prænuncium, sensit; hinc dissipatus affectum discurrere per conclave nititur; sed vertigine opinione citius accedente præpeditus, pedes aquæ tepidae immergit, & ex aqua frida triginta liquoris anodynæ guttas sumit. Unde factum, ut paroxysmus, qui alias per aliquot horas inhæret, non solum protinus cessaret, verum etiam mitior esset, & non nisi levi lassitudine semet exsereret. Verum cum nihilominus per intervalla posthæc reverteteret accessio: meum ad eam penitus abigendam implorabat consilium. Quamobrem suasi primum, ut vertæctionem, quam antea singulo tantum biennio admirerat, bis quotannis administrandam curaret; deinceps corporis exercitio, & tranquillitatí mentis probe studeret; pediluvias tepidis frequenter uteretur; pro potu ordinario adhiberet fontem Selternum; quavis hebdomade pilulas balsamicas

micas cum pulvere præcipitante usurparet; & mane denique ex infuso theiformi guttas quadraginta mixturæ, quæ habebat liquoris anodynæ, tinteturæ antimoniæ acris ana unciam diuidiam, balsami vitæ drachmam unam, sumeret.

EPICRISIS.

Hæc vertigo rectissime vocari potest spasmatica; eo quod a spasmis ac stricturis partium infernarum, succos vitales ad caput compellentibus in singulo paroxysmo originem traxerit: id quod frigus pedum, quemvis paroxysmum antecedens testatur. Et tali in easu utique consultum est, pedes mox sub accessionis initio tepidæ aquæ immittere: nec sine fructu adsumptus sub ipso paroxysmo est liquor noster anodynus; siquidem hæc remediorum genera, spasmum partium externarum relaxando, omnino avertere paroxysmum potuerunt.

2.) Causa occasionalis, quæ hanc vertiginem introduxit, frigus quidem est; sed recte dicitur occasionalis, quoniam in corporibus, quæ non jam aliqualem dispositionem fovent, tam gravia non semper excitat mala. Noster autem ægrotans cum partim per crebras animi commotiones, partim etiam multas lucubrationes, & fluidorum crassitiem & solidorum debilitatem sibi contraxisse videtur: ex facili accedente frigore in vertiginem potuit incidere.

3.) Quod sub paroxysmo vertiginoso oculi moti ac velut convulsi fuerint, id cum vertiginis essentia facile conciliari potest. Nam vertigo dependet a quasi paralytica nervi optici relaxatione; & motus oculi a pari nervorum tertio; seu oculorum motorio: qui omnino convelli potest, altero nervo existente paralyticō.

CAPUT IV.

DE GUTTA SERENA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

G Rave malum est cœcitas, quam Græci *αμύωσιν*, Latini guttam ^{Gutta} serenam, quasi gutta quedam obturasset nervum opticum dixerunt, & *piso-* nos per visionem ab influxu fluidi ner-*serena*
vei in nervum opticum prorsus inter-*descri-*cepto, oculis illæsis existentibus, sub-*lata-*latam describimus. Sub ea, si exte-rius oculum inspicias, sanus & integer apparebat oculus neque in tunicis ipsius, neque in humoribus labes conspicua est ulla, tantum quod pupilla naturali amplior, nigrior, nimiumque dilata-*ta compareat*, & ad radiorum lumi-*nosorum illapsum rigida spectetur* & immobilis: nihilominus visio vel prorsus est abolita, vel saltē facultas re-*stat tenebras a luce discernendi.*

§. II.

Distinguit ergo lemet hic morbus 1) *Distincta* a vertigine, in qua circumgyrationis sensus, & pedum adest vacillatio, flui-*de seren-*di vero nervei influxus nec prorsus est ^{ne} 1) a ver-*interceptus*, sed saltē immunitus, ^{2) a ver-} nec etiam perpetuo talis. Differt etiam ^{tigine,} a catarracta; nam in hac crystallinus ^{2) a can-} humor opacus cernitur, & pupilla ad ^{tarracta} lucis splendorem coartatur, in tene-bris autem locis dilatatur: contra in gutta serena per pupillam pellucidus adaparet humor crystallinus, & pupilla, sive sit in lucido, sive obscuro loco, nec contrahitur, nec magis dilatatur, sed permanet immobilis.

§. III.

Neque vero eadem semper ratione *Histeri-* se noster habet morbus: mox enim ^{ea gutte} subito & repente invadit, ut plerumque sit, ^{serena],} sive violentis & externis oris-^{expedita,} tur causis, ut post casum ab alto & ^{gra-}

gravem capitum percussione. Vid. HILDANUS *Cent. 5. Obs. 8.* it. AMA-TUS LUSITANUS. *Cent. 5. Obs. 64.* mox successiva visio perditur, quod in senibus potissimum hemiplexia vel paralyse affectis, aliisque languidis contingit corporibus: mox associantur capitis dolores, vertigo, somnolentia, tinnitus & susurrus aurium &c. mox vero vacat his symptomatibus, solaque cecitate adficit. Datur quoque gutta serena periodica, quæ subito invadens, & per aliquot horas vel dies durans, sponte cessat, sed saepe revertitur, ut fere sit in hypochondriacis, hysterics & parturientibus. Dividitur etiam in perfectam & imperfectam; in illa ulla nec visio, nec ullum luminis vestigium superest; in hac lumen adhuc a tenebris discerni potest, & videtur ad hanc quoque pertinere dimidiatus visus, cuius peculiarem speciem describit CHR. SIGISM. WOLFFIUS *diff. de amauosis imperfecta 1709.* Trajecti habita; ubi quis non nisi truncum inferiorem cum pedibus in homine potuit videre.

§. IV.

Scilicet anato- Quum in gutta serena oculus exter-
mico- ne ab omni vitio liber conspiciatur;
gutta se- haud sine ratione colligimus, causam
tina pa- mali non in ipso oculo, sed nervo po-
tempo- tius optico esse quærendam. Et hoc
idem evidenter demonstrat incisio eorum, qui per vitam luminis usum caruerunt: hæc enim docet, nervos opticos
fuisse nimium extenuatos, marcidos
ac duplo minores, Vid. BONETUS
Sepulch. L. I. Sect. XVIII. obs. 3. & 4. vel
sero aut sanguine per cerebrum extra-
vasato circumfusos & compressos, si-
cut adnotavit WEPFERUS *de apopl.*
hist. IV. aut tumore duriori obcessos,
qualem circa eorundem originem vidi-
BONETUS *h. c. obs. 1.* PAWIUS *obs.*
anat. 2. confixit vescicam aqueo hu-
more plenam, dictis nervis circa eo-
rum conjunctionem insidentem, PLA-
TERUS tumorem globosum prope
nervos visorios in gutta serena labo-
rante post mortem deprehendit, &

BONETUS *l. cit. obs. 5.* observavit ar-
teriam carotidem, eo quo orbitam in-
greditur loco, sanguine turgidissimam.

§. V.

Multi quippe & tantum non omnes, *Gutta*
accusarunt nervi optici obstructionem *Serena*
a lymphâ crassiuseula, qua tubuli hoc *stibolos*
in nervo occludantur, ut liquidi ner-
vei ad retinam affluxus, vel sufflam-
inetur, vel intercludatur plane. Ve-
rum nondum ab Anatomicis evictum
est, nervis inesse canaliculos & tubu-
los, per quos liquidum recto vehatur
tramite. Neque etiam per cerebri &
oblongatam medullam crassior & co-
hærens lymphâ, sed longe tenuissi-
mum & ad cohesionem maxime aptum
liquidum fertur. Hinc in nervos ob-
structionem cadere neutiquam videtur
credibile, multo minus in opticis ner-
vis obstructio a materia ex cerebro ad-
vecta commodum invenit locum. Cunctis his in casibus nervorum opti-
corum ea debet fieri compressio, quæ
omnem fluidi nervei in eos influxum
tollere, adeoque paralysin illorum va-
let inducere: unde sequitur, causam
guttæ serenæ proximam esse nervo-
rum opticorum paralysin. Jam ex ana-
tomica oculi structura notum perspe-
ctumque habemus, nervum opticum,
simulac osseum oculi orbitam & hanc
investiens intus periostium penetravit,
atque exterius, quod a dura matre re-
cepit, involucrum ad constituantem
sclerotidem depositum, altero involu-
cro, pia meningis propagine, uveam,
processus ciliares, & pupillam effor-
mare, medullari vero substantia tuni-
cam mollem & pulposam, quæ retina
audit, constituere. Notissimum por-
ro est, retinam picturas objectorum
visibilium recipere, illas ad sensorum
commune per nervum opticum propa-
gare, tumque visionis ideam in men-
te excitare. Ad sentienda vero ex-
terna objecta opus esse nervosatum,
partium tensione, quæ in legitimo
fluidi nervosi influxu consistit, ca-
pice jam primo de nervorum reso-
lutionibus fuse demonstravimus.
Quum

Quum autem in gutta serena adest paralysis nervi optici & per consequens tunicae retinae, ueræ ac processuum ciliarium: sequitur, has partes nec tensas esse, nec recipere posse radios luminosos, sed pupilam ampliatam & ob relaxatos processus ciliares dilatatam adparere. Nec aliud in oculo certatur vitium; sed & motus humorum, & muscularum eos moventium optime se habet: propterea quod & vasa suctos vehentia & musculi non ab optico, sed alius nervis, qui non sunt affecti, suas recipient propagines.

§. VI.

Gutta serena, *nervos opticos*, horum paralysin indu-sam per-^{sistit}, hæret vel circa illorum principia, pium, seu thalamos, vel circa eosdem oculorum orbitam ingredientes. Sed hærere etiam potest intra ipsum nervum opticum, & quidem in vasis sanguineis, quæ in ejus medullilio latent; & quorum præsentiam non modo recentissimi anatomicorum, verum jam WEPFERUS L. de Cicut. aquatica pag. 127. demonstrarunt. Hæc vasa, quæ carotidis propagines sunt, ut & alii carotidis rami, orbitam ambientes, si crux inibi stagnante infaciuntur, premunt distenduntque medullares nervorum canaliculos, simulque lymphæ per vasa nervos cingentia redditum impediunt. Hæc videtur causa guttae serena periodica; quæ discussa sanguinis stagnatione statim cessat. Porro etiam verisimile videtur, in spuria amaurosis nonnunquam serum intra tunicas oculi, maximeque sclerotica sedens, opticumque comprimens nervum esse accusandum: ubi perennante a tergo fluidi nervi afflxxu, ejus quædam ingreditur portio, quæ tantum relinquit visionis, quantum ad discernendam a tenebris lucem requiritur.

§. VII.

Subiecta. Quamvis morbus noster omni sexu & aetati sit infestus, si causæ externæ guttae violentæ, quæ gravem capitatis percussione, cerebri concussionem, & hu-

morum circa nervos opticos stagnationem provocant, accesserint: attamen si ex internis enascatur causis, familiaris potissimum est subjectis valde plethoricis, pituitosis, cacheeticis, senilibus, & quæ caput nervosumque genus a præcedentibus animi affectibus, diurno mœrore, auxia cura, nimiis vigiliis, ac capitisi laboribus, intempestivis studiis, lectione minutorum litterarum ad lucis splendorem, frequenti ebrietate, diurno frigore, & hæreditaria dispositione imbecillum sibimet contraxerunt. Et in eo quidem convenit cum reliquis cerebri affectibus, quod ut plurimum cerebri atonia nitatur.

§. VIII.

Si mediatas spectemus causas; illæ vel ad repletionem vel inanitionem commode referri possunt. Ad repletionis classem pertinet gutta serena^{1) in san.} quæ a sola sanguinis, plus minus crassi in vasibus cerebri, nervo optico conterminis stagnatione proficitur; & non solum transitoria nonnunquam ac periodica existit; verum etiam, si recens fuerit, medelæ locum relinquit. Talis evenit 1.) summe plethoricis, a vehementiori corporis motu, balneorum nimis calidorum usu, fortiori iracundia &c. qualém casum in CONSULT. MED. Sect. I. cas. XLII. relatum legas. 2.) parturientibus, vel in ipso partu, quæ debetur vehementissimis imi ventris stricturis, humores ad caput summo cum impetu propellentibus, & a BARTISCH in Ophthalmod. p. 6. C. 2. der schmarke Meiber-Staar vocatur; vel post partum, si fuerit laboriosus, & cum primis lochiorum accesserit defectus; qualém adnotavit, & venælectione brevi curavit MAURICEAU Cent. V. obs. 568. Notandum quoque, quod hemicrania, quæ interdum excipit puerperium, sèpius in cœcitatem terminet. 3.) Foeminis, ex defectu mensium, maloque hysterico laborantibus; qualém casum recensui in CONSULT. MED. Sect. I. cas. XLIV.
Memor

Meminit quoque PECHLINUS *L.I. obs. 42.* gutta serena, quæ cum cephalalgia singulis mensibus, deficiente uteri purgatione, adfligebat. *4.4.* Hypochondriacis, hysteris, & qui gravioribus imi ventris torquentur spasmis, quibus scilicet humores ad caput coguntur: unde notabilis est observatio, quam A.N.C. *dec. III. anno 3. obs. 81.* recensent de gutta serena, vehementem colicam cum alvi obstructione stipatam excipiente, & hac per clysteres curata, protinus cessante.

§. IX.

*2) 1a vi-
tia feri
& lym-
pœ.* Quemadmodum vero gutta serena, quæ a sola sanguinis stagnatione ortum trahit, est transitoria: ita e contrario hæc si diutius obhaerit, & subiecta pituitosa, cacoehymica occupaverit, dimittendo serosam, quæ ad nervos incumbit, portionem, diuturniorem & saepius immedicablem producit morbum. Novum igitur non est, a purpura, scabie, ulceribus, achoribus (vid. A. BEROL. *Dec. II. Vol. VI. pag. 28.*) intra corpus remeantibus id vitii oboriri; vel infantes imbecilliores, & qui humoribus abundant, eodem infestari; præsertim ubi non bene prodierunt morbilli, vel intestina lumbricis obsidentur. Idem fit post morbos acutos, febres malignas, variolas, phrenitidem; humore videlicet per metastasis ad nervos opticos decumbente. Nonnunquam plethorici vel cacoehymici ex fortiori vel purgatione vel vomitione cœcitatem sibi contrahunt; sicuti de vomitorii observavit GULDENKLEE *L.I. epist. 20. pag. 498.* Cum primis vero mercurialia inepte, & in corporibus impuris adhibita, lymphæ pertinacem stagnationem inferendo, ad hoc malum contribuunt.

§. X.

*Vita-
ni-
tus pro-
tul-
sum;
fusio-
ne
succor-
rum
vitalium* Hæ causæ ad repletionis spectant tunc protulsum; sub inanitionis autem voce complector nimias ac immoderatas succorum vitalium profusiones, quas nonnunquam guttam excipere serenam, experientia testatur. Præsertim

id contingit post effrenas haemorrhagias; & speciatim obortam cœcitatem observarunt post vomitum cruentum largiore A. N. C. *vol. II. obs. 52.* post nimiam venæfessionem in grida ibid. *obs. 45.* post detractum largiter e vena frontis sanguinem BONETUS *Sect. XVIII. obs. 2. app.* Dum enim humor vitalis exhaeritur, collabuntur vasa cerebrum perpestantia, secretio fluidi nervei imminutior fit, & inde vertigo, gutta serena, animi deliquia, aliaque propullulant incommoda. Præsertim vero notari meretur insignis consensus, qui hoc in casu oculos & partes genitales intercedit; siquidem observamus, ex immodica & intempestiva venere saepius oriri cœcitatem, quam ego multoties adnotavi & CONS. MED. *Sect. III. obs. CIV. p. 427.* recensui. Fluidum scilicet lymphaticum semenale cum eo, quod in cerebro secernitur, & per nervos distribuitur, ejusdem ferme indolis est & essentiæ: quare quo copiosior illius est excretio, eo parcior hujus secretio, unde partium nervosarum atonia, virus imbecillitas, & ipsa sequi solet cœcitas.

§. XI.

Gravissimum & pertinacissimum *Prognos-* gutta serena est malum; & in primis si *sit gutta* perfecta, si inveterata fuerit, si que *serena*, fenes & clangida subiecta occupaverit, nullum medelæ relinquit locum, tantum abest, ut graviores tandem apoplectici & paralyticci superveniant affectus. Contra malum recens, quod imperfectum est, & in oculorum duntaxat tunicis hærentem agnoscit causam, præsertim in junioribus & robustis subiectis, interdum sanatur. Non minus curationi cedit ea, quæ periodica est, & a sola sanguinis stagnatione dependet: quæ vero paralyticis, aliisque capitis morbis jungitur, periculum portendit vix superabile.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

Indications curatoriae.

Curandi guttam serenam ratio admodum est difficilis; quippe remedium vis remotas has, ac in osse craniī theca absconditas partes minus subire valet. Neque tamen minus incumbit medico, ut quid valeant humeri, experiatur, curationemque pro causarum ratione accommodatam instituat. Hæc vero binis absolvitur indicationibus, quarum prima discussio nem humoris stagnantis, & nervos comprimentis; altera affectarum partium roborationem respicit.

§. II.

Ad primum, qui difficillimus est, obtinendum scopum, generosiora, & indicia, quæ vocant heroica, in usum vocare sicut *serena*, *juvat* remedia. Quodsi igitur serosus humor in cerebro effusus stagnaverit, sicut fieri solet in subjectis pituitosis, *cachecticis*, *cacochymicis*, item post mortis coagulationes, remeantia exanthemata, & si affectus recens fuerit: magnum profecto præsidium est in cauterio actuali, syncipi ti vel nucha inusto; cui etiam substitui potest setaceum. Dupli hæc remedia operantur ratione, dum videlicet partim excitando dolorem, tremulam quandam & vibratoriam motionem tenuissimis cerebri fibrillis inferunt, partim affluxum humorum, qui plerumque vulnus infictum sequitur, proritando, succos stagnantes a cerebro & affecta parte avocant. Et si quid sperandum auxiliū; id sane a tali remedio in hoc affectu longe certius, quam a vesicatoriis, vel fanticulis obtinetur.

§. III.

Contra, si a sanguinis stagnatione ortum sit malum, uti fit in plethorice, florida & rubicunda facie, pulsus que magno præditis, & excretionum sanguinearum retentione laborantibus: cavendum a tali remedio, & a sanguinis potius missione inchoanda medela.

Utilis hoc fine est venæsectio in pede; sed longe utilior incisio venarum frontis aut arteriarum temporalium. Et hoc quidem præsidium ipsa docuisse videtur natura; siquidem exemplis confirmatum habemus, cœcos ex vulnera fronti inflicto, & hinc sequuta larga hæmorrhagia vifum recuperasse. Neque alienum est, hirudines temporibus admoveare; aut, in defectu fluxus hæmorrhoidalis, easdem ano applicare; aut si suppressa fuerit narium hæmorrhagia, has intruso stylo pertundere; ut cito & efficax fiat sanguinis ventilatio.

§. IV.

Deinceps ut in omni oculorum valitudine, ita quoque serena gutta maximopere *juvat*, alvum esse fusorem, quo stagnans in capite humor ad inferiora ducatur. Eo fine adhibenda remedia non decet esse draistica purgantia; sed blanda laxantia roborantibus nupta, qualaude pollent pilulæ balsamicæ cephalicæ, quarum capite de paralyti exemplum proposuimus. In usum quoque trahi possunt pilulæ nostræ balsamicæ, cum mercurio dulci & extracto panchymagogo Crollii combinatae: nec contemnendi clystères, paulo efficaciores; quorum virtus illustris est, si imi ventris stricture concurrant.

§. V.

Quando malum valde est inveteratum, & a lymphæ pertinaci in vasis nervos opticos cingentibus stagnatione sustentatur: præmissis iis, quæ proposuimus, unica spes in validioribus discutientibus, iisque potissimum internis est sita. Quo nomine bina præsertim remedia reliquis palmam præcipiunt; quorum unum est sulphur antimonii pro nostra methodo corredum; alterum cinnabaris. Confici ex his potest sequens pulvillus: Recipe cinnabaris nativæ præparatae, lapidum cancrorum, succini præparati andrachmas duas, salis volatileis succini, cornu cervi ana grana decem. M. F. pulvis div. in 12. partes, quarum fin gule

gulæ tria vel quatuor sulphuris antimonii grana addi possunt. Exhibitetur pulvillus talis quavis vespera; hauritur sequenti mane infusum, quod ex herba melissæ, semine foeniculi & radice valerianæ conficitur. Interponi etiam debent laxantia; jungi victus tenuis & exsiccans, & subjungi balsamica. Et si his cedere recuset morbus; confugiendum ad lenem salivationem, cuius ope nonnullos a cœcitate gravi sanatos novi.

§. VI.

Roborantibus & interponenda & subiungenda sunt externa discutientia, diffracta & nervina, balsamica. Ex iis illustrem tamen ex discutiendi facultatem possident sternutorum nutriri; & cum primis sal volatile ammoniaci siccum, & cum oleo salviae, majoranæ, balsamoque Peruviano maritatum, naribusque attractum, vel longe adhuc efficacius attractum ligni Quajaci resiniforme, quod ab evaporatione decocti ex hoc ligno remanet & a me inventum est. Cujus unum vel duo grana naribus suscepta vehementer cum sternutamento pituitam ex intimis capitis eliciunt. Imponi etiam oculis potest sacculus ex radice valerianæ, semine foeniculi & floribus rosarum paratus, & aqua sclopetaria, quam l'eau d'arquebuse vocant, irroratus; aut iisdem vapor ex recensito §. superiori infuso admitti. Omnia vero vim longissime superat balsamum vita nostrum, partim temporibus inunctum, partim aliquot guttulis sacharo exceptum & deglutitum: cujus usu me cœcitatem inter initia non semel discussisse memini.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

§. I.

*Cautela
cauteria
cauteria
cauteria
& fer-
mata.* **P**riusquam cauteria vel setacea adhibeantur; opus est, ut corpus cauteria tam a sanguinis & humorum nimia mole, quam ab eorum impuritate, & primæ via ab omni saburra liberentur. Quo scopo præmittendæ sunt sangu-

Tom. IV. Pars IV.

nis missiones, blanda laxantia, & medicamina sanguinem diluentia & depurantia. Eadem esse debet cautio in usu sternutatoriorum, ne scilicet, antequam corpus & caput justa purgatione levatum fuit, adhibeantur, quoniam alias humorum vehementiorem ad caput affluxum causantur. Verum eadem, corpore rite præparato, inter morbi initia desideratissimam servunt epem.

§. II.

*Circum
balsamæ
vitæ,* Ex roborantibus discutiente simul virtute præditis balsamum vitæ meum excellenti contra guttam serenam pollet efficacia; cum primis si ea a decubitu serosi humoris ad nervos opticos in subjectis pituitosis ac phlegmaticis originem traxerit; quo in casu novi balsamum illud inter initia capiti frontique cum linteis admotum omnino sustulisse cœcitatem. Eo autem cautius utendum in corporibus sanguine plenis, ubi sanguinis copia & congestio malum induxit; tum enim temperantia potius atque tam molem humorum imminuentia, quam ejus orgasmum componentia sunt proficia.

§. III.

*Circum
externæ,* Externorum quod attinet usum; nemo non videt, eum in vera & in veterata amauosi prorsus esse frustaneum; quoniam vi sua ad affectum locum haud pertingunt. Quando autem vitium non in ipso nervo optico, sed potius in oculo, ejusque humoribus vel alii partibus residet; tum non de nihilo sunt topica: e quibus eminent vel fatus ex decocto radicis valerianæ, cubebarum, feminisque foeniculi cum aqua & vieno parati, per infundibulum oculis admissi; vel epithemata hac ratione conficienda: Récipe radicum angelicæ, imperatoriæ, valerianæ ana uncias binas, herbæ chærefolii, arnicæ, florum sambuci, lavendulæ, rosarum ana pugillos tres, feminis foeniculi, anethi ana drachmam unam cum dimidia. C.C.f. species, E dec.

decoquantur in æquali portione aquæ rosarum & sclopetariæ, l'eau d'arquebusade dictæ.

§. IV.

Circa curam per in- diam. Evelendæ, quæ contumax est; cœcitat per quam opportuna nonnunquam est curatio, quæ per inediām instituitur. Conducit ea potissimum in corporibus impuris, cacochymicis, sanguineque & succis abundantibus, & requirit prægressam clementem quidem, sed satis efficacem alvi subductionem. Ipsa hæc curatio consistit in eo, ut ægri non nisi modico panis coeti, carnisque assatæ cum passulis veſcantur; vinum omnemque cerevisiam fugiant, & decoctum ex sarsaparilla, glyzirrhiza, passulis, semineque fecunduli bibant: cui pro corporis ratione per tres & ultra hebdomades insistentum.

§. V.

Quæ puellis, infantibusque post variolas, morbillos, aliosque exanthematicos morbos remanet gutta serena; multam sanationis spem relinquit. Accidentibus enim pubertatis annis menstruoque fluxu aut sponte disparet, aut mirum in modum emendatur; tumque opus est, congruis ad miniculis menstruum adjuvare flukum; qua de re notabile exemplum allegavi SYST. Tom. IV. P. I. Cap. VIII. p. 192.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Gutta serena incipit.

Vix triginta annorum, sex circiter abhinc annis corpus fortiori labore & exercitio vehementer commotum, subitanæ exposuit refrigerationi. Unde dolorem quendam gravatum capit is, & accidente oculi dextri contusione, magnam in ipso visus imbecillitatem, nullo externe adparrente vitio, sensit. Variis igitur usus est remediis, vesicatoriis, fonticulis, collyriis atque purgantibus; sed sine ullo effectu. Ante biennium accede-

bat scabies, & posthæc ad sinistrum quoque oculum transibat vitium; dum non modo visio valde imbecillis esset, verum etiam scintillulae maculæque dicto obversarentur oculo, eidemque omnia duplicata adparerent objecta. Præterea aurum gravi tinnitu, stomachi magna debilitate, ruſtuſis ac flatulentis molestiis, alvi obſtructiōne, doloribusque artuum tractoriis vexabatur; vultus lividum præ se ferens colorē; & vitæ genus sedentarium, multis ingenii laboribus ac ſcriptionibus implicatum continuare non definebat.

EPICRISIS CUM
CONSILIO.

Hic affectus vocari meretur gutta serena incipiens ac incompleta, & ſedem habet in nervo optico & cerebro: unde extrinsecus nullum adpareret vitium. Natales suos a cacochymica sanguinis & ſeri impuritate mutuatur: quippe frequens docet experientia, scorbuticos, cacochymicos atque cacheticos oculorum vitia ab interna cauſa facile incurrere, inque iis malum ab uno ad alterum transfire oculum. Cacochymicam humorum diathesin in præſenti ægro teſtantur scabies, prava digestio, flatulentia, artuum dolor, & tinnitus aurum: atque eam cum vitæ genus ſedentarium, tum corporis calefacti refrigeratio induxerunt. Hac etiam visionis imbecillitati prima occasio data est; ſiquidem inde repressi humores copiosius ad cerebri partem anteriorem decubuerunt, & accidente oculi dextri contusione, ad ejus nervos inde debilitatos pertinaciter ſeciferunt. Fuisse facilius hanc affectionem adhuc recentem convenienti debellasse medicina; at ea jam inveterata difficultius omnino est negotium. Neque tamen abjiciendum ideo opinor animum, sed eo respiciendum, ut ſucci reddantur temperati & benigni; ac deinceps partes nervosæ, quæ ſunt debilitatæ, corroborentur. Primæ inter-

intentioni faciunt satis lignorum decocta, tincturae antimoniales, pulveres adsorbentes & diaphoretici, purgantia ex gummatibus confecta, & vivendi recta ratio. Posteriorem scopum explet emplastra ex oleis cephalicis, aromaticis, balsamis liquidis, & gummatibus resinosis, fronti & temporibus adplicata, nec non spiritus vi ni fortiter camphoratus, & cum essentia balsami Peruviani mixtus, & denique balsamum nostrum vitæ. Quæ per satis longum tempus continuata si votis nondum responderint, nec succi vita les satis edulcorati fuerint: haud alienum erit, blandam movere salivationem, quæ cum cinnabarinis vel æthiope minerali perficitur commodissime, quandocunque hic, prius probe per purgatis primis viis per pilulas cephalicas aut aliud conveniens purgans, ad decem grana cum drachma dimidia facchari & olei Melissæ Turcicæ guttis duabus per tres & ultra septimanas mane exhibeat & potui decoctum rad. Chinæ cum passulis & cinamomo detur, subjuncta simul diaeta & proba vivendi ratione. Novi hac methodo, ob gravem capitis contusionem feliciter restitutos qui in periculo cœcitatis ver sabantur; non tamen omissis externis.

OBSERVATIO II.

Guttæ pueræ septem annorum, debilioris *lunæ* naturæ & tenerrimæ corporis constitutionis, faciei livide & cachecticæ, *ramæ* flavescente saepius colore tinctæ, incidebat aliquando in febriculam, dorsi *ipsius* capitisque dolore, & si corpus erigebat, vertigine stipatam. Tertio ab invasione die, tota cutis punctulis asperis & rubicundis referta cernebatur; quorum ulterior efflorescentia remediis temperantibus, leniterque expellentibus, & temperato regime adjuvabatur. Neque tamen minus hæ maculae mox cum sensu horripilationis evanescebant, mox cum magno cutis ardore rursus prorumpentes. Conquerebatur insuper de magno capitisi &

oculorum, præsertim circa septimum diem, exacerbato dolore; & quum postea ab hoc convalesceret affectu, subito omni privata visu, nihil prorsus videbatur vitii; nisi quod pupilla paulo amplior & magis dilatata compareret.

EPICRISIS.

Affectus, qui post se traxit guttam serenam, est purpura; infantibus præsertim cachecticis, qui ob ventriculi imbecillitatem & bilis inertiam, ingentem serì impuri contrahunt copiam, admodum familiaris. Purpura enim ex sero impuro acri in glandulosis ductulis stagnante, quod febrili commotione ad habitum corporis protruditur, originem trahit: cuius serì copia si justo major, & natura imbecillis est, seu, quod idem est, si corpus debitissimis, illud expellendi destitutum fuerit; fit inde, ut partibus etiam solidis a succis vitiosis hinc inde stagnantibus, easque vellicantibus labes affricetur. Quare observamus, tusses diurnas, phthises, febres lentas, diarrhoeas, capitis dolores, hemicranias &c. illum affectum non modo comitari, sed eidem quoque supervenire. Ex quo facile colligitur, delapsum in nostro casu ad caput, & præsertim nervos opticos serum guttam induisse serenam. Cujus curatio in eo potissimum consistit, ut corpus a colluvie seroforum ac purpura infectorum succorum liberetur, eorumque molès a capite derivetur. Quo scopo præter interna sanguinem mundificantia, decocta diluentia, diaphoretica & laxantia, mira virtus in vesicatoriis deposita est, dummodo tempestive adhibeantur: quæ revocando ad cutaneum corticem serum acre, illud capiti subtrahunt. Præterea, eo est annitendum, ut per balsamica ac temperata stomachica, ventriculo robur ac virtus digestiva restituatur; & sic generosus chylus, laudabileisque succi generentur.

OBSERVATIO III.

Gutta serena *en sup.* *purpura* *ta, su.* *doribus* *c. brata.* Puella novem annorum, catharralibus defluxionibus, achoribus, tumoribusque glandularum colli per totam vexata vitam, naribus aliquando præter morem siccis existentibus, corripitur vertigine, & doloribus dorsi ac hypochondriorum tantis, ut accedente vomitu & cephalalgia, lectum petere cogeretur. Post aliquot dies melius paullisper habens, libero se rursus exponit aeri, qui tum erat gelidissimus: sed redux, gravi vertigine, tumore vultus, febricula & purpura, mox iterum retrocedente afficitur. Haud multo post, gravi mentis commotione agitata, incidit in affectum epilepticum; sub quo dentes valide commordebat, oculi rigebant hiantes, sensus omnes erant aboliti, & pulsus ferebatur vehemens & inæqualis. Elapsa hora ab hoc paroxysmo ad se rediens, prorsus cœca erat, & inter vehementes capitis dolores, multum biliosæ faburræ vomitu reddebat. Infuso clysmate, atque datis remediis antispasmodicis, præcipitantibus, ac diapnoicis remittebant & vomitus & dolores capitisi: sed cœcitas eadem persistebat per quatuor dies, quorum singulo supra citatus paroxysmus epilepticus revertebatur. Quum urgerent insuper continuæ vigilie, & dolores vehementer recrudescerent, dabantur vesperi aliquot grana pilularum de cynoglossa: unde nox quietior sequuta; & quum altero mane ex infuso theiformi olei Cajaputi tantillum fumeret, largo per totum corpus perfundebatur sudore, & cum hoc subito recuperabat visum. Sed elapsa hora, & redeunte cephalalgia, cœcitas plenaria recurrebat; & altero demum die, remittentibus cunctis doloribus & spasmis, iterum redibat, cum tam felici successu, ut ægra post sedecim dies inter continuos sudores, & visionem & sanitatem perfectam recuperaret.

EPICRISIS.

Quanta serum acre, quod subexanthematibus purpuraceis ad corporis peripheriam protruditur, intra corpus retentum, machinari valeat mala: præsens quoque testatur morbi historia. Sæpius fit, ut illud per aliquod tempus in corpore delitescens quiescat, & non nisi accedente quadam occasionali causa, suam exercere incipiat tyrannidem. Talis causa in nostro casu duplex fuit, nimirum refrigeratio, & mentis commotio: qua utraque gravis spasmodus nervoso generi inductus, & hoc cutaneum corticem afficiente, humores noxiæ majori copia ad interiora, & caput potissimum compulsi fuerunt.

2.) Meretur itaque, quæ hic occurrunt cœcitas vocari spasmodica; eo quod a spastmo externalium & infernarum partium, humores sursum commoti strictura fortiori & cerebri membranas, unde epilepsia nata, non minus ac oculorum membranas nerveas adficerint. Hinc factum est, ut, postquam larga accesserat sudatio, inde serum acre evacuatum, spasmi relaxati & ideo cuncta mala depulsa fuerint.

OBSERVATIO IV.

Infans trimulus, cum vix anni quadrantem attrigisset, variolis erat *Gutta serena.* correptus; quæ non legitimam *sup. ex sub-* *sitationem* passæ, nec rite efflorescentes, tertio post die rursus evanuerunt. Abhinc vacillante sanitate sæpius adfixerunt catharales molestias; & ante annum tempus abdominis quædam accessit durities. Contra hanc præter alia medicamina datum fuit vomitorium, id que intra unam hebdomadæ bis repetitum: unde spontanei vomitus, & alvi fluxus excepérunt, perque decem inhæserunt dies. Tum

Tum conquiscentibus his exeretioribus, abdomen quoque detumuit; sed virium summus languor successit, & non obstante cum adpetitu, tum somno integro diu continuauit. Novissime plenaria visus abolito, oculis illæsis existentibus, supervenit; corpus, licet satis mulcolum, adeo tamen debile ac languidum est, ut si ex lecto attollatur, artus quasi collabi videantur; sinistrum brachium frequens tremor occupat; caput est tumidum, & loquelæ summa difficultas. Alvus satis libera, & adpetitus integer est; sed nares perpetuo siccæ, & crebre urgent sudores.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Adfectionum, quæ in præsenti casu variolas subsistentes exceperunt, causa est plethora serosa; sive feri atque lymphæ spissæ ac impuræ magna per totum corpus abundantia; quæ plerisque infantum familiaris esse solet. Hinc catharales aurium, narium, oculorum, capitis &c. defluxiones in nulla ætate magis frequentes reprehendimus, quam infantili & puerili. In nostro quidem ægrante variolarum subsistens primam consequentibus malis dedit occasionem: excrementii enim humores, qui per hoc exanthematis genus alias excerni solent, pustulis ob nativam forte generis nervosi debilitatem non rite extrusis intra corpus retenti, inquinant serosum & lymphaticum laticem. Unde originem traxerunt catharales affectus, abdominis durities, & facta materiae serosæ ad cerebrum & medullam spinalem metastasi, variarum partium resolutiones paralyticæ, ut oculorum, linguæ nervorumque ad brachia & pedes tendentium.

2.) Curatio tanti mali solis ferme internis perficienda est remediis, & quidem talibus, quæ visciditatem lymphæ resolvendi, ejusque nimiam molem consumendi facultate pollutent.

Tom. IV. Pars IV.

Consultum igitur duco, ut sequenti procedatur ratione: Purgato per pulverem Cornachisi corpore, omni mane sumatur pulvis ex cinnabaris optimæ præparatæ granis quinque, lapidum cancerorum granis octo, & mercurii dulcis grano dimidio confectus; quo per sex dies usurpato, interponatur iterum laxans; tumque per sex rursus dies sumto pulvere, repetatur laxans. Sub hac cura pro potu inferviat decoctum, quod ex radicis salsaparillæ unciis tribus, corticis ligni sassafras drachmis tribus, salis tartari drachma dimidia, cum duodecim aquæ puræ libris in vase clauso coctis paratur; idque etiam loco potus Theæ calidum bibatur: non minus vietus sit attenuans, ut non nisi carnes assatæ, & panis similagineus modica tamen quantitate adhibeantur. Deinceps per octo circiter dies corpus omni mane immittatur balneo, quod ex aqua simplici, furfuribus triticeis, & cineribus clavellatis conficitur; & post illud nucha, & os sacrum linimento nervino inungatur. Interne continuetur dicti usus decocti, & sub epulis ad firmandum stomachum propinetur Elixirium ex essentia pimpinellæ albæ, gentianæ rubrae ana uncia dimidia, spiritus nitri dulcis drachmis duabus, & olei macis, de Cedro ac cinnamomi ana guttis sex confectum: externe vero naribus admoveatur sal volatile salis ammoniaci siccum, cum oleo majorana vero imprægnatum. Ex qua curatione non dubito, quin auspicatus sit consequiturus eventus.

OBSERVATIO V.

Duodecim annorum puer, ante aliquot jam annos catharris, coryzæ, tussi, obnoxius, ingruente tempestate valde humida & aquilonia corripitur iterum catharrali febre; quam nono die acerbis capitis & oculorum dolor excipiebat, & tandem plenaria sequebatur cœcitas. In oculis nihil adparebat

E 3 vitiæ,

vitii, nisi quod pupilla adhuc se contrahebat, & puer lucem a tenebris distinguere poterat: ceterum vero & adpetebat bene & egerebat rite. Postquam igitur per integrum semestre, frustra usurpati vari generis medicaminibus, hoc affectu laboravit, & nostræ curæ traditus fuit; nihil adhibuimus, quam pilulas nostras balsamicas, quavis semel hebdomade adsumendas, & externe linteum balsamo vitæ nostro madidum bis de die fronti & temporibus adipicari curavimus: unde, favente divina gratia factum est, ut intra paucas hebdomades omnem recuperaverit visum.

EPICRISIS.

Præsens ferena gutta videtur tantum esse spuria, quæ a defluxione serri, partes nervosas visui dicatas obsidente proficitur. Nervus enim opticus, quatenus intra cerebrum continetur, in tali casu ab omnifere liber est læsione; & adducit adhuc fluidum tenuissimum ad partes oculi nervosas: quæ tamen a serosa colluvie hinc inde compressæ, ad recipiendos solis omnes radios, & efformandam perfectam visionem haud idoneæ sunt. Et hinc observamus frequenter, quod infantes ac pueri nimium pituitosi & catarrhalibus affectibus divexati, ejusmodi imminutiones & visus & auditus patientur. Quo in casu solemus quidem remediis anticatarrhalibus uti; sed cum hæc in præsenti puerो sufficienter fuerint usurpata, nihil restitit, quam ut roborante ac nervino remedio, quale est nostrum vitæ balsamum stagnantes succi discuterentur, & infræ roborarentur partes.

CAPUT V.

DE VISUS IMBECILLITATE
EX LIPPITUDINE ET
SUFFUSIONE.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

In ter morbos oculorum, qui ex nervosarum partium atonia nascuntur, præcipuos, lippitudo, quam Græci ἐπιφέρεν vocant, primas tenere videtur. Est hæc salsa & acris laticis cum pruritu, dolore & rubore ex oculis fluxio, cum hebetudine eorum juncta.

§. II.

Levius hoc malum existit, si in oculi bulbo nullum quidem comparet visus, palpebræ tamen tument & rubent, fluxio lentescit inque lemas densatur, quibus palpebræ subinde noctu conglutinantur & si hoc ipsum diutius durat.

§. III.

Differit hic affectus a fugillatione, in qua oculi album, quandoque totum, per omnem sui ambitum, quandoque etiam ultra hunc & iridis circulum, rubrum apparet & omnia quæ adspiciuntur rubra videntur. Fit plerumque a causa externa, ut contusione, & a stagnatione in minimis vasculis sanguinis, epiphora vero a lymphæ stagnantiæ effusione. Differit quoque ab inflammatione oculorum, sive ophthalmia, in qua major dolor & ardor & ingens ad lucis accessum exacerbatio cum febricula & metu suppurationis observatur; nec minus distat in eo, quod epiphora diutius duret, ophthalmia celerius dissipetur.

§. IV.

Solenne hoc malum est infantibus & pueris, si caput auræ frigidæ exponunt, vel catarrhis, vel capitis tinea laborantur,

zunt, præpostere ea sanata. Invadit dein maxime eos, qui tumoribus glandularum in collo, vel circa aures afficiuntur, neque prius discedit, quam sublato tumore & reddito liberiori lymphæ per glandulas transitu. Frequens etiam lippitudinis genesis post variolas & morbillos, quod in his obæstum & ebullitionem succi temperatam diathesin exeunt & impuram, viscida ac falsam contrahunt, quæ nisi morbo superato per convenientia depurantia corrigatur, non modo lippitudinem sed & alios diu durantes morbos post se trahit.

§. V.

*Anab.
impone
ta qui-
bus in-
vadit.* Datur præterea lippitudo, quæ epidemice infestat & infuetas ac inordinatas temporum anni constitutiones sequitur, maxime vernali & autumnali tempore. & atmosphæræ, exhalationibus subtilis acrimoniæ referat vitio debetur, quo tempore etiam ex eodem fonte prodeentes morbi, ut rheumatismi, gravedines, impetigines ac vitiligines, pustulæque in cute ulcerosæ regnare solent. Circa solstitium astivum ego quoque sèpius idem malum ortum observavi.

§. VI.

*Sedis:
injdem
automi-
nus
in
fatu-* Ipsa sedes mali potissimum est in glandulis, quarum variæ sunt in oculi lo. Maxima harum lacrimalis dicta in orbita supra angulum minorem collocata est, & manifestum primum faciente STENONE, ex sex septemve ductulis, inter palpebrarum membranas recurrentibus & non longe a ciliis totidem distinctis osculis hiantibus, serum lacrimale salutem fundit, quod a punctis lacrimalibus absorbetur & per peculiarem ductum ad nares fertur. Dein in cantho oculi majori plores acini glandulosi consistunt, qui glandulis sebaceis accensentur & serum lente scens plorant. Sub palpebris etiam delitescant glandulæ, ab inventore MEBOMIANÆ vocatae, & a MORGAGNI in sebacearum numerum relatae, quæ juxta dorsum palpebræ eleganti ordine positæ, ad limbum hujus oscu-

lis hiant, e quibus stillare videtur illa, quæ in oculorum morbis palpebras conglutinat materia.

§. VII.

Jam, quandocunque excretoria hæc glandularum, ex nervis & fibrosis tunicis confitata organa, a fero subtili acri, vel etiam ab acribus effluviis artroduntur, nerveæ glandularum membranulæ crispantur & spasmodice contrahuntur, ut sanguinis per arteriolas adiecti refluxus, ob venas constrictas, minus libere fieri possit, sed tubuli glandulosi a secendente sub mora hac fero, plus justo amplientur, & hac ratione ingens fiat seri salis lacrimalis effusio.

§. VIII.

Ruborem & dolorem jungi, acrimoniam humoris effluentis tribuendum, cui sàpe tanta salis acris copia instar ammoniaci, præsertim in scorbuticis inest, ut ex drachma una seri in lippitudine effusi, grana duo salis muriatici acerrimi, leni tantum evaporatione, obtinuerim, quod tamen ratione odoris & saporis multum differt a sale illo, quod post urinæ exhalationem restat, luculentio indicio, peculiarem plane & mechanicam esse glandularum & oculi tubolorum excretoriorum structuram, ut serum salutem sine contagio sulphuris foetidi, ut in urina & sudore sit, admittat.

§. IX.

Quasdam notas, ex quibus quid *Prognost.* eventurum sit colligere possumus, quam optime tradidit CELSUS Libr. VI. cap. VI. Si simul & lacrima & tumor & crassa pituita cœperint, si ea pituita lacrima mixta est, neque lacrima calida est, pituita vero alba & mollis, tumor non durus, longæ valitudinis metus non est. At si lacrima multa & calida, pituite paulum, tumor modicus, idque in uno oculo est; longum id sed sine periculo, futurum est. Idque lippitudinis genus minime cum dolore est; sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat, quandoque brevius finit.

tur. Tumor magnus si sine dolore est, & siccus, sine illo periculo est: si siccus quidem, sed cum dolore est, fere exulcerat; & nonnunquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Eiusdem exulcerationis timor in palpebris pupillisve est; ubi super magnum dolorem, lacrima salsa calida eunt; aut etiam si, tumore jam finito, diu lacrima cum pituita profluit. Pejus etiamnum est, ubi pituita pallida aut liquida est, lacrima calida aut multa profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget. Est etiam genus aride lippitudinis, quod ζερφταλμια Greci appellant. Sub hoc neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum & cum dolore quodam fere levi ac prurigine graves sunt, & palpebrae circa duritiem ullam noctu pregravi pituita inherescunt, quantoque minor generi huic impetus, tanto finis minus expeditior est.

§. X.

Suffusio Ad eas, quæ visum laedunt, affectionum species, referri quoque debet suffusio, quæ vulgo pro cataracta incipiente vel spuria habetur. Hac qui laborant de simulacris vagarum rerum, de nigris punctis, muscis oculis obversantibus, vel, quod pejus est, de nebula, de aranearum telis, de tenebri rete, quibus oculi tecti sunt, conqueruntur.

§. XI.

Genitus. Fit hoc vitium, ubi aqueus pellucidus humor ab admixtis corpusculis & moleculis opacis, propter nimis dilatata vasculorum adducentium oscula, pelluciditatem ex parte amittit atque variae & obscuræ, praesertim in chartis & parietibus candidis visui imagines sustinunt, adeo ut quo major sit hujus humoris opacitas, eo major obiectorum obscuratio.

§. XII.

Oculi natura. Ut horum vitorum ratio & natura anatomie eo liquidius appareat, repetendum ex ea ex parte physiologicis est, tres in oculo humorib[us] res numerari, aqueum, vitreum &

crystallinum. Aqueus dicitur, qui utramque oculi cameram, tam anteriorem, qua inter corneam & uream, quam posteriorem inter uream & lentem crystallinam, replet, quantitate est exiguis, sed admodum fluidus: hic subiecto blando igne sine spuma leniter exhalat, relicta valde exiguis & pellucidis moleculis falsis. Vitreus aqueo densior est, posteriorem oculi partem retina ubique contiguus occupat: hic mole longe major priori cochleari argenteo inditus, supposita candela flamma, protinus in aquam limpidam liquatur & totus sine ebullitione in halitus solvitur, relicta identidem massa spissa, exigua valde, falsi saporis. Prunis ardentibus injectus hic humor non ut alia ex animantibus partes foetidum exhalat odorem. Crystallinus reliquis solidior, eodem modo tractatus in liquamen non convertitur & igni injectus flammarum concipit & graveolentem spargit odorem. Deinde vitreus & aqueus nec a rectificatisfimo vini spiritu neque a spiritu vitrioli mutatur aut coagulatur; crystallinum vero inde turbidus fit & pelluciditatem amittit.

§. XIII.

Ex his curiosis a me institutis experimentis clare appareret, vitreum & aqueum parum inter se ratione indolis & mixtionis differre; crystallinum autem, qui exsiccatus in meras lamellas discindi potest, ex partibus longe solidioribus & salino quoque sulphureis esse conflatum; aliam quoque esse originem humoris aquei & vitrei, quam crystallini. Ille enim ex tenuissimis arteriolarum & vasculorum lymphaticorum osculis in uvea & choroidea tunica gignitur, vitreus vero ex tenerrima lympha, quam vehunt vascula arachnoidea, venit ac nutritur: Crystallinus in ipso utero producitur, suum augmentum & conservationem a vasculis in tenuissima arachnoidea & propria membranula existentibus & tenuissimam lympham plorantibus nanciscitur. Neque dubium videtur, quin purif-

purissima , quæ nutrit oculos eorumque humores , lympha circulari motu per adduentia & abducentia vasa feratur .

§. XIV.

Ratio exponit, quo modo humorum diaphanorum, purissimæ & homogeneæ naturæ esse debeat, adeo ut cum liquido tenuissimo, quod nervi venuunt, pene similem naturam habere videatur, qualis non modo nutriendis oculorum humoribus, sed & eorum membranis roborandis inserviat, sit omnino, ut, quando ipse per morbosam diathesin, crassus, impurus ab heterogeneis & opacis terrestribus particulis redditus per oscula vasorum admodum dilatata & diducta ad interiora oculi transfertur, humores turbidis evadant & naturalem pelluciditatem suam amittant.

§. XV.

Subjecta Ex hisce jam facile colligere licet, quare omnes illi, qui ob lymphæ spirituosa subtilis in sanguine defectum, imbecillarum virium sunt, ut senes, vel diurno morbo afficti, aut qui nimium sanguinis profuderunt, vel diurna mœstitia, anxiis curis, affiduis vigiliis macerantur, veletiam in tempestiva & nimia venere usi sunt, tam promte & facile in suffusionem & visus hebetudinem atque caliginem incidant. Neque minus hypochondriacos vitæ addictos sedentariæ, qui pinguis alvo atque ventriculi inflatione laborant, item cacheoticos, quorum corpus multis impuris succis abundat, maxime, quando purgantis, sudoriferi aut balnei calidi improvide admisi, si vehementia humores in motum acti ad caput pelluntur, hisce vitiis subjectos sive non semel sed frequentius observavimus. Atque etiam, si plethora nimium urget, in iis, qui consuetas sanguinis per scarificationem, per sectionem vena neglexerunt, vel qui solennes & criticas salutares per uterum, per anum fluxiones, non amplius, aut deficientes experiuntur,

ejusmodi oculorum, de quibus nunc agimus, vitia, crebrius observantur: nam ex nimia sanguinis & humorum abundantia protinus eorum spissitudo atque impuritas suboriri incipit, quatenus, ob tardiorum progressum, nec satis fluidi redduntur, neque ab heterogeneis & excrementitiis partibus depurantur. §. XVI.

Memoratu præterea dignum est, hanc visus imminuti speciem, qua *periodos* omnia per nebulae cernuntur, statas suas habere periodos, ita ut plures observare licuerit, certis tantum temporibus illam infestasse, postea vero sponte remisisse atque ex toto commodis remedii sive sublatam. *TIMÆUS* a *GULDENKLEE Lib. I. cap. XXVII.* casum communicat matronæ, gravi febre semitertiana laborantis, quæ ingravescente paroxysmo de oculorum caligine & obversantibus ante oculos corporculis conquerebatur, remitten-te vero febre cessasse hæc omnia, & illa ipsa retrocedente, tanquam symptomiter iterum accessisse memorat. Nos recordamur quoque, maculas & alia quæ visui objiciuntur, crescente luna incrementum, decremente vero decrementum cepisse, & mense Martio potissimum hoc malum infestasse. Ex quibus signis simul dignoscitur differentia, qua suffusio maxime se distinguit a cataracta vera. Hæc enim *Differat* non tam facile ratione temporis aut *acutam* magnitudinis variat, sed pertinacius insitit, & fit præcipue, quando irregulares opacæ atomi congregiuntur & tunicam quasi solidam constituunt; aut ut rectius quidem cum recentioribus existimatur, si tunica crystalloides pri-mum densa sit & opaca, postea vero totum corpus crystallinum multis lamellis per naturam suam instructum, aridum, exsuccum & opacum evadit.

§. XVII.

Oculorum vitia id habent cum morbis nervorum commune, ut, quo diutius inhærescant, eo difficilior em locationem recipiant & levissimis ex causis revertantur, interdum quoque in

in graviorem morbum transmutentur, idque non sine ratione: nam solidorum textura, structura & robur longo tempore ita invertitur & destruitur, ut tardo admodum modo ac gradu curatio contingat. Atque hoc est, quod vulgo consuetudinem & habitum habere dicitur.

CURATIO CUM CAUTELIS.

§. I.

Interna remedia **R**esta lippitudinem sanandi ratio, utique potissimum in edulcoratione serali falsi ejusdemque derivatione nanda, ab oculo ad alia loca & in glandula-
externa adju- ram nimis remissarum robore resti-
ta tuendo, consistet. Nos quidem pro-
certo affirmamus, incipiens malum solo potu copioso infusi Theiformis, ex herba Veronica & semine sceniculi, ad aliquot libras, cum regimine diaphoretico per aliquot dies sumti, brevi & expedita curatione fuisse ex- pugnatum. Econtrario, certum pariter, illud difficulter admodum sana-
tionem recipere, si a diathefi humo- rum scorbutica invalecente fuerit ena- tum, nec cedere, nisi accedat pruden- ter instituta cura lactis, vel vaccini, cum aqua Selterana nupti, vel etiam serali lactis nostra methodo para- ti, nec non fontis medicati mineralis & martialis, interpositis idoneis la- xantibus & diaphoretico-temperanti- bus pulveribus. Frustra enim omnis medicatio per alia remediorum gene- ra, praesertim externa, tentatur, ni- si interna haec prius fuerint usurpata. Opus tamen etiam est, ut exacta vi- tis & vita ratio accedat, vitando falsa, acida & acria, nec non frigus, & abstinentia a vino & spirituosis, immo cerevisiae potu, & sumto ordina- ri potus loco decocto ex rasura cornu cervi, radice scorzonerae & semine sceniculi, usurpati simul crebrius ve- speri ante decubitum pediluviis. ex aqua dulci.

§. II.

Externa, ut in aliis oculorum pa-
tionibus, sic & in hoc vitio circumspic- *ternorū*. Et adhibenda. Haec inter tamen non sine fructu frequentius usus sum un- guento, ex butyro insulso, sacchare Saturni & vitriolo albo debita propor-
tione composito, quod ad magnitudi- nem pisces cantho oculi majori inditum, efficaciter, si prius internis rite fuerit prospectum, huic malo medetur, di- scutiente simulque roborante qua gau- det virtute. Serio itaque monendi sunt ii, qui perperam omnino & ophthal- miam & epiphoram nimis refrigerantibus, adstringentibus vel acribus col- lyriis & unguentis excipere solent, quibus rebus, praesertim ubi rubor & dolor oculum tenet, vix quidquam datur perniciosius. His enim oculi ta- bem, corrugationem, suffusionem, nec non epiphoram chronicam, ru- bentem, sicciam & asperam fuisse in- ductam, quin palpebrarum exulcera-
tionem concitatam experientia abun- de satis docet. Si etiam sicca plane epi- phora existit, abstinendum ab exter- nis exsiccantibus, multo magis acri- bus, & oculus potius cataplasmate ex- mica panis triticei, lacte & croco te- pide fovendus est.

§. III.

Quibus setaceis, fonticulis & ves-
catoriis tribuendum, in pertinacibus *tacto* *fonticu-*
ejusmodi oculorum vitiis mitigandis, *lorum* loquuntur observations. Medicorum & visi- & encomia de iis passim. Nos tamen *cator-* molestis his & incertæ efficaciae auxi- liis medentes melius posse supersedere eensemus, si tantummodo ex inven- tione mea vesicatorium ex uncia una Emplastri de meliloto & pulveris can- tharidum drachma una paratum, gros- si magnitudine, nucha applicent, id- que quotidie recens imponendo, exe- sam leniter cutem & apertam per ali- quo menses jubeant. Tum enim mi- ra seri impuri effluvi copia, & non tantum hi, sed alii etiam capitis mor- bi, exinde levantur egregie.

§. IV.

§. IV.

Suffusio- In suffusione sic dicta spuria curan-
nis cu- da, quum ipsa ab impuris ac crassiori-
bus in oculorum humores, propter au-
tentis &
vacua- Etum sanguinis & humorum versus su-
periora impetum, delatis moleculis
proveniat, multum omnino auxilio si-
tum est in venæ sectione vel cucurbitu-
lis nuchæ applicatis, hac tamen obser-
vata cautela, ut, si fluxus hæmor-
rhoidalis aut mensium irregularis vel
suppressus huic malo causam præbet,
sanguis in pede mittatur, vel prius in
superioribus & dein in inferioribus lo-
cis vena tundatur, ceterum vero sem-
per sanguinem in loco propinquiori de-
trahere e re erit. Posthac haud minoris usus sunt leniter ex rhabarbaro &
foliis sennæ evacuantia, aut nostra vel
alia methodo confectæ pilulæ balsami-
cæ. Nobis in memoria sunt exempla,
ubi ejusmodi visus obsfusationes per
intervalla remittentes & redeuntes
cum adspctu humorum in oculo turbido-
rum divina adjuvante gratia felici-
ter expugnavimus. Quodsi enim hu-
morum incursus ac impetus a capite &
oculis ad alia loca divertitur & humo-
res crassi, impuri per convenientia re-
media educuntur, fit omnino, ut per
abducentia vascula, quæ HOVIUS
nervoso-lymphatica vocat, impuri
succii absorbeantur & per adduentia
puri advehantur, atque hac ratione
pristina humoribus claritas reddatur.

§. V.

Per ana- At vero ut supra dictum est, ingen-
pilosa- ti virium jaeturæ, vel defectui lauda-
bilis lymphæ ad humores oculorum
nutriendos necessariæ, origo plerum-
que hujus mali debetur. In ejusmodi
vero casu analeptica & convenientis vi-
etas ratio, fugiendo omnia quæ pra-
vos & spissos ingignunt succos, plus
valent & præstant, quam ingens col-
lyiorum vel aliorum medicamento-
rum apparatus.

E N A R R A T I O N E S
M O R B O R U M .

O B S E R V A T I O I .

Vix quidam septuagenarius, *visus*
bustæ & nunquam non sanæ con-
stitutionis, media hyeme dum mane *imminas*
e lecto surgit, de insolita virium pro-
stratione conqueritur, quam sensuum *sum pse*
abolitio, ambulandi impotentia, & *lippitus*
continuus mox exceperunt sopor. Vo-
catus medicus impositis brachio ves-
catoriis, & ordinatis externis spiriti-
bus ac linimentis effecit quidem, ut
discusso sopore æger haberet melius,
præsertim, quum subinde vena in pe-
de tunderetur, & fonticulus brachio
infligeretur. Verum enim vero, gra-
ves adhuc morbi supersunt reliquæ,
quarum hæ potissimæ observantur.
Visus tam inbecillis est, ut litteras co-
gnoscere nequeat; oculi perpetuas fundunt lacrymas, & dexter imprimis
noctu adeo conglutinatur, ut mane
vix aperiri queat. Præterea dextrum
brachium spuria paralyssi resolutum;
siquidem manu nec arripere, nec te-
nere quid valet.

E P I C R I S I S C U M
C O N S I L I O .

Nullæ equidem manifestæ hoc in ca-
su occurrere videntur caufæ, quæ re-
censita mala generare potuissent: at
qui ad æatem ægrotantis, & tempus,
quo ægrotare cœpit, respexerit, illius
morbi sufficientem inveniet rationem.
Senes enim licet illibata gaudent sa-
nitate, per naturæ tamen necessitatem
corpus debile tandem nanciscuntur,
indeque notabilem ad morbos acqui-
runt proclivitatem. Cui cum accedat
aeris frigida & hyemalis constitutio,
quæ morbis paralyticis ac soporosis præ-
aliis faveat; ex facili potest fieri, ut
ejusmodi affectibus præter spem & op-
tionem corripiantur. Quo magis au-
tem his in subjectis caufæ mörborum
fatt

sunt intrinsecæ ac velut naturales: eo difficultior est caratio. Validiora enim & generosa cuncta exulare oportet remedia; & non nisi ea conducunt, quæ roborante ac nervina virtute debilitatis succurrunt partibus. In praesenti ergo casu præter blanda laxantia, & Elixir nervinum, præscripsi balsamum vitæ meum, idque & externo, nucham & tempora inungendi, & interno usui, mane aliquot guttas ex infuso melissæ capiendo, commendavi; atque hoc præstantissimo remedio per mensem & ultra usurpato, adfectus hic evanuit & vires egregias senex recipere coepit.

OBSERVATIO II.

Visus abnubilatio periodica. Serenissimus princeps, annorum sexaginta, robusti & bene valentis corporis, per viginti & ultra annos, mensis Junii, singulis fere annis, gravi & acri oculorum fluxione cum rubore, dolore & visus obnubilatione ad sex interdum septimanas moleste perseverante torquebatur. Postea sponte cef-savit malum. Ad avertendam hanc molestissimam passionem claros & peritos consuluit medicos, qui multipli-ci medicatione usi sunt, quæ in sanguinis detractione per venæ sectionem in brachio, in fronte, per hirudinum applicationem circa aures, & scarificatione in nucha & dorso consistebat. Apposita quoque sunt vesicatoria & se-tacea nucha, sed omnia irrito plane effectu. Nam appropinquante solsti-cio aestivo protinus malum celerrime oculos occupabat. Narravit mihi serenissimus hunc casum, eodemque malo denuo affectus consilium a me petiit. Quæsivi ex eo, an nunquam ulus fuerit pediluvius; id quod vero factum esse negabat, præfertim quum non per-spicere possit, quomodo lassis oculis succurrere valeant. Ego vero in multis & permagnis oculorum viis mirabilem me adnotasse eorum effectum affirmavi, & ut eorum usum admittet maximopere suasi. Annuebat con-

filio, & postquam modum præparandi & applicandi illum qui ab ejus servi-tio erat, edocui, bis de die mane & ante cubitum illis usus, intra trium dierum intervallum tam præsens & ef-ficax levamen expertus est, ut oculis claritas, mox evanescentibus dictis incommodis, restituta fuerit. Quem auspicatissimum effectum mihi nunciavit latissimus.

EPICRISIS.

Ad illustrationem hujus casus adhuc pertinet, Personam hancce Serenissi-mam mane a multis retro annis nudis pedibus, nec tecto satis abdomine per aliquot horas sub dio ambulasse, idque maxime aestivo tempore. Ex quo jam facile rationem adparere existimo, quare hic affectus quam maxime circa tempus solstitiale afflixit, sub quo in-gens æstus auctiori intestina agitatione humoribus particulas salino sulphureas acres ingignit, quarum exitus per in-fimas & extremas partes frigore præclusus ejusmodi metastasis ab exterio-ribus constrictis ad caput & oculos, jam ad receptivitatem promte dispositos, producit. Cum vero pediluvia opportune adhibita insignem transpira-tionem, quin etiam interdum sudorem movendi vi polleant, ex eo jam utilissimus eorum effectus patet luculentissime. Cordatum itaque meum fuit consilium, ut in posterum Sereniss. a prava illa consuetudine se retraheret & matutinum frigus aestivo tempore quam sollicite caveret. Quo effectum est, ut sequenti anno ab hoc malo pla-ne liber evaderet.

OBSERVATIO III.

Puer annorum decem, succi plenus, præcocius ingenij, sub primis statim ætatis annis varia in capite exanthema patiebatur; siquidem & crusta laetitia & postea tinea capitis illud oculis cupabant diuque affligebant. Seque-batur deinde tam acerba cum dolore ex

Epiphœ-tono.
*re glau-
dularis
in collo
fusca.*

oculis fluxio eorumque noctu conglutinatio, ut lucem adspicere propter doloris augmentum non valuerit, quare in loco tenebricoso semper se continere tenebatur. Tanta erat hujus affectus contumacia, ut nullis a celeberrimis etiam Medicis praescriptis internis & externis remediis cederet, bona indolis puerum per integrum annum & ultra affligens. Quum parentes optimi etiam meani requirerent opem, curatori instituto examine, glandulas colli tumentes deprehendi & crebris ventris torminibus cum alvo adstrictiori puerum tentari ipsumique ab ineunte etate dulcibus delectatum audiui. Hisce cognitis, quæ sequuntur remedia praescripti. Primo ad alvum laxiorem reddendam rhabarbarinas passulas bis in hebdomade ante prandium sumendas fuasi. Loco cerevisiæ decoctum radicis chinæ & altheæ, cichorei, glyzyrrhizæ ex aqua bibendum præcepi, interposito pulverum absorbentium cum pauxillo cinnabaris uso. Ad discutiendos glandularum tumores emplastrum manus Dei, quod describitur in pharmacopœa Domini Charras, cum unguento dialtheæ permixtum applicatum fuit. Ultimum denique & præstantissimum remedium præbuit temperatum nostrum emplastrum vesicatorium, quod nuchæ applicatum, sine ullo dolore vitiosum serum in magna copia eliciendo, intramensis spatiū tam exoptatum præstit effectum, ut ex toto hic pertinax affectus, oculis claris redditus, superatus fuerit.

EPICRISTI.

Retulit mihi pater, Vir litteratus, temperamenti pure sanguinei, sese in pueritia iisdem capitis vitiis & oculorum passionibus diu fuisse obnoxium, quæ, frustra omni curatione adhibita, superveniente demum narium haemorrhagia cessasset. Ex succorso in infantibus & pueris abundantia, præserit si nimium voraces sunt & fructibus

vescuntur multifariis, ejusmodi capitales & oculorum virtus progigni, experientia satis confirmat. Sed frustra omnis generis remedia, in primis externa adhibentur, nisi temperantia invictu tenet, potusque præcipue dilutus & alvi laxitas accedat, qua tumores glandularum in collo, qui fovent & sustinent ob vitium stagnantis lymphæ oculorum passiones, commode resolvuntur. Ex omnibus vero optime proficiunt, quæ vitiosam lympham a parte affecta ad alia loca derivant & evehant. Quem in finem usi sumus emplastro nostro vesicatorio frequentissime & felicissime. Interim, sine ullis externis immediate oculis applicatis, que, nisi cautissime adhibeantur, nocent, feroce oculorum adfectus sanari posse, hac curandi methodo edocemur.

OBSERVATIO IV.

Serenissimus Princeps annum agens ^{Lippitudine per} quinquagesimum, sanguineo-cholericae constitutionis, naturæ alias bene valentis & robustæ, immoderationi vini potui & cerevisiæ valde saturatae at spiritu rituofiori per omnem vitam adsuetus, ^{gimen in plena} multis jam annis circa æquinoctia flumen cum euphoria haemorrhoidalem ^{sus privationem} expertus est. Evenit aliquando, ut per frigoris vehementiam subito hic fluxus substiterit. Sequebantur mox cum ventris dorsique doloribus & hemicrania & cardialgia, quibus acris ad oculos fluxio superveniebat. Per venæ extionem in pede remitebant quidem hæc mala, sed remansit dolorifica cum rubore in oculis fluxio, quum Serenissimus pocula in seram usque noctem protrahere & mane sub tempestate aeris humida & frigida venationibus indulgere, quam immutato vitio regimine consueto oculos a frigore defendere mallet. Hinc vero proh! dolor factus est, ut, malo subinde aucto, oculi naturalem suam constitutionem, colore, figuram, magnitudinemque & claritatem indies magis magis amiserint, ^{integritatem} sequen-

sequente postea plenaria visus privatione. Cui removendae a celeberrimis undique Medicis & artificibus remedia, sed frustra, haec tenus sunt requisita.

E P I C R I S I S.

Graves & chronicas omnis generis passiones solis medicamentis sine convenienti vitæ victusque ratione sanari non posse, abunde non experientia solum confirmat, sed & constans antiquissimorum Medicorum, inque primis Galeni, adsertio fuit. Si quis enim a quibus originem morbus traxit, ea fugere recusat, quo modo valere impossit equidem non video. Quum vero non laudabilis, principum maxime, ea sit consuetudo, ut præcepta diætatica vel rarius, vel proflus non admittant, sed medicamentis jucunde tractari velint; non mirum est, sepius morbos eorum, facilitoris alias & promotoris sanationis, sanari non posse. In tali, qualis noster est, longo & difficiili admodum affectu levibus diæteticis quam pharmaceuticis remedii usi solitus sum. Jubeo, ut a vino, cerevisia crassiori, a carnibus, ovis, placentis, acribus, falsis & acidis ægrotantes abſtineant; e contrario vero aquam frigidam, quin etiam calidum herbæ appropriatae infusum ex aqua, magna in copia pro potu sumant & alvum in primis laxiorem lenissimis laxantibus servent.

O B S E R V A T I O N E V.

Visus habebatur in annis 1500. Vir generosus, quinquaginta & aliquot annorum, temperamenti sanguineo phlegmatici, vitæ aulicæ jam per plures annos innutritus, inordinatum habebat vitæ genus: siquidem crebro excessum committebat in potu vini dulcis fructibusque horæs nimium delectabatur; in venatione quondam autum nali caput ventis fortiter spirantibus inopportune exposuit. Postero die de capititis dolore pressorio conque-

rebatur, quem fluxio in oculis acris, adspicere lucis semper increscens cum rubore & dolore sequebatur. Quod malum, neglecta victus ratione, idoneisque mediis contemtis, in dies majora cepit incrementa; & quia simul rei veneræ deditus erat, nec a vini potu liberaliori abslinebat, tam grave factum est, ut in utroque oculo pene visum amiserit. Multos ideo consuluit Medicos & variis, quæ hinc inde commendabantur, collyriis sed inani plane effectu ueebatur. Ranam per medium discissam interiori oculi parti superimponebat, quod crebro, usu ab aliis comprobatum ipsique commendatum nihil proficiebat. Per annum & dimidium hoc molesto affectus malo petuit a me quoque opem. Ego prospexit primo loco diæteticis remedii &, ne potui assumere cerevisiam vel vinum, sed aquam frigidam, suasi. Deinde pediluvii valde temperatis frequentius ex meo consilio usus est paulo, longiori in iis mora. Tum interdictis omnibus externis simplex tantum & vulgare ut in usum vocet, remedium comandavi, ut videlicet saliva sua jejonus, antequam surgat & postea quoque oculos illinat frequentius. Quibus simplicibus cum diu usus fuerit, accidit, ut, discussa proflus vitiata materia, visus clarus cum naturali oculorum constitutione restitueretur.

E P I C R I S I S.

Sicuti nullæ fere partes corporis tam variis vitiis morbisque subjectæ sunt quam ipsi oculi, ita etiam vix ullæ partes ab improvida externorum, quæ collyria, vocantur, applicatione gravius patiuntur datum quam illi ipsi; siquidem inde graviter exacerbantur & in deterius plane mutantur. Cautissime itaque quod in ejusmodi affectionibus, externis, alias maxima pere laudatis, utantur Medicis, tanquam monitum, summe necessarium experientia sat edocetus scribo. In praesenti morbo mirabilem sane saliya ægri junæ.

Junta oculis inuncta præsttit effectum, quod remedium vulgo etiam non ignotum. Nam subtili suo sale alcalino volatili, quo refertus est penetrans hic humor insignem discutiendi spissescentes humores facultatem habet, hinc non sine insigni fructu in phlegmibus atque tuberculis cutim descendantibus adhibetur. Ex quibus apparere cuiilibet potest, gravia oculorum vitia simplicibus & protinus remedii subinde rectius removeri posse, quam compositis & arte pharmaceutica vel chymica laboriose compositis. De utilitate aquæ frigidæ in hisce morbis egregie commentatur CELSUS Lib. I. cap. V. Neque vero his solis, quos *capitis imboccillitas* torquet, usus aquæ frigida prodest; sed iis etiam, quos *affidua lippitudines*, *gravedines*, *desillaciones*, *tonsilæque male habent*. His autem non caput tantum quotidie perfundendum; sed os quoque multa frigida aqua sovendum est; præcipue que omnibus, quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est, ubi gravius oculum Austri reddiderunt.

OBSERVATIO VI.

Vir Generosus, quia jam sexagesimum attigit annum, officio admotus *principis*, quod multum curæ, sollicitudinis ac laboris in mente, neque minus ingentem per varia itinera fatigationem cum multa actorum lectione ad multam noctem producta requirebat, jam ab aliquot annis pathematis hypochondriacis, frequentibus cardialgiis cum vertigine, hemicrania, alviisque sipatione junctis obnoxius, fonte soterio Pyrmontense cum insigni fructu, aliquoties usus est. Nunc ante annum & ultra de visus hebetudine & dolore interni oculi pressorio neque minus de molesta circa præcordia sensatione, vulgo *Ubelheit*, circa vesperam maxime, conquerebatur. Variabant hic secundæ adversæque res. Mox enim hoc vitium evanuit, mox recruduit; sed ante anni

dimidium indies increvit, adeo ut nulla fere ejusdem fuerit remissio, dolore simul tum caput perpetuo affigente, qui tamen post somnum ex parte siluit. Præterea molestus circa præcordia sensus cum virium defectione & dolore artuum tensivo genua & pedes præsertim torqueute frequenter quum virum generosum afficiebat, a me petiti consilium. Ego fontem Egranum cum convenienti vitæ viatusque regimine per III. hebdomades bibendum & singulis diebus circa decubitum pedes ad genua usque in balneum tepidum immergendas suasi. In prandio Elixirio Viscerale temperate balsamico *Vir Generosus* usus loco cerevisiæ aquam Selteranam potui summis. Dein emplastrum nostrum temperatum vesicatorium sine incommodo per mensem & ultra noctis impositum magnam seri copiam extraxit. Quæ cura tantæ fuit efficacia ut oculis bene habentibus & legere & scribere optime potuerit haud de ullo amplius incommodo conquestus. Verum scena non multo post fuit mutata. Nam ex improviso quodam casu, qui ejus animum ingenti percutit mœrore, protinus cuncta priora mala, ingens scilicet oculorum caligo cum dolore premente, dolor cardialis & artuum tensivus cum magna virium jactura revertebantur, quibus cum etiam usque eo conflictatur & consilia sibi expedit.

EPICRISIS.

Sicut complures capitatis affectiones, ut vertigo, aurum tinnitus & difficultas, cephalalgia, hemicrania, ubi suas servant periodos, ex vitio stomachi & primarum viarum saepius originem suam trahunt; ita & oculorum statis temporibus recurrentes morbos, obnubilationes, caligines, visus hebetudines, fluxiones, ex colluvie humorum in hypochondriacis provenire non modo præsens casus docet, sed & crebriori observatum habemus experientia. Genesis horum affectionum ita proce-

procedit: A colluvie vitiosorum humorum in tunicis ventriculi nervosis spastica sunt strictræ, per quas, quum liber sanguinis per venas compressas transitus intercipitur, major ejusdem redditur adpulsus ad caput ejusque partes, ubi in vasis minimis stagnans ejusmodi molestias producit. Neque vero oculi ab ejusmodi fortiori appulso & congestione sunt immunes, quum tunicae eorum omnes tenuissimis vasculis lymphaticis & sanguiferis sunt referatae, in quibus facile humorum circuitus potest turbari. Ex quo fundamento nunc ex facilitem fausta acidularum aliorumqne remediiorum operationis reddenda erit ratio. Ex hoc igitur casu id maxime discere possunt artis nostræ tyrones, quanta vis & vehementia insit animi perturbationibus, adeo ut etiam morbos jam quiescentes, imo sublatos, sine ullis aliis causis accidentibus repente revocare possint. Denique cautionem quoque exinde depromere possunt, qui per fontium salutarium virtutem convaluere, ut præter meliorem vivendi rationem, tranquillam quoque & ab affectibus immunem, mentem quantum licet, custodianter.

OBSERVATIO VII.

Visus Vir annorum quadraginta duorum, *imminutus* robustæ ac plethoricæ corporis constitutionis, a primis jam annis lauto *visus sufficiens*. At & largiori vini potu, nunquam autem venælectione usus, nullum per omnem vitam graviorem morbum, nisi crebras in juventute sanguinis & naribus fluxiones expertus est, quæ dein cessantes haud redierunt prius, quam superiori anno magno cum impetu. Haud ita pridem longo itinere per concitatiorem equitationem perfecto, ad convivium invitatus & binis diebus vieno Hungarico obrutus breviter post truculentis vexatur doloribus colicis gravi diarrhoea stipatis, inter quam itrias quasdam depositus cruentas, quas pro intempestivis hæmorrhoidum ex-

cretionibus habere nulli dubitamus; Præterea venationibus nimium deditus Vir generosus die æque ac nocte ut totum corpus, ita oculos maxime aeris exposuit injuriis; hinc subito ante tres abhinc anni quadrantes hebetudinem visus sensit oculi dextræ, qua aciem ejusdem ita debilitatem conquerebatur, ut omnia quasi per nebulam videret, nec ab homine hominem, licet minori distantia remotum, rite posset distinguere, altero ceterum oculo illæso existente.

EPICRISIS.

Sanguinis nimia abundantia & tenacitati primam hujus mali originem deberi, nemo non videt. Omssa enim tam per naturales vias quam per artem sanguinis detractione, facile ejusdem ab infernis partibus ad superiores fieri potuit metastasis; præsertim quum collectis in primis viis per inordinatam diætam cruditatibus, ventriculi vires debilitatae & humores spissiores cum flatibus generati sunt. Sanguis itaque versus caput adpulsus & circa oculum præcipue dextrum congestus ob tardiorum ibi per minima vascula progressura stagnavit; unde denegato tenuissimi succi nutritii ulteriori affluxu humores oculi crassi turbidique redditu videndi claritatem imminutam produxerunt. In instituenda igitur cura eo respeximus, ut debita ventriculo vis & chylo subtilitas restituatur, ut sanguinis mole per ejus missionem & tenuem viam imminuta excretionibus ejusdem naturalibus via aperiatur & denique, ut caput, inque primis oculis a congestionibus liberatus corroboretur. Id quod potissimum convenienti stomachicorum & tonicum usu, subjunctionis simul pediluviosis, quæ miram habent a superioribus ad inferiores partes derivandi facultatem, efficere studuimus. Præter ea hac observatione adhuc prorsus confirmatur, vitiorum morborumque, qui oculos invadunt, causam nimis sœpe in primis viis atque imo

imo ventre repositam esse & radicata-
tam, atque ideo in curatione ad eam
aptis praesidiis tollendam respici omnino
deberi. Neque id profecto satis ju-
nioribus medentum inculcari posse ex-
stimo, in gravioribus morbis causam
non tam in humorum dyscrasia atque
intemperie, quam in motuum vitio &
aberratione, qua humores & sanguis
locum suum naturalem mutare cogun-
tur, quarendam & invenientiam
esse.

C A P U T VI.

DE AUDITUS VITIIS EX
ATONIA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*Descrip.
tio af-
fectorum
auditus.* **A**uditus vicia, quæ ex atonia par-
tium nervosarum & membrana-
carum aurem constituentium plerumque
profiscuntur, ad tres potissimum
redigi possunt classes. Prior est, quando sonitus tinnientes, susurrantes,
murmurantes, campanarum strepi-
tum æmulantes, aliisque innumeris,
qui tamen nullam extra corpus habent
causam, audiuntur; tumque malum
tinnitus & susurrus aurium adpellatur.
Alter *duotona* seu *cepnoea*, auditus
gravitas, quando soni extra nos excita-
ti perceptio ipsius magnitudine mi-
nor est; & tertia denique surditas,
seu perfecta auditio abolitio.

§. II.

*Forma.
dim. dif-
fentia-
mento.* Cuncta hæc vicia, si species origi-
nem, eodem ferme nituntur funda-
mento, gradu tamen diverso, & sunt
vel transitoria, quæ sanis saepius, uti
quidem videntur, accident homini-
bus; vel perpetua, nunquam non
morbosi quidquam secum habentia.
Hæc vero jure dicuntur vel idiopathica,
qua ex læsione partium aurem
constituentium, & intra osseam cra-

Tom. IV. Pars IV.

nni thecam reconditarum primario sub-
oriuntur; vel sympatheticæ, quæ ex
aliarum partium, ut ventriculi vitio
natales suos mutuantur, aliisque mor-
bis accidunt. Illa ut plurimum infe-
stant continuo; hæc per intervalla re-
deunt; suntque non raro vertigine,
dolore capitis, oculorum hebetudine,
ventriculi imbecillitate, ructuosis,
flatulentis, aliisque symptomatibus
stipata.

§. III.

Quorum causas & formalem ratio-
nem si velimus perscrutari; opus erit,
quædam nostro scopo inservientia ex
auris structura, indeque explicanda
auditionis ratione præmittere. Ne-
que enim copiosi in tradenda auris fa-
brica erimus; sed duntaxat notabili-
mus, 1.) internas ejus partes, cavi-
tates, mæandros, fornices, circulos,
gyros, miro artificio fabricatos, in-
vestiri periosilio, quod est membrana
tenuissima, vasculis arteriosis quam
plurimis, tenuem humiditatem per-
petuo plorantibus, plena: 2.) hanc
membranam esse propaginem & ex-
pansionem portionis mollis nervi acu-
stici, ex protuberantia medullæ ob-
longata transversali egredientis, &
per foramen auditorium internum,
petroso ossi insculptum internam au-
rem ingredientis, eademque ratione
ac retina in oculo visus, hanc auditus
verum organon constituere; quippe
in ea soni colliguntur, per nervi con-
tinuationem ad commune sensorium
pro distincta perceptione transferendi.
3.) Ejusdem nervi, qui septimum ex-
hibet par, duram, ut vocant, por-
tionem cum ramo quinti pariter ac
octavi seu vagi paris communicare,
& chordam illam, qua membranæ
tympani subtensa est, efficere: 4.)
arteriolas in aure distributas nerveos
ramulos in suo itinere comitari; 5.)
tubam Eustachianam, primum osseam,
deinceps cartilagineam, & denique
membranaceam hiari in palatum, &
non solum cum externo aere, qui ore
& naribus hauritur, communicare,
F verum

verum etiam tenuem humiditatem, quæ in aure interna ex continua perspiratione colligitur, in oris cavitatem, ne auditum turbet, evacuare.

§. IV.

Quibus modis auditus ledatur generaliter? Quodsi ergo membranæ nerveæ in aure reperiundæ justo tensionis, a debito nervi fluidi influxu pendentis gradu gaudent; sanguinis per arteriolas circuitus sit regularis; ductus Eustachianus pariter ac reliqui rite constituti ac aperti sint, & reliquæ partes aurem constituentes bene conformatæ: tum auditus, qui est perceptio soni, seu motus aeris elasticæ per corpus sonorum producti tremuli ac undulatorii, sine ulllo peragetur vitio. Hinc autem e contrario adparebit, auditum generatim vitiari, si vel partes ac cava-
tes auris internæ præternaturaliter sint constitutæ, male conformatæ, ob-
structæ, ulceratae; vel in primis tuba Eustachiana clausa ac obturata; vel humorum per vasa cursus inordinatus; vel denique membranæ nerveæ nimis relaxatae, aut ultra gradum naturalem tensæ.

§. V.

Sic auditus difficultas, & ipsa de-
mum surditas datur nativa, ex mala
malis & organi auditorii conformatione origi-
nem trahens, & omnem respuens cu-
ne partium. Sic auditus difficultas, & ipsa de-
mum surditas datur nativa, ex mala
malis & organi auditorii conformatione origi-
nem trahens, & omnem respuens cu-
ne partium. *Eiusmodi.* Idem vitium parvunt exter-
næ capitum & aurium percussionses,
contusiones, ac violentiae; unde colap-
phos ita infligi posse notum est, ut tinni-
tus aurium inde exoriatur, dass ei-
nem die Obren davon gellen: ex bom-
bardarum forti explosione auditionem
imminui, permultis comprobatur
exemplis; & eos, qui diu inter tor-
menta bellica versati fuerunt, die Ar-
tilleristen, ætate proiectiori plerum-
que fieri surdos docet experientia. Non
minus audiendi facultas vitiatur, a
meatus auditorii, tympani, officulo-
rum auditus &c. arrosione, & exulce-
ratione; nec non peregrinis aurem il-
lapsis, & tam aeris ingressum impe-
dientibus, quam ipsas membranas cum
dolore afficientibus, ut infectis, pisis

&c. atque muci illius subpinguis ac flau-
vi, qui glandulis tubulisque minimis
in meatu auditorio secernitur, & ce-
ruminis nomine venit, induratione.
Nec denique silentio prætermittenda
ea auditus vitia, quæ ex tuba Eusta-
chiana, quacunque de causa obstructa
natales mutuantur; hinc enim aeris
reciprocus per os & aures auditus & re-
ditus impeditur, atque tenuioris in
aure secretæ humiditatis excretioni
obex ponitur, unde & tinnitus & ob-
auditio propullant. Sæpius id fit sub
salivatione, si caput præsertim auræ
frigidæ boreali, quæ reprimit viscidos
succos, exponit: qualem casum
post caput mercurio inunctum recenseret
TIMÆUS a GULDENKLEE L. II.
ep. 29.

§. VI.

Variis quoque modis auditus læditur. *a spasm.* nimia siccitate, rigiditate, *fmo &*
& interdum velut *occidentia ner.* *viscidos*
vearum & membranacearum partium, *auris*
quæ organon auditionis constituunt; *auris*
quo in casu auris internæ & meatus au-
ditorius plane siccus, omniq[ue] humo-
re etiam pinguiori destitutus visitur.
Quanquam enim talis nimia membra-
narum acusticarum tensio illum sæpius
affectum producat, quo acutiores soni
non sine molestia & dolore audiri pos-
sunt: attamen exinde quoque gravi-
tas auditus cum susurrutinnituque non
raro proficitur. Hoc vitium post
phreneticos, maniacosque morbos cre-
bro remanet; nec non a vehementi ca-
pitum, sudore madidi, perfrigeratione,
nimis diuque protractis vigiliis, diu-
turna capitum ad radios solares expositi-
onem, omnibusque causis, quæ corpus
exsiccant, & succos tenues, roscidos,
lymphaticos consumunt, suam trahe-
re observatur originem.

§. VII.

De his autem affectibus nobis non
est sermo; sed de iis tantum agere con-
stituimus, qui a nimia nervorum &
membranarum acusticarum relaxatio-
ne vel plenaria atonia oriuntur. Quo-
rum licet tres superius adduxerimus
spe-

Species; eas tamen ita comparatas deprehendimus, ut eandem originem, easdemque causas, licet gradu diversas, agnoscant; quæ generatim in humorum ad aures decubitu, & independente relaxatione partium dictarum consilunt. Quod speciatim tinnitus sifurrumque attinet; excitatur ille, si causæ intra aurem internam adsint, quæ nervos acusticos in tremulum ac undulatorium, externis campanarum aut alijs corporis sonori sonis similem motum abripere valent. Tales in malo recentiori, corporibusque sanguine plenis non aliæ sunt, quam rapidiores ac fortiores arteriolarum, membranas aurium perreptantium, nervosque earum comitantium pulsationes; quæ majorem sanguinis ad caput, auresque congestionem & in iis factam stagnationem sequuntur. Ha vero stagnationes si diutius persistunt, distendunt vasa, relaxant membranas, subsistensque sanguis naturali majori tenuioris seri quantitatem per poros vasorum dimittit; quod intra meatus internos in vapores resolvitur, & sic, accedente præsertim ductus Eustachianæ obstruktione, indequæ impedita ram aeris, quam vaporum exitu, auget tumultus, murmura, ac tonitrua aurium. Eadem quoque ratione stagnatio sanguinis pariter ac copiosior se. ri tenuioris exhalatio, comprimento nervos, sufficientem liquidi tenuissimi influxum remoratur, inducit membranarum laxitatem; unde soni exteri debilius percipiuntur & generatur auditus difficultas; quæ compressis penitus nervis, cessanteque omni fluidi nervi influxu, in perfectam omnino mutatur surditatem.

§. VIII.

Quicquid igitur congestionem sanguinis ad aures, vicinasque iis partes, & celeriorem atque rapidiorem ejus per arterias acusticas circuitum producit: id ad tinnitus, sifurrum, aliasque auditus lesiones contribuit. Hinc frequenti confirmatum habemus experientia, quod ii, qui sanguine

abundant, & quibus sanguinis motus ad caput directus est, quod fit ab alvo adstricta, spasmis abdominis, fluxo hæmorrhoidam & menstruorum cefante vel suppresso, partium extremarum nimia perfrigeratione, incurvant dolorem capitis gravatimum, vertiginem, atque tinnitus; qui continuante sanguinis stagnatione, accedente que demum membranarum atonia, gravem parit auditum, act tandem surditatem, rarius in utraque simul aure locum habentem, sed ex una in alteram progredientem. Ex eodem fundamento explicanda erit ratio tinnitus, qui inflammationem partium aurum vicinarum, parotidum &c. comitatur; aut in febribus acutis continua ex raptu humorum ad caput evenit, deliriisque est prænuntius. Nec rarum est eos, in quibus consuetæ narium hæmorrhagiae cessarunt, in primis si docentium munere fungentes, crebros alta voce sermones facere coguntur, corripi gravi ac pertinaci aurium tinnitus, cum auditus gravitate vix sanabilis: qualem casum in hujus SYSTEMATIS Tom. IV. Part. II pag. 30. allegavi.

§. IX.

Quæ affectiones auditus uti sunt idio-
pathicæ; ita sympathicæ potius me-
dialiter patiuntur adpellari, quarum fomes in pri-
mis viis existit, quæ per periodos re-
currunt, vel saltem suos remissionis & exacerbationis gradus. Causa
nimirum in ventriculo & prava ali-
mentorum digestione hæret; unde flatus copiosi generantur, qui distenden-
do ventriculum ac intestina, compri-
mendoque vasa abdominis sanguinea
humores majori quantitate ad superio-
res partes cogunt; quorum in aure sta-
gnatio ad tinnitus & auditus difficul-
tatem contribuit. Quemadmodum ve-
ro pathemata in primis viis per certa
intervalla ingravescunt; ita quoque
tristem & dolorificam in capite ac auribus per periodos ludunt scenam. Hinc
obauditioni ex hac causa provenienti
obnoxii potissimum sunt hypochon-
driaci,

driaci, & flatulentis morbis laborantes; in quibus s^epius citra omnem expectationem evenit, & brevi iterum evanescit, quod exprimentes dicunt: Es ist mir auf einmahl mas vor die Obren gefallen, da^s ich fast nichts horen l'an. Hinc etiam observare licet, ejusmodi vitia solis s^epenumero stomachicis, carminativis, & accurratori dieta prorsus debellari.

§. X.

*Anditus ex
vita ex
decubitu
serorum
humorū
ad aures.*

Imminuitur porro, vel plane abole tur auditus, a decubitu serorum hu decubitu morum vel ad principia nervorum ac serorum sticorum, vel ad internas auris cavita tes. Prius fit in affectibus soporosis, apoplecticis, hemiplegicis, paralyticis, & iis omnibus, qui a colluvie sero fa, cerebrum inundante originem trahunt: quin interdum difficultatem auditus & surditatem post lethargum & insultum apoplepticum sequutam ob servavi. Posterioris contingit 1.) si excretiones seri mucidi consuetæ per na res, ut in coryza, simul & semel cohibentur, vel sponte cessant, ubi serum illud ad aures decumbit, & membranas acusticas relaxat, præfertim in senilibus ac debilitatis corporibus. 2.) critico quasi motu in febribus continuis, exanthematicis, maxime catarrhalibus malignis seu petechizantibus, Hungaricis, & quæ caput cum ejus dolore ac delirio afficiunt. In his surdaster ejusmodi status extra dies potissimum criticos evenit, boniq; ut plurimum omnis esse solet: sed prospiciendum, ut talis obauditio inter initia convenienti medicina debellatur, ne radicata vires medicas eludat.

§. XI.

*Conse
remoslo.
res &
subjecta
abandi
niosis.*

Lento denique pede auditus gravitatem incurunt, qui per vitæ genus inordinatum ut totius nervosi systematis, ita speciatim membranarum acusticarum debilitatem humorumque simul impuritatem sibi contrarerunt. Hinc iis vitiis obnoxios potissimum comprehendimus senes, cacechymicos, scorbuticos, qui veneri nimis indullerunt, potibus inebriantibus abusi fuerunt, aut diuturna tristitia ac mœrore vires

corporis consumserunt. Non minus laxitatem membranarum auris, & infrequentem obauditionem patiuntur, qui in tempestate humida, nebulosa, vappida diu versantur, aut in locis palustribus, vel conclavi udo commortantur, nec non, qui per longum tempus defluxionibus catarrhalibus capititis & glandularum circa fauces sitarum laborunt: tensionem enim nervearum membranarum nimia humiditate insig niter minui, multis constat experimentis.

§. XII.

Notatu præterea dignum, & aurium *Quo te
tinnitum, & auditus difficultatem pro
pore ex
accerben
fur au
tempore exacerbari. Qui dictis vitiis
a sanguinis congestione ad caput sunt
obnoxii; eorum exacerbationem circa
æquinoctialia tempora, vere scilicet &
autumno experiuntur; quoniam eo
tempore humores magis commoveri,
& congestiones augeri solent. Qui au
tem ex ventriculi, primarumque re
gionum vitio auditum gravem patiunt
ur; male habent post sumtos coctu
difficiliores ac flatulentos cibos; eo
quod flatus, quo copiosiores generen
tur, eo magis humorum ad caput ra
ptum efficiant. Qui denique ex serosi
humoris decubitu, laxitateque nervo
rum surdastris sunt, mali sui insigne au
gmentum percipiunt cœlo existente
nebuloso, gravi, pluvioso; quod vi
delicet talis tempestas laxitatem mem
branarum acusticarum magis auget;
quæ vicissim iis est solatio, qui ex ni
mia aurium siccitate inciderunt audi
tus difficultatem.*

§. XIII.

Omnis auditus lassiones curatu sunt *Tregua
difficiles; nisi enim inter prima initia si
corrigantur, inveteratae raro medelam
admittunt, quæ eo fit intricior, quo
profundius caussæ intra osseam auditus
thecam, aut ipsum plane cerebrum
sunt absconditæ. Qui in plethoricis,
atque debilitatis corporibus capititis
dolorem gravativum atque vertiginem
sequitur tinnitus, aut auditus dif
ficultas; s^epius infaustum apoplectici
insul-*

insultus exhibet præsagium; quandovero in phrenitide, Hungaricaque febre, non sequente natum fluxu, contingit, delirium portendit: surditati vero succedens delirium, juxta HIPPOCRATEM malum. At surdaster status in petechizante febre circa dies criticos, urina existente cocta, eveniens, bene omnino jubet sperare.

CURATIO.

§. I.

Quemadmodum vix ullus morbus curatur, nisi ejus causa removatur, & medendi artificium in eo potissimum consistit, ut justa causa cognoscatur: sic idem in aurium affectibus est summopere necessarium. Neque vero in his causarum modo diversitas, sed etiam temporis, per quod durarunt, diuturnitas respicienda; quoniam aliam recentia, aliam inveterata auditionis vitia requirunt curationem. At cum nobis de iis potissimum sermo est, quæ ex flacciditate & laxitate nervorum membranatumque & facto ad eas humorum decubitu suboruntur: eorum curationem tribus recte complectemur momentis, quæ in eo consistunt, ut 1.) impetus ruentium ad caput humorum derivetur, 2.) stagnantes in aure succi discutiantur, & obstructions referentur, ac denique, ut 3.) influxus fluidi nervi sufficiens restituatur, adeoque robur membranarum instauretur.

§. II.

Primæ indicationi satisfaciunt 1.) venæctiones, quæ sanguinem immixtū siuendo, & aqualem ejus per corporis ambitum circulum promovent, raptumque a capite derivant. 2.) Alvum laxantia, flatuumque excretionem juvantia; qualia, si malum in corporibus sanguine plenissimis, & spasmis imi ventris obnoxii recens ortum fuerit, leniora manna, rhabarbarina, vel clysteres esse debent. Ubi vero in veteravit affectus in subjectis se-

Tom. IV. Pars IV.

rosis ac pituitosis; efficaciora ex usu sunt laxantia, ut infusa vinosa, quæ per epicrasis operantur, & pilulae cephalicæ, quarum exempla supra Cap. I. pag. 18. allegavimus. 3.) Pediluvia tepidiora ex aqua fluviatili, furfuribus triticeis, cineribus clavellatis; quippe quæ humores efficaciter a capite revocant, & in ambitum corporis exteriorem ac inferiorem invitant. 4.) Vesicatoria suris pedum admota, quæ in subjectis pituitosis, ubi serosa colluvies malum induxit, egregiæ sunt utilitatis.

§. III.

Alteram indicationem explent, quæ vim serum viscidum ut in toto corpore, ^{Quæcumque} do statua præsertim in capitib[us] recessib[us] diagnosticis scutiendi, resolvendi ac evacuandi possunt. Ex internis præter laxantia huc spectant 1.) diaphoretica, pro subiectorum & causarum ratione feligenda. Sanguinei enim, plethorici, & qui ex orgasmo sanguinis vitia auditus patiuntur, poscent diaphoretica fixa, absorbentibus & nitroso nupta; nec non infusa theiformia intra lectum cum blando regimine potanda: sic enim solo potu Caffee tinnitus discussum novi. Phlegmatici & defluxionibus catarrhalibus obnoxii ex spiritibus bezoardicis, cum essentiis catarrhalibus obnoxii ex spiritibus bezoardicis, cum essentiis catarrhalibus ac resolventibus junctis solamen percipiunt, ut sunt spiritus bezoardicus Bussi, liquor cornu cervi succinatus, essentia succini, pimpinella alba &c. 2.) diuretica, quorum in morbis capitidis serosis excellentissima est efficacia; ex iis reliquis palmarum eripit tinctura antimonii acris, quæ cum essentia succini, & liquore cornu cervi succinato combinari potest. Scorbuticis vero, atque cacheoticis interna resolventia, attenuantia, & sic dicta antiscorbutica, quorum princeps est serum lactis, fructum pollicentur amplissimum.

§. IV.

Quod externa huic scopo inferviens ^{Quædiu} attinget; ex iis, si congelatio sanguinea, ^{scutientia} & stasis inflammatoria malum sustinuerat, principem locum tuentur sacculi ^{ntane} ^{interna} F 3 discu.

discutientes & camphorata, magis in
sicca forma, quam cum spiritu vini ad-
plicanda. Ubi vero laxitas a fero so de-
cubitu subest; in Galliis præsertim in-
ter arcana referuntur olea expressa, &
in iis infusæ cantharides, cujus liquo-
ris aliquot guttulæ auribus instillantur.
Excitant quidem sævissimos, & tan-
tos cum ardore dolores, qui vix tole-
rari queunt; sed intra paucas horas ea
tormenta, cum redeunte sapienter audi-
tu, remittunt. Modus operandi in eo
consistit, ut acrinusculis ejusmodi re-
mediis dolorificis in relaxatis membranis
sensus excitetur, quo illæ ad spasti-
cam contractionem proritantur, ea-
que discutiunt atque expellunt stagnan-
tes succos. Porro hoc fine laudari sol-
ent pinguedo viperarum, oleum amygdalarum
amararum, essentia ac me-
dulla castorei, gossypio auribus immi-
tenda; nec non suffitus ex decoctis bac-
carum lauri, juniperi, florum cha-
mæli, sambuci, salviæ, verbena,
rorismarini &c. & HARTMANNUS
commendat vaporem ex herba absyn-
thii cum lacte decocta auribus admit-
tendum.

§. V.

Diff p:o. f:as ex: ferma: be: nra: bo: nra: tio: be: nra: d: o: l: o: Vi tertiae indicationis ex usu sunt ro-
borantia tam interna, quam externa.
Ex internis egregii sunt usus Elixiria
carminativa, visceralia, stomachica,
præsertim ubi vitium in primis hæret
regionibus: ea enim dissipando flatus,
juvandoque digestionem, humorum
ad caput congestionem præpediunt.
Inter externa prærogativam obtinet
balsamus vitæ meus, qui nerveis par-
tibus, tremulum ipsamodicum mo-
tum in iis excitando, robur reddit.
Prostant hoc etiam fine varii spiritus
acustici, ut Mindereri, Mysichti &c.
aqua reginæ Hungariæ, Anhaltina
cum spiritu salis ammoniaci, rorismarini,
liquore cornu cervi succinato
permixta, auribusque cum gossypio
intrusa: & imprimis moschus & am-
bra auribus amica censerit, & in aquis
cephalicis soluta adiplicari solet. In
humidioribus subjectis, & quæ fre-

quenti coryza infestantur roborandi
intentione inspergendum rasu capiti
suadeo pulverem ex succino, benzoe,
caryophyllis, radice iridis florentinæ,
rasura ligni aloes &c. Quod denique
diætam ac regimen attinet, eam ex
superioribus licebit repetere; nec est,
quod moneamus, nisi ut caput & au-
rium confinia ab omni frigido & hu-
mido aere probe muniantur curioseque
velentur. Quem in finem, sub véhe-
mentiori præsertim zephyri flatu, ca-
put cucupha adversus aeris coutume-
liam defendere præstat: Cujus hæc
formula esse potest: Recipe radicis cy-
peri rotundi, seminis nigelli, succini,
benzoës, styracis, iridis Florent: sin-
gulorum unciam unam, moschi dra-
chmam semis, florum anthos, laven-
dulae, rosarum ana Pug. tres, serpilli,
majorani ana unciam dimidiā. M.F.P.

CAUTELÆ PRACTICÆ.

§. I.

Quemadmodum in oculorum vi-
tiis multæ gravesque noxæ abierant
externorum, maximeque colly-
riorum incauto usu propullulant: ita
in aurium affectibus idem fieri obser-
vamus: siquidem varia experimenta
& tentamina per instillationes liquo-
rum spirituorum, oleorum, pin-
guium & humectantium, vapores ex
decoctis nervitis & cephalicis, suffi-
miglia ex gummatibus & ejusmodi plu-
ra, plerumque cum damno adhiben-
tur; nisi prius causa materialis, ma-
lum fovens, congruis internis fuerit
debellata adminiculis. In primis ut in
omnibus nervorum, ita quoque auditus
a debilitate virtutis summopere ca-
vendum a vaporosis & opatiis medica-
minibus; siquidem mali causam non
tollunt, & laxitatem membranarum
acusticarum magis adaugent. Cautius
etiam cum cucuphis suaveolentibus,
quas pro roborando capite solent adhi-
bere, mercandum est, quoniam mul-
tis sunt adversa.

§. II.

§. II.

Sanguinis missiones in tinnitus aurium, gravitateque auditus, quæ a nimia sanguinis copia, ejusque congestione ad caput originem traxit, commodissimum habet locum; maxime si suppressio vel imminentus fluor mensium ac hemorrhoidum antecesserit: quo in casu venæfæcio in pedibus instituta fructum pollicetur amplissimum. At si narium hemorrhagiae cohibitæ tinnitus causam præbeant, eas, si opportuna fuerit ætas, stylo naribus intruso revocare multum juvabit: earum vero emansio, per ætatis rationem facta, resarcienda venæsectionibus circa singula æquinoctia in pede instituendis; siquidem harum omissione malum, licet jam sit debellatum, revocare valet.

§. III.

Quæ catarrhalibus fluxionibus stipata sunt, auditus vitia, efficaciora laxantia, infusaque vinosa, nec non mercurialia postulant, & præterea vietus tenuis exsiccans omnem fere pharmacorum vim superabit: nee contemnendam eo in casu efficaciam suffimigia ex temperatis gummatibus præstabantur. Sæpe etiam fit, ut achores, tinea capititis, scabies, alizæque efflorescentiæ præmature consolidatae & exsiccatae auditus relinquant gravitatem: quo in casu præter laxantia, & pulveres dia-phoreticos cum floribus sulphuris permiscendos, vesicatoria atque fonticuli, derivando materiam exanthematicam operæ pretium faciunt. Si serofæ per nares excretiones cohibitæ auditus difficultatem excitaverint; non est alienum, sal volatile ammoniaci siccum, oleo majoranæ imprægnatum crebro naribus admovere.

§. IV.

Ubi auditus vitia sunt periodica, & hypochondriorum malam constitutiō-dicti, nem pro causa agnoscent, anniten-dit, ut ventriculus a Fordibus re-purgetur, atque suum recuperet tonum; sicut præcedente Tomo Cap. de malo hypochondriaco docuimus: &

observavi sæpius, molestissimum aurium tinnitus in hypochondriacis sæpius evenientem, unica absorbentis dosi fuisse curatum. Quis corbuticam humorum diathesin, & vasorum minimorum obstrunctiones patiuntur; bene sibi consulunt, si aquis mineralibus cum debito regime utantur.

§. V.

Quæ auditus gravitas ex nimia siccitate membranarum nata fuit; poscit balnea emollientia, infusa decoctaque lubricantia & humectantia, atque jucundum omnino oleum amygdalarum dulcium auri adfectæ immittere aut pinguedinem anguillæ tepidam instillare. Præterea nocent vere olea auri improvide infusa. Exterius prosunt fomenta emollientia & paregorica, quorum optimum præbet panis ex furno recenter exemptus, cui ballamus virtus adsperritur. Ubi vero cerumen aurium coagulatum, & quod sæpius fit, instar gypsi est induratum; abstinendum a nimio humectantium & oleoso-rum, quæ vulgo solent commendari, usu. Optimum potius est consilium, si lac, vel quod melius, ejus tremor tepide ope syphonis infundatur auri, vel vapor ex pane calido, e furno extracto, & disciso eidem immittatur: hic enim blando vapore penetrat & emollit viscidam tenacemque materiam.

§. VI.

Quando tuba Eustachiana inreius obstructa tinnitus, surditatique causam præbet; præter interna succos viscidos colliquantia & evacuantia, commendantur masticatoria, ut radix angelicæ, imperatoriae, pyrethri, mastix, zinziber &c. quorum vis proxime pertingit ad affectum locum. Laudantur hoc etiam fine sternutatoria, quippe quæ motum concussorum excitando sæpe expellunt inharentem materiam; & eadem in hoc casu opem tulisse, testis est TULPIUS Lib. I. Obs. 35.

§. VII.

Cum a nimio sanguinis ac humorum motu bibita,

motu ad caput & auditus organa nimiaque humiditate propter perspirationem sufficientem cohibitam ibi collecta & secedente pleraque auditus difficultates suboriantur, maxime omnium curandum est, ut caput in continua & moderata perspiratione conservetur & ab iis omnibus, quæ eam sufflaminant, probe defendatur: cuius generis sunt balneum, conclave, in quo æger dormit, vappidum & decliffe, capitis post sudorem refrigeratio, maximeque omnium ejus lotio.

granensium thermarum usu exoptatum sperare liceat auxilium?

E P I C R I S I S C U M R E S P O N S O.

Clarissime ex hac morbi historia elucere arbitror, a sola temperati & boni sanguinis nimia in corpore bene valente & plethorico diffuentia vertiginem cum auditus labore posse suboriri. Sanguinis quidem detractionem ter per annum Illustrissima foemina admisit; sed quum nimio sanguine turgida sine prole vixit laetiorique diæta ufa est, plus superflui sanguinis generavit, quam per V. Snem & mensum fluxum, satis fortasse parcum ac moderatum, fuit consumtum. Quæ cum mecum perpendarem, præter ternas V. Snem consuetas, alternatim quoque scarificationes eodem numero instituendas & loco potus ordinarii Selteranam vel communem aquam cum quarta vini parte remixtam bibendam suasi. Præterea a coena vitaque deside, quibus dedita erat, abstinere jufi; &, quæ salutares antea fuerunt, Schwalbacenses acidulas iterum potandas, quam experimentum cum fontibus Spadanis denuo faciendum consultius duxi. Balneum vero thermarum Aquisgranensium, quæ ob minerale sulphur, quo abundant, nimis calidæ sunt, quum in morbis capititis, præfertim qui a plethora fiunt, nunquam salutares deprehenderim, reprobavi.

O B S E R V A T I O I I .

Tinnitus aurium a plethora. **I**llustrissima in vigore ætatis constituta foemina valde obesa, per multis jam annos in matrimonio vixit prole destituta & quoad animi corporisque functiones bene semper valuit, nisi quod ante aliquot abhinc annos confessim vertigine cum gravi aurium tinnitus juncto correpta per intervalla fuerit. Contra hæc mala suauis medicorum variis remediis & præcipue aquis Schwabacensibus ufa est, hisque posterioribus tam felici successu, ut viu mali fractam paulo sentiens, recidivæ metum omnem abjiceret. At vero, paucis abhinc mensibus non modo vertigo in caducam transit, verum etiam tinnitus cum graviori auditus laßione denuo invasit, quibus simul evercio complicatur ventriculi cum refectione multa pituitæ, quæ modo gravior, modo levior sapientur. A medicamentis balsamicis & calidioribus pejus, melius vero a diluentibus & sanguinis orgasmum sedantibus Illustris. habere solet. Ceterum sat bene ipsi uterina succedit purgatio & ad minuendam propter lautum vitæ genus plethoram ter singulis annis sanguinem vena secta detrahendum curat. In tali rerum statu mihi demum in consilium vocato quæstio fuit proposita: An ab aquarum Spadanarum interno & externo Aquis-

Vir annum agens quadragesimum secundum, temperamento prædictus cholericò-sanguineo, jam inde a teneris juventutis annis a nimis lucubrationibus tinnitus aurium leviori cum continua aurium nariumque siccitate laboravit. Aliquot nunc effluxerunt anni, quum tanta hicce affectus incrementa sumisit, ut in altera aure horologii pulsus, in altera tintinabuli sonitus perpetuo percipiatur, qui oronem prope

prope somnum adimendo vires mirum debilitat. Quod peculiare symptomam longe majori urget vehementia, si quando iracundia, aut vehemens corporis commotio, aut sanguinis quædam a vini generosi potu ebullitio præcessit. Præterea nec capitis dolor, nec vertigo sollicitat, nisi quod autumnali nonnunquam tempore sub humida aëris temperie dolores cervicis tensivi invadant, auditusque tum temporis simul aliqua fiat obtusio. Cruentas sedes rarius expertus æger per aliquot jam annos hæmorrhoidibus cæcis affligitur, qui urunt & tument cum magno pruritu: quibus in ordinem redigendis bina per annum V. Snes ad unciā dimidiā uititur, qua sanguis colore & consistentia bonus detrahitur. Cœna hucusque semper major fuit prandio, alisque officium rite semper constitit. Consultus ego præter V. Snes consuetas scarificationes quoque alternis mensibus triduo ante & post novilunium succipiendas, crebrumque pædiuviorum usum cum hirudinum ad venas hæmorrhoidum tumentes adpositione suasi: tum vero, ut ab animi affectibus probe sibi æger temperet, a cœna abstineat optimeque corpus contra aeris, præsertim autumnalis injuriā defendat & potui ordinario vīnum cum tribus aquæ partibus dilutum bibat, consului. Aurium vitio speciālius succurrendum duxi essentia mōscii cum spiritu rosarum, liliorum convallium & florū chamomillæ R. parata, quam bombaci instillatam aurū sèpius indere jussi. Quibus probe observatis se brevi noster egregie levatum vidit.

EPICRISIS.

Quando cholericī & hæmorrhoidarii auditus vitio obnoxii sunt, scarificationes V. Snes longe efficaciores deprehendi. Insuper notabile in hac morbi historia est, quod in juventute a nimiis lucubrationibus vitaque sedentaria & exorta inde ventriculi imbecil-

litate malum originem suam repeatat, nec perfecte curetur sed per plures annos, maxime si diætae accedat vitium, affligat. Docemur denique, aurium vitia, præsertim tinnitus gravem & pertinaciorem a sanguinis magis & humorum vitio eorumque motu ad caput & præsertim auditus organa vitioso, quam a partium auditum constituentium laſione ortum trahere, quod tum maxime fit, si malum per tempus remittit, postea revertitur.

OBSERVATIO III.

Femina viginti annos nata, maci-
lentioris corporis habitus vitæque se-
dentariae admodum addicta alvi adeo
constrictæ est, ut vix sexto die rite de-
ponat, cui vitio simul appetitus ma-
gna jungitur prostratio, haud fallax
digestionis laſæ testis, ob quam fit,
ut si forte in cibis adsumendis paulu-
lum excedit, naufragiū circa præcordia
molestiam statim persentiat, quam
copiosi ructus sequuntur. Jam per tres
integros menses gravi hæmiceranias cum
vehementi aurium, in primis sinistri
lateris laborat tinnitus, qui ex somno
experrectæ ingentes creat molestias &
ab humida frigidaque aeris intemperie
nunquam non intenditur. Accesserunt
insuper aliquot abhinc hebdomadibus
dolores in nucha tensivi, qui in bra-
chiis, maximeque sinistro, ad digitos
usque protensi misere nostram excru-
ciant. Pedes, qui plerumque frigidi
sunt, summa tenet lassitudo, neque,
quod maximum est, recto modo &
ordine procedit menstrua purgatio;
quæcum vitio capitis auriumque ex-
acerbato ut plurimum orta per quatuor-
decim dies durat, copiosa demum mu-
ci albi excretione subsequente.

EPICRISIS CUM
CONSILIO.

Recte omnino ea, qua ægota nostra
laborat, affectio dici potest rheumatica
capitis, cuius proximam causam in
stagna.

stagnatione & decubitu seri circa membranas capitis & eas maxime, quæ au-rem internam, præsertim sinistri late-ris investiunt, reponendam esse duci-mus. Occasionem huic malo præbuit ingens ob excessivam menstruam pur-gationem motuum vitalium imbecilli-tas, qua humores hinc inde in partibus nervosis & musculosis stagnantes dolo-res tensivos & gravativos cum insigni-lassitudine inducunt; in intestinis ve-ro flatus & spasticas stricturas seu pa-themata hypochondriaca suscitant. Nam instar regulæ practicæ probe te-nendum esse reor, ab inopia & defectu boni ac temperati sanguinis pariter at-que a nimia ejus abundantia & capitis & intestinorum morbos, qui mali hy-pochondriaci consueto nomine ve-niunt, excitari. In hoc casu primo omnium symptomati urgentiori, atroci videlicet capitis dolori succurren-dum duxi, eo quod ea dolorum ac spasmorum indeoles ac potentia est, ut uni-versam tam functionum naturalium quam motuum vitalium oecconomiam non modo turbet & pervertat, verum etiam genuinam convenientium reme-diorum in sanando efficaciam impe-diat. Præscripti itaque linimentum nervinum ex quatuor liquoris nostri anodynî & una balsami vitalis parte compositum cum linteo duplicato fronti & temporibus bis de die appli-candum, utpote quod discutiente ro-boranteque & anodyna virtute sua mi-tigandis capitis doloribus mirifice op-tulatur. Deinceps usum elixirii nostri sic dieti visceralis temperati, quod omni bus anthy pochondriacis palmam præripit, inter prandium ad roboran-dam ventriculi & intestinorum vim di-gestricem, interposito nonnunquam laxante rhabarbarino, ordinatoque pro potu ordinario decocto radicis chi-nae cum portione cinnamomi & corti-cum aurantiorum recentium, com-mendavimus. Quorum remediologi-frequenti usu negotium mensum in ordinem redactum, vitiisque prima-rum viarum sublatis conveniens omni-

bus solidis partibus robur conciliatum per Dei gratiam effecimus.

OBSERVATIO IV.

Vir generosus, Consiliarius Auli. *Audi-tus*.
cūs, quadragesimum annum nondum *gravitas*.
ingressus, constructionis, ut ex pleno *diam*
corporis habitu floridaque facie appa-*fanata*.
rebat, sanguineo-phlegmaticæ, ob
majorem paulo ciborum appetentiam
ad dimidio anni pinguior factus ab eo-
dem tempore obtusum & graviorem
animadvertisit auditum, quem aere
præsertim pluvioso ita ingravescere
conquerebatur, ut vix ullam vocem
distincte satis percipere valeret. Mul-
tis quidem sed frustraneo effectu usus
ad miniculis, me tandem ad aulam
Principi sui vocatum consuluit. Tum
ego hancce auditus labem sine medica-
mentis me curaturum promittens cu-
ram per inediām hoc modo instituen-
dam suasi. Primo omnium, purgato
probe corpore & sanguine per V. Snem.
evacuato, ab omnibus jusculis, pin-
guibus, ovis, piscibus carneque cocta
abstinere jussi, & nihil quotidie car-
nis prater eam, quam libra dimidia
ponderat, portionem assatae cum vi-
gintialiquot passulis exacinatis & pru-
nis coctis admisi. Dein, loco panis
panem bis coctum & pro potu consue-to Decoctum Chinæ, graminis & lar-
saporillæ bibendum commendavi;
quo itidem singulis diebus mane ad ali-
quot patellas calide hausto corpus ad
blandum in lecto sudorem componere
deberet. Ut tandem vini potus sit mo-
dicus, motus instituatur frequentior,
& vigiliis potius quam somno. Vir ge-
nerosus indulget, consului. Ego qui-
dem ex aula abiens vix ipsum huic se-
veræ medicationis legi obtemperatu-
rum credebam; at ille nihil se cius
parcam vietus rationem tam curate
observavit, ut mihi a Principe in con-
silium rufus adscito mirum plane vi-
deretur, obesitatem ad ulnæ dimi-
diū imminutam pristinamque audi-
tus integratam exinde redditam fuis-
se;

Ie; quod gratissimo animi affectu nunciabat mihi latissimus.

EPICRISIS.

Abstinentia & inedia tanta vis inest medicinalis, ut non modo in vitiis stomachi omnibus fere, in quibus eam CELSUS Lib. IV. p. 217. commendat, colluviem crudorum humorum absumento, calorem & tonum deficien tem restituat, verum etiam copiam ser i evacuando solidorum tonum intendat, totumque sanguinis circulum cum excretionibus promoveat; ac adeo iis affectibus, qui ex nimia seri abundantia proveniunt, occurrat insinuissime. Recte hinc HIPPOCRATES, Sect. VII. Aph. 59. corporibus præhumida carne preeditis famem commendat; namque sua haec efficit sensim atque æqualiter. Et idem quoque Lib. Epidem. VII. æque ac Celsus in morbis capitis gravioribus exercitium corporis & abstinentiam a carnis, præsertim pinguis & vino plurimum collaudat. Ut & ego plena fide testari possum, me in cachexia, ictero, exulcerationibus scorbuticis & variis cutis vitiis, neque minus in affectibus soporosis & paralyticis sola per inedi am cura, quæ tantum fit carne pauciori assata sine inflantibus, sine pinguis, & glutinosis, mirificum effectum vidisse productum. Quoniam itaque haec auditus labes a sola humiditate in auditus partibus stagnante originem suam duxisse mihi visa fuit, sola quoque abstinentia, quæ humidum nimium absunit, sublatam eam futuram bono omni ejudicavi.

OBSERVATIO V.

Matrona sexaginta & aliquot annorum, vegetæ alias constitutionis, & ob insignem vim ventriculi concoctricem, qualiacunque æque bene digerens esculenta; alvo nonnunquam sicciori, tempestateque pluviosa existente, gravativum capitum cum audi-

tus difficultate persentit dolorem, qui a sumptis cibis leniter subducentibus, ut dulcibus & salitis, vel etiam pilulis nostris polychrestis aut ab aliquot Balsami nostri vitæ guttulis cum bombace auri inditis feliciter cessat. Aliquot abhinc metibus in sinistra aure audiendi facultatem penitus amisit, quæ immutata tamen in dextra remansit. Sua si hinc ut per intervalla rhabarbari drachmam unam cum uncia una Coffee in aqua leniter coctam solutamque biberet, & frustulum allii alternatum cum essentia quadam acustica, quæ essentiam Colocynthidis & Molchi habebat, bombaci ad aliquot guttulas infusa læsa auri applicaret. Quorum remediorum usu laudabilem percepit effectum.

EPICRISIS.

Quemadmodum, teste Hippocrate aph. 24. Sect. III. pueri juveneque omniam aurium humiditatem; ita senes ob harum siccitatem secundum ejusdem gravissimi Auctoris placita aph. 31. sect. III. auditus vitiis valde obnoxii sunt. Nunquam tamen non, annotante pariter Hippocrate, Sect. IV. Aph. 28. salutaris observatur alvus in aurium vitiis liquida, dum exinde motus sanguinis a capite ad infernas partes egregie derivatur. Sed uti omnes senibus tam interni quam externi sensus, ita visus quoque & auditus admodum debilitantur: & cum nervi membranaeque sensoriorum in iis rigidiores non satis rore imbuti sint subtilissimo nervo; auditus pariter organon ad motum aeris tremulum percipiendum minus existit idoneum. Quæcum ita sint, externa spirituosa remedia, quæ spiritus reficiunt & subtili acrimonia sua stimulante vigorem & motum nervosum tunicis addunt, nunquam destituta bono effectu deprehendi. Ideo quoque ab allii frustulo auribus immiso, quod plebejum & domesticum experimentum est, singularem sæpius fructum animadvertis. Quando vero paralyticam

cam affectionem auris unius aut utriusque comitatur vel sequitur audiendi gravitas , aliquot salis volatilis purificati grana cum pauxillo castorei mixta auribusque indita , tonum & robur relaxatis partibus conciliando , eximie opitulantur .

OBSERVATIO VI.

Auditus. Vir quidam sexaginta annorum , *lesio esse* complexionis melancholico-cholericea , *vitio primarii* jam a decem abhinc annis audiendi *visum* , quadam difficultate ab angina maxime , quacum saepius fuit conflictatus , laboravit . Ad abigendum igitur hocce malum suasu Medici cuiusdam Balsamo Schauriano per aliquod tempus frequenter usus plenariam auditus in dextra aure abolitionem animadvertisit . Cumque simul haemorrhoides , quæ ritè antea fluxerunt , penitus silerent , accidit , ut sinistram pariter aurem , post lenem corporis motum aut sub inclinato paululum capitidis situ vehemens susurrus sibilusque afficeret , quem ex ventriculo cibis replete ortum ducere judicans ita sermone exprimebat : Et fuhle recht , mie es Ihm non unten hinauf als ein Mind hinein fabre . Quæ cum ita sint , ne audiendi facultate in altera aure & que privatus plane surdus evadat , vehementer metuit .

EPICRISIS.

Quemadmodum reliqua capitidis & nervorum vitia ex pravis maxime humoribus oriuntur in prima regione stagnantibus , dum molesta partium nervosarum vellicacione spasmos concitant , quibus alienus cum sanguine minus puro humor ad caput delatus ibi stagnat motumque & sensum pro diversitate locorum ac nervorum varium cum obauditione tinnitus ex primæ regionis vitio suos mutuari natales recte statuitur . Quod vero si incidit , nihil ducimus consultius , quam ut Medicus ad corruptos in primis viis humores & abhinc prodeentes perversos sanguinis

at humorum motus mentem probe advertat . Crassissimus enim error est eorum , qui neglecta in capitis affectibus prima regione ad caput tantummodo respiciunt variaque nervina , cephalica & nimis calida remedia adhibere solent , quibus tantum abest ut nervorum systema roboretur , ut potius humores stagnantes mirum exacerbentur , adeoque haud mirum videri possit , quare balsamum illud Augustanum in auditu difficiili plus detrimenti attulerit , quam emolumenti . Memini me molestum aurum tinnitus crebrius infestantem in hypochondriaco , qui alvi erat adstrictioris , paulo majori dosi lapidum cancerorum cum aqua frigida sumtorum praesentaneo auxilio mitigasse ; quod pariter in senibus , in quorum ventriculo ingesta facile coacescunt , a me observatum est . Ceterum , praesenti huic ægrotu consilium dedi , ut una cum pulvere nostro præcipitante quatuordecim numero pilulas balsamicas alternis diebus sumeret .

OBSERVATIO VII.

Vixit ante triginta circiter annos celebris in Academia nostra Professor , max obvir proiectioris ætatis , macilentus , auditi qui cum per sedecim & ultra annos audiendi sensu in dextra aure privatus , idem malum sinistram accidere auri deprehenderet , meum imploravit auxilium . Quare ego singulis ægritudinis momentis probe per pensis a purgatione per pilulas cephalicas initium curationis suscipiendum statuens hancce præscripti formulam : Recipe Extract. panchymag. Crollii , Mercur. dulc. Cinnabar. aloes depurat : singulorum drachmam dimidiā , salis succini , trochisor. Alhandal , resin. gialappa gran. XII. M. F. cum Ball. Peruv. ex scrupulo uno N. XIV. pilulæ , quas bis per hebdomadem mane adsumat . Ipse vero profundis meditationibus implicitus minime attendit præscriptum in capsula pilulis utendi modum , sed eas brevi intervallo obambulando deglu-

deglutit omnes. Binis circiter horis elapsis truculentis imi ventris cruciati-bus, nec non nauseosa circa præcordia sensatione, crebrisque lipothymis correptus confestim me vocari jussit. Accessi igitur, & interrogatis tam subitanæ mutationis causis ægrum mox le-to tradendum variisque externis ana-lepticis reficiendum curavi: tum vero, ut copioso lacte & multis pinguibus uta-tur, suosor fui. Quibus effectum per Dei gratiam est, ut soluta alvi consti-patione quater alvum, licet inter acer-bissima ventris tormenta deponeret. Proxime abhinc capitidis dextrum latus vehementissimi occupabant dolores spastici, qui circa aurem maxime dex-tram tanta sæviebant atrocias, ut som-num omnino adimerent. Sed percepto dein horrendo, instar bombardæ explosæ, in hac dolente aure fragore remiserunt, & qui antea absuit au-diendi sensus perfecte rediit. Posthæc in sinistra pariter aure priori plane similis ludebatur scena, nec dissimili ef-fectu; siquidem hac ratione pristinæ auditus incolumentati noster ex voto redditus superstes adhuc & integer plus minus sex transfigit annos.

EPICRISIS.

Notatu perquam dignus & plane mirabilis est purgantis acroris in enor-miori dosi ad surditatem sanandam ef-fectus, quo docemur, ad magnos, eosque contumaces & inveteratos mor-bos tollendos non levioribus sed ma-gnis & efficacissimis opus esse remediis. Procul dubio hæc surditas in nervo au-ditorio a tenaci humore obstructo obor-ta a potenti medicamento vehemen-tum nervosis partibus motum, qui impactum humorem recte quasi expulit, inducente simul & semel remota fuit, quod ex sonu frigoris interno co-gnoscere licet. Ne autem tanta pur-gantis acrimoniam propter spasmos in intestinis excitatos languido & senili corpori majus inferret damnum, hu-mectantia & pinguis propinanda esse

consulai, eo inductus ratiocinjo: si virulentam arsenici acrimoniam hæc ipsa remedia in copia assumta delinire & innoxiam reddere possint, multo magis ad acrimoniam purgantium de-mulcendam, ne noxam inducan, idonea esse.

OBSERVATIO VIII.

Non adeo multo abhinc tempore mi-sit ad me Serenissimus Princeps insi-gnem militiae præfectum, vitum vigore & ætate florentem, ut ipsi auditum, quo penitus destitutus erat, restitu-rem. Cum in acerbi hujus mali causam atque originem inquirerem ex sali-^{Auditus}
^{abolito}
^{a cura}
^{mercu-}
^{ritali}
^{male}
^{tractas}
^{pa.}
vationis mercurialis cura illud ortum du-xisse ab eo intellexi, quod ob insigne tedium & molestiam non totam iitam sustinere voluerit, sed corpus nimis cito frigido liberiorique aeri commis-erit, a quo tempore caput gravari & auditus sensus turbari coepisset, ita prorsus, ut per duos nunc menses au-diendi facultate omnino careat. Perspe-cta sic mali causa curationem ita in-struendam duxi, ut humor vitiosus inter-ioribus ac sensibilioribus auris partibus firmiter impactus accommodata me-dicina removeatur. Quo fine omnium maxime exquisite corpus purgandum decrevi medicamento, cui non infirma-vis sit, pravum subsistenter humorem a supremis & infimis locis prolienci & foras eliminandi. Id quod hacce for-mula præstare solemus. Rec: Gummi ammon. depurat. Extract. rhabarb. aloës rosat. mercur. dulc. cinnab. singulorum drachmam dimidiam, trochis. Alhan-salis succini, croci, castorei ana gr. XII. M. F. l. a. cum Bals. Peruv. Pilu-læ ex scrupulo uno No. XX. quas pro-dosi ter alternis diebus exhibuimus. Pro potu decoctum ex lignis tempera-tioribus paratum, vino interdicto & parciori vieti præscripto, una cum pediluviis quovis die mane & vesperi tepide adhibendis commendavimus. Præterea externe gossypium balsa-mo nostro madidum vita auribus inden-

indendum nuchæque vesicatorium, quod in usu habemus, blandum atque benignum imponendum suamus, subjuncto simul ad mucum e naribus eliciendum pulvere quodam nostræ preparationis sternutatorio. Quorum remediorum energia, id Dei auxilio effigatum est, ut malo in dies magis magisque decrescente longa meliorem audiendi facultatem noster adquisiverit & cum aliis sermones miscere potuerit, quantumvis malum non ex toto fuerit sublatum.

E P I C R I S I S.

Quam efficax & præstabilis ad magnos ac præsertim ex contagio venereo ortos morbos eradicandos, cura est per salivationem perite & circumspetè tractata, tam nociva, imo pessima est, si ab imperito quodam homine, vel insuper habito convenienti regimine, suscipitur. Tantum enim abest, ut levamen adferat, ut malum potius exacerbet & pejora sepius difficilisque sananda, accerfat symptomata, quod longa experientia edoctus plena fide testari possum. Ego a decenti regimine, quod ad sanitatem recuperandam sub hac cura summe necessarium est, neglecto, cum caput nimis cito frigori exposuerunt ægri, jam terna vice in artis exercitio plenariam observavi surditatem, eamque, quod non inter initia statim prospectum male fuit, immedicabilem. Quod vero tam difficilis ex hac causa natæ surditatis sit curatio, hæc mihi subesse vindetur ratio: Sub mercuriali cura a partibus extremis & infimis ad caput, maximeque ad glandulosas ac nerveas ipsius membranas seri vitiosi copia magno cum imperio adpellitur, quas, ut in palato, naribus & gingivis vides, nimium relaxat; hinc nihil dubii est, quin etiam ad nerveas illas tunicas, quæ interiora auditus ossa, & concamerationes cingunt, humor vitiosus delatus hæreat, qui dein a frigere inspissatus & impactus ex locis

ejusmodi magis abditis difficillime dimovetur. Balsamum nostrum spirituolum, sicut ad omnia nervorum virtutia a nimia laxitate orta, ita quoque ad auditum, si ex eadem causa perit, restituendum, remedium multo pulcherrimum est & efficacissimum, quod humorem discutiendo egregium partibus robur addit. Si rursus mihi ejusmodi obtingeret casus, suaderem salivationem, sed meliori vita ordine & regimine denuo instituendam. Id quod vero ut inter initia statim fiat, necesse est.

Plures de auditus vitiis casus legantur in Consult. ac Respons. Medicinal. Tom. I. Sect. I. Casu XXXIX. XL. & XLI.

C A P U T VII.

D E A P H O N I A.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Voce loquela vulgo intelligimus *Differ-*
productionem vocum articula, *ta loqui-*
tarum, animi conceptus, cum aliis *lo-*
communicantem. Vox autem non
articulata dicitur sonus, & est aeris
exspirati, atque per asperam arte-
riam, laryngem, hujusque rimam,
qua glottis audiri, vi quadam expulsi,
ad cava oris & faucium varie figurata
facta illatio & repercussio. Quanquam
igitur loquela a sono differat; tamen
illa sine hoc fieri nequit, tantum abest,
ut vitiatis, quæ edendo sono tributa-
sunt, organis, velut speciatim aspera
arteria, ejusque caput, larynx di-
ctum, cum annexis cartilaginibus,
musculis, & nervis, nec non fornix
palati sunt, produci possit; & hinc
deperdita sonum efformandi facultate,
loquendi simul potentia pereat,
necesse est. Hinc jam ex antiquis GA-
LENUS L. de præcog. post. h.c. 6. multis.
evi-

evicit experimentis, quod nervorum recurrentium, qui ex pari vago & nervo accessorio efformantur, & ad laryngem, nec non docente novissime WINSLOVIO *Anat. P. III. §. 112.* ad linguam tendunt, uno abscisso animal semivocale, utroque vero resecto, plane mutum omnique & sonum edendi & loquendi potentia destitutum redatur.

§. II.

Quid per aphoniā perit, quod in hysteris frequenter fit intelligi? Hoc vitium, ubi sonus cum loquela suffocationibus, vocatur a medicis *aphonia*. Nos autem, aphoniā nomine strictius sumto, per eam intelligimus, loquendi sive voces articulatas producendi impotentiam, a solo linguae vitio pendentem: ubi soni quidem produci possunt, sed lingua vocem articulatam extricare nequit, oppressisque potius conatus conticescit. Huic valde affinis est linguae hæsitantia, quam balbutiem, das Stammien, & ea laborantes Psellos vocamus: ubi voces quidem articulatae proferuntur, sed non satis distincte exprimuntur; quoniam lingua ad ideas tanta celeritate, quanta in mente excitantur, enunciandas, impar & quasi nimium gravis videtur.

§. III.

Lingue diffici. Quum linguae potissimum vitium in aphonia accusamus, inque ea morbi sedem collocamus: operæ pretium erit, illius structuram, quantum nostræ tractationi favet, paullo rimari. Est vero lingua musculus, omniū ferre mobilissimus; qui ob fibras varie figuratas, longitudinales, transversas, perpendicularares, acuminatas, angulosas &c. nec non musculos mylostylo-hyo- & genioglossos, æque ac illos, qui ossi hyoideo sunt tributi, in omnem plagam celerime moveri potest. Dicti hi musculi vim suam movendi nanciscuntur a ramo tertio, qui audit maxillaris inferior, paris quinti nervorum, quod totum ferme motorium est; quemadmodum par nonum ad gustum efformandum destinatum esse

videtur. Hac volubili & in omnem partem mobili lingua, si soni ope laryngis formati in certas litteras modificantur, oritur loquela. Quo vero difficilior linguae motus est; eo difficilior fit loquela: & illo cessante, cessat loquendi potentia, licet soni satis clare produci queant.

§. IV.

Quum motus alicujus partis immobiles & nuitur vel tollitur per imminutum aut ^{cæsa} interceptum fluidi nervi in nervos ^{proxima} fluxum; nervi vero linguae motui destinati a pari potissimum quinto proficiuntur: facile patet, sedem aphoniae in dicto nervorum pari querendam, ejusque caussam proximam in plus minus imminuto fluidi nervi in illum nervum influxu collocandam esse. Et in hac confirmatur sententia, si consulamus anatomicas eorum sententes, qui in vita fuerunt aphoniæ: sic testatur BONETUS in *Sepulch. anat. L. 1. Sect. 22. obs. 7.* se in viro ex melancholia in furorem abeunte, & aphono ad mortem usque manente, cerebrum siccissimum, nervorumque origines siccissimas solitoque graciliores, lingua illæsa, reperisse; & *obs. 20.* casum allegat ex RIVERIO, de balbutiente mortuo, in cuius cerebro circa nervos linguales cystis reperta sunt, foramen habens, & continuum serum plorans.

§. V.

Quicquid igitur influxum fluidi nervi in nervos motui linguae destinatos ^{in para-} remorari valet; id ad aphoniā ^{lyt. lin-} contribuit. Præcipua hinc consideratio debetur linguae paralysi, quæ vel antecedit, vel sequitur affectus hemiplegicos & apoplecticos. Talis nonnunquam occurrerit in senibus, corporibusque valde languidis ac debilitatis; & si sola est, præ sagit plerumque hemi-vel apoplecticum affectum, si vero hunc hunc excipit, cum torpore ipsius memoriarum ac ingenii complicatur, & prioris morbi recursum minatur. Lingua tali in casu ordinario est tumida, flaccida, semifistulosa, minusque mobilis,

gustus

gustus imminutus , & in hemiplexia
in altero tantum latere vitiata .

§. VI.

Levioris præfigii est aphonia , quæ
~~ex se-
ri cœ-
rī cœ-
rī
nervos
flagnan-
tione~~
ex serorum humorum stagnatione ,
vel plane secessione , nervos quinti pa-
ris ad linguam tendentes comprimente
proficiscitur ; neque tamen minus gra-
vis est , curationique satis rebellis .
Hæc fit post excretiones ac exanthe-
ma serosa , intus acta , sovente cum
primis tempestate humida ac pluviosa .
Sic observationes de aphonia post sudore
res cohibitos in A.N.C. Vol. III. obs. 82.
post catharrum non rite tractatum in
FORESTO L. XIV. obs. 32. & A.N.C.
Vol. II. obs. 67. post variolas relicta ibid.
Vol. I. obs. 112. relatas legimus . Ejus-
modi secessio seri ad nervos linguaes
per externam quoque violentiam ,
ictum vel casum produci potest : unde
aphoniæ ex casu ab alto subortam de-
scribit POTERIUS Cent. II. Cap. II.

§. VII.

~~ex se-
ri cœ-
rī cœ-
rī
flagnan-
tione~~
Oritur aphonia porro ex nimia san-
guinis ad fauces , & linguam conge-
stione ; quæ vero imminuta humorum
mole protinus cessare solet . Sic de tali
affectu per insequitam narium hæmor-
rhagiam sanato casum videas in A. N.
C. Vol. III. obs. 113. Idem malum sequi-
tur etiam inopportunam venarum ra-
ninarum sectionem , si in valde ple-
thoricis , non præmissa in pede venæ
sectione instituatur : unde quoque gra-
ves faucium inflammations excitari ,
frequens docet experientia . Cum pri-
mis vero ex hac causa subortam aphoniæ
novi in foemini , menstruorum
vitio laborantibus , ac hysterica pas-
sione divexatis : concurrentibus nimia-
rum imi ventris spastis , qui humores
vitales ad superiora cogunt ; unde vir-
gines circa pubertatis annos constitutæ ,
mensiumque eruptionem primum ex-
perientes hoc non raro incurunt vi-
tium . Coniunctum illud hoc in casu
esse solet , cum tumore ac rubore faciei
& oculorum , vasorum turgescencia ,
arteriarum vehementi pulsatione , &
degulendi difficultate .

§. VIII.

Notabilis denique & satis frequens
est aphonia , quæ vermis intra ven-
triculi & intestinorum canalem hospi-
tantibus debetur . Talis subito invadit ,
& exturbatis vermis protinus remit-
tit . Cognoscitur ex imi ventris tormi-
nibus vel prægressis , vel adhuc jun-
ctis ; aliisque symptomatibus , ver-
mium præsentiam significantibus : &
originem trahit a spastodicis partium
imi ventris nervolarum contractioni-
bus , quibus vitales succi valido impe-
tu ad fauces & linguam compelluntur ,
ibidemque stagnantes nervos motui
linguae dicatos comprimunt . Ipse ta-
les casus sæpenumero vidi , & feliciter
curavi ; nec aliorum auctorum desunt
testimonia : vid. A.N.C. dec. III. anno.
III. obs. 147. Vol. II. obs. 62. & ibidem
obs. 160. exstat casus , de aphonia pe-
riodica , quæ tories invasit , quoties
tormina a vermis fuerunt producta ,
hisque sopitis statim iterum cessavit .

§. IX.

Dantur adhuc aliæ caussæ , quæ in ~~Cause~~
dispositis ad aphoniæ plurimum con-
tribuunt . Tales sunt abusus potum
~~occasio-~~
~~nalis &~~
~~Prognos-~~
~~sis~~
spirituorum , & frequens crapula , si .
unde aphoniæ ex ebrietate ortæ jam
HIPPOCRATES 5. aph. 5. meminit .
Porro huc spectat gravis terror , & re-
frigeratio partium præsertim inferio-
rum : quæ momenta eo magis perni-
cialem vim exserunt , si tempore , quo
naturales fluunt hæmorrhagiæ , inci-
duerint . Nec silentio prætermittenda
tempestas pluviosa , & commoratio in
locis humidis , maxime in subjectis pi-
tuitosis ac catarralibus . Prognosis
aphoniæ pro ejus caussis varia est : quæ
enim ex vermium vitio , vel in passio-
ne hysterica , aut mensium difficiili eru-
ptione accidit , curatu facilis est ; quæ
vero linguæ paralyssin pro caussa agno-
scit , omnem fere respuit sanationem ;
aut sanata facile redit affectumque ce-
rebre graviorem præfigit .

CURATIO CUM CAUTELIS
PRACTICIS.

§. I.

A Phoniam curaturus eo respicere debet, ut primum caussas influum fluidi nervae in nervos linguaes, hos comprimendo remorantes removat, & deinceps robur earum partium confirmandum curet. Quemadmodum vero illæ caussæ multum inter se differunt: ita variam quoque mendendi rationem exigi, quilibet perspiciet; facileque colligetur, eam aphoniæ, quæ caussæ intra ipsius crani thecam reconditæ debetur, sanationem admittere non nisi difficillimam.

§. II.

Cura Quæ igitur ex vera linguae paralyssi suboritur aphoniam; poscit seri ad nervos & cerebrum decumbentis discussiōnem & evacuationem. Repetenda hoc loco ea sunt, quæ capite de Paralyssi docuimus; & opus adgrediendum venæsectione, clysteribus paulo acrioribus, diureticis, sternutatoriis &c. speciatim in usum vocanda & ipsi extrinsecus linguae sunt adiplicanda nervina & balsamica, quo nomine commendari solent aquæ spirituosa liliorum convallium, primulae veris, spiritus rorifmarini, serpilli, formicarum, essentia ambræ, balsami Peruviani, oleum cinnamomi, caryophylorum, & nostrum vitæ balsamum, paucis guttis sacharo excipendum, & sub lingua detinendum. Interne etiam dictum vitæ balsamum cum tribus spiritus salis ammoniaci vinosi, & duabus tincturæ antimonii acris partibus combinatum, bis vel ter quotidie ad XXX. guttas summo cum fructu exhibebitur: nec erit alienum, blanda nuchæ adipicare vesicatoria.

§. III.

Aphonia Si sudorum suppressiones, aut excretionum catharralium cohibitiones ad malum contribuerunt: nihil superat diaphoreticorum & diureticorum

Tom. IV. Pars IV.

rite usurpatorum efficaciam; restituta enim diaphoresi, mox redire deprehenditur loquendi facultas. Laudem hinc merentur quam maximam infusa theiformia, cum blando regimine potanda; spiritus cornu cervi succinatus, tinctura antimonii acris, essentia sucini, maxime si cum essentia balsami Peruviani, aut balsamo vitæ nostro permisceantur.

§. IV.

Fit nonnunquam, ut sub ipsa mercuriali salivatione aphoniam accedat; quando scilicet serosi ac salivales humores nimia quantitate ad fauces & ne mercuri linguam redundant. Quo in casu eo dirigenda est curatio, ut humores isti a capite deriventur & evanescantur. *Aphonia sub sanatoria* Præstant hoc decocta diaphoretica, calide bibenda; & laxantia, maxime que pilulæ cephalicæ, acriori stimulo imbutæ, non neglecto convenienti regimine.

§. V.

In aphoniam, quæ post insultus hemi- & apoplecticos remanet, satisque per-
Emplastrum ad Aphoniæ tinax est, insignem usum emplastro-
rum, quæ ex terebinthina, seu pice,
& gummatibus Carannæ, masty-
chis &c. parantur, & nuchæ adiplicantur,
observavi: reliqua enim, ut ut generosa remedia, hoc in casu, spem omnino fallunt.

§. VI.

Si malum a nimia sanguinis versus caput congesione proficiscitur; omne ex sanguinis subtractione absolvitur. *Aphonia ex sanguinis subtractione* Hanc oportet esse largam, & pro circumstantiarum ratione vel per venæsectiones, in pedibus, brachio, & nonnunquam sub lingua instituendas, vel scarificationem ac cucurbitas administrare decet. Jungenda his pediluvia, quæ humores ad inferiora derivent; nec non interna antispasmodica nitrosoaque, eo quod his in casibus infernarum partium spasmī plerumque sint complicati. Hinc operæ pretium faciunt pulveres temperantes cum nitro cinnabarie mixti, aut

G liquor

liquor noster anodynus, cum essentia castorei maritus.

§. VII.

Cautela. Quamvis venæsectio remedium sit circa ^{ne-}generosæ & magnæ ad hunc affectum ^{neglectio.} efficaciaz: attamen cavendum, ne ea ^{nem} & promiscue utamur. In senibus enim, ^{sploru-} ^{fa.} languidis, viribus exhaustis ac magis pituitosis subiectis plus adfert detrimen-^{tum}, & præservandi apoplexiām fine justo liberalius adhibita, hanc potius provocat. Locum potius habet, ubi pulsus celer est & magnus, facies rubicunda, sanguineque turgida: quo tamen casu strictræ infernarum partium clysteribus, frictionibus, ac pediluvii prius sunt demolcendæ. Ante tusam venam in plethoricis cavendum etiam est a medicinis calidioribus, spirituosis ac nervinis, earumque tam interno, quam externo usu; quoniam humores magis commovent, eorumque raptum ad fauces augent.

§. VIII.

Externo. Si spasticæ constrictiones faucium & linguae aphoniam produixerunt; uti fit in hysteris & hypochondriacis paroxysmis, in quibus deglutiendi est difficultas: plus juvant externa paregorica, quam interna remedia. Commendantur nimirum eo fine frustulum castorei, vel nucistæ, vel theriacæ, vel salviae sub lingua detentum, aut balsami vitæ cum liquore anodyno mixti paucæ guttæ linguae instillandæ. Præterea operæ pretium faciunt clysteres carminativi, fatus & infessus emollientes ac pediluvia.

§. IX.

Aphonie ex ver- *mibus curatio.* Quæ denique vitio vermium intra canalem intestinorum stabulantum fit aphoniam: facile curatur anthelminticis, ac iis remedii, quæ strictruras intestinorum demulcent. His enim quiescentibus, redit loquendi facultas; sed nondum sublata cauſa, quam vermes præbent, sèpius iterum aboletur. Quare sub quiete spasmorum opera est danda, ut ingrati hospites convenientibus e corpore proscribantur adminiculis.

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Virgo spongiosioris habitus, flo-^{Aphoniam} ridæ faciei, sanguinis & succo. polli mœ- rum plena, & octodecim annos nata ^{Brus} aliquando cum mensum patiebatur ^{frigore} profluvium in itinere constituta, ^{supressa} mio semet exposuit frigori. Domum redux dolore capitis gravativo, turgidis ac rubicundis in facie existentibus vasis, corripiebatur; noctem transi-^{gebat} inquietam, & mane omni loquendi potentia se destitutam sentiebat. Hæc per quatuor durabant dies; quibus nec cibum nec potum adpetebat, somno fruebatur turbulentio; mens tamen & omnes sensus sibi constabant, ac extremæ quoque partes calore perfusæ erant. Medicus, cum alvum strictiorem deprehenderet, clysterem protinus infundi, deinde ex ve- na in pede tusa tres cruoris circiter uncias detrahi jussit: sed aphoniam magis invalesebat. Ego vocatus, & pulsum adhuc celerem atque magnum animad-vertens, venam rursus incidentam, septemque sanguinis uncias adhuc mittendas curavi: & postea, pulsu satis valido existente, essentiam castorei, cum spiritu salis ammoniaci & liquore anodyno minerali remixtam, tringita ejus guttas quavis quarta hora ex aqua lilioram convallium sumendo, ordinaui. Brevi post per totum corpus erumpet sudor, facies detumescebat, somnus erat tranquillior, & continua-^{ta} per nycthemeron medicina, loquendi facultas omnino redibat.

OBSERVATIO II.

Priorem casum illustrat alijs, qui ^{Aphoniam} sic se habet: Puella novem annorum ^{a pedum refrigeratione corporis ratione} macilenta, ex refrigeratione corporis maximeque pedum noctu facta, mane ^{orta} in loquendi difficultatem cum linguae tumore incidit. Præscripta protinus ^{exter-}

externa pariter ac interna cephalica & nervina nihil utique ferebant opis. Hinc vocatus ego, cum adhuc frigidos deprehenderem pedes, eos fricari & pediluvio ex aqua simplici, surfuribusque triticeis bis quotidie imponi jubebam: quibus spem fallentibus, suadebam, ut binæ cucurbitulæ cum scarificatione brachiis admoverentur. Quo facto post aliquot horas magnum sensit levamen; & adhibito subinde capitiluvio, quod ex vino cum herba thymi, saturejæ, serpilli & majorana confectum erat, perfectam recuperavit sanitatem.

EPICRISIS UTRIUSQUE CASUS.

In hoc utroque casu debetur aphonia congestioni sanguinis ad caput; quæ per partium inferiorum refrigerationem fuit provocata, & quidem majori cum periculo in priori casu, ubi simul cohibita sunt menstrua. Adpliata in hisce casibus mox ab initio specifica cephalica, volatilia & nervina plus nocent, quam prosunt, siquidem stagnantem sanguinem magis commovent, & calefaciunt. Iis potius opus est remedii, quæ derivant a capite congestionem, & infernarum partium stricturas demulcent: quorum primaria sunt pediluvia & sanguinis missiones. Pediluvia non ordinare soleo, si pedes existunt frigidi, nisi per frictiones hi paullulum incaluerint. Sanguinis missiones in foeminis, menstrua & horum retentionem passis per venæ sectionem in pede; in tenerioribus autem, quæ lanare nondum persolverunt tributum, per cucurbitulas cum scarificatione brachiis admotas, quæ etiam in pueris & infantibus locum habent, summo cum fructu sèpius instiui. Sed notari meretur, sanguinis detractionem sufficientem esse debere, quoniam, si parcior fuerit, plus infert detrimenti: unde eam in priori casu repetendam putavi. Si pulsuum vehementia adhuc continuat, subjun-

genda antispasmodica; & denique blanda nervina.

OBSERVATIO III.

Requisivit haud ita pridem vir egre-<sup>Aphonia
gius & de nostra arte optime meritus
vermi.
bus.</sup> meum supra singularem adfectum consilium, quem in conspectum dare operæ pretium erit: Honesto loco natus puer, qui vegeta semper usus valetudine nunc undecimum complevit annum; nec levissimi quidem loquela vii per totam vitam suam meminit, ex improviso loquendi destitutus potentia, adeo ut præter verbum Mama, quod sub magno nisu voceque submissa profert, nihil omnino articulata voce pronunciare queat. Accedunt insuper molestæ hinc inde tensiones spasticæ, quæ totum cervicis & dorsi tractum in consensum rapiendo insignem his partibus torporem movendique & fleetendi impotentiam inducunt. Medicus tam acerbi mali causam in verminosam rejiciens progeniem varia contra vermes alias efficacissima eaque laxantia, roborantia, antispasmodica & præcipitantia adhibuit remedia, tantumque profecit, ut dejectis quindecim lumbricis, ciborum adeptentia cum virium aliquo augmento redierit, somnus tranquillior & alvus quotidie lubrica sit; at vero grave istud sermonis impedimentum sine ulla in melius conversione per quinque nunc hebdomadas pertinacius insistit. Ego igitur primo omnium vermium colluviei melius educendæ consulendum arbitratus sequentes ob egregiam verminibusque contrariam indolem suam mihi frequentes pilulas præscripsi, quarum septem bis in septimana, maximeque circa lunæ mutationes propinare jussi, interjectis pulveribus ex salis amari gr. XV. nitri purif. Corall. ana gr. vi. compositis. Formula autem pilularum hæc fuit: Rec. Afæ foetid. myrrh. elect. extr. tanacet. rhabarb. aloës rosat. mercur. dulc. ana drachmam unam, extr. croci gr. vi. M. F. l. a.

cum eff. castorei Pilulæ ex scrupulo No XX. Denique, ut externe quoque suppetias feramus, partes a spasmis nimirum debilitatas roborando, per intervalla collo & cervici imponendum suauissimus epithema, quod ex aquæ Anhaltin. spirituofæ uncis quatuor, bals. nostri vitæ uncia dimidia & bals. Peruv. drachmis duabus confectum erat. Quorum remediorum usu per aliquod tempus protracto loquela indies melior redire cœpit.

EPICRISIS.

Varia & terribilia subinde sunt, quæ a verminosa progenie in nervosarum partium systemate concitantur symptomata, quorum quidem causam ego non tam in rosione tunicarum intestinalium nervearum, quam potius in exhalationibus acribus causticis, quæ ex vermium corpore & excrematis exspirant, quibusque omnis generis infecta scatent, reponendam esse statuo. Innumera fere sunt, quæ adversus peregrinos hospes & virulentos corporis hospites habentur & venditantur remedia; sed ego præter mercurium dulcem cum purgante, ut resina gialapp. vel diagryd. sulphurato mixtum nec præsentiora inveni nec securiora, quam asam foetidam, tanacetum, alium, semen santonici, camphoram & denique lupulum, quæ odore potius animaculis hisce adverso quam alia quadam substantia suam exferunt operationem.

OBSERVATIO IV.

Tataly- Otto annorum puer annuo abhinc *fi- lin-* tempore corripiebatur variolis, que *gue- time-* cum rarissime adparerent & post eru- *tion- fa-* ptionem protinus subsisterent, acci- *seitate-* dit, ut variis exinde morbis fieret ob- *noxius*, maximeque crebris defluxio- *nibus* sollicitaretur ferosis, quæ tuf- *sim*, raucedinem & coryzam subinde inducere solebant. Hæc quidem sym-

ptomata congruis medicamentis sæpius fuerunt mitigata; at vero, quum proxime abhinc magna abdominis cum duritie quadam jungebatur intumescentia, bis medicus intra breve spatium medicinam exhibuit vomitoriam, sed infausto plane effectu; si quidem coactas hasce vomitiones non adeo multo post excipiebant vomitus spontanei, qui cum gravi diarrhoea stipati per octo decemve dies misere nostrum ægrum divexabant. His deinceps compositis, cum subitanea visus obscuratio tanta lingue accedebat immobilitas sermonisque difficultas, ut ne verbum quidem puer, licet anxie nitens, proferre posset. Præter hæc insignis caput tumor omnesque artus vehemens occupabat tremor & lafitudo, que adeo ingravescebat, ut viribus magis magisque dejectis tandem animam placide exspiraret.

EPICRISIS.

Nullus fere morbus est, qui tam dira tamque varia & per multos annos durantia in infantibus post se relinquit symptomata, quam ipsa variolosa febris, si aut variolarum eruptio & suppuration non recte procedit, aut exantlato morbo sanguinis & humorum massa per remedia sanguinem depurantia aptamque virtus rationem, in convenientem temperiem & eucrasiam non redigitur. Hinc certe in praxi medica occurrit frequentissime, post variolas & morbillos a læsi pulmonibus pectoris morbos, ab affectis visceribus abdominis tumores & indurations cum alvi fluxibus, & a tumore glandularum mesaraicarum scierhofo atrophiam reliquarum partium concitari. Nihil autem est absurdius & periculosius, quam citra ullam indicationem medicinam exhibere emeticam, qua proh dolor! in nostro ægroto non modo alvi fluxus fuit proritatus, sed etiam impurum serum obgraviores spasmos ad cerebrum cum impe-

impetu propulsum primo nervi optici, dein quoque sublingualium paralysin effecit, quibus mors tandem supervenit. Ideo vero maxime hanc observationem allegare placuit, ut probe constet, quantam medicamenta imprudenter adhibita adferant noxam, & quam frequenter medici, quod dicere pudet, morborum imo mortis caussa existant.

OBSERVATIO V.

Aphoniam Vir octogenarius, habitu corporis ex insufficio predditus, ter minimum in anno, ut februario, junio & octobri mense sanguinem e vena tusa emittere solitus, vitam ab omni morbo egit immunem, viribusque & animi & corporis probe semper valuit. Hac vero æstate, cum regiones nostræ a fervidissimo solis æstu præter consuetudinem incalescerent, suasu alias medici consuetum illud evacuationis genus neglexit. Sed subito inde insultu correptus apoplectico, arteriis valde pulsantibus, oculis rubentibus totoque corpore æstuante omnem sensum una cum loquendi potentia amisit. Sub tali rerum statu ego consultus primo omnium venam in brachio aperiendam, ventrique clysteres emollientes injiciendos & balsamum vitæ nostrum, non post habitis aliis remedii, ori naribusque admovendum suasi. Quibus Dei auxilio id effecimus, ut mitigata morbi & symptomatum atrocia mente æger ad se redierit, præter quod hæfitantia linguae diutius permanerit, quam tam frequentioris cum vino, cui aliquot balsami nostri guttulae instillata erant, collutione felici eventu superavimus.

EPICRISIS.

Quam efficax atque egregium in plurimis senuum morbis & avertendis & abigendis remedium sit V. Stio, vel sola hæc observatio evincere potest. Neque deficit ratio: in ætate enim

Tom. IV. Pars IV.

provectioribus, maxime si firmo adhuc stomacho & integra appetentia gaudent, ob exercitationis defectum corporisque inertiam non tam facile, nt in juvenibus, superabundantis sanguinis consumitur copia: & si natura ab hoc onere minus sepe liberat, necesse utique est, ut arte subtrahatur, quod venæ incisione perficitur commodissime. Perperam igitur & male fundata inductus ratione sanguinem inter dies caniculares evacuare prohibuit medicus, quod tamen eo magis fuissest necessarium, cum ea tempestate sanguis nimis ob auctum expansionis & orgasmi gradum facile hinc inde in partibus nobilioribus subsistere & graves admodum inducere valet ægritudines. Nec dubitandum, quin in nostro casu a simili cruxis in capitis venis stagnatione levior ille apoplexiæ insultus cum sermonis difficultate originem duxerit; quo fine ego in curatione adornanda primo omnium venam in brachio tundendam cum præsentaneo ægri levamine commendavi. Dein vero clysteres emollientes ventri infundere & ad effræniorem sanguinis motum compescendum aliquot per intervalla pulveris nitrosi doles porrigitur jussi, subuncto simul infuso theiformi, ex herba melissæ, beton. cardui bened. floribus salviae & anthos composito, quod cum paucis olei macis guttulis sacharo infusis bibere æger debuit. Ceterum hac morbi historia confirmatur, nulli fere morbo quam apoplexiæ aphoniam sociari frequentius, adeo, ut etiam aliquod tempus post non raro remaneat & facilissime generetur, si a stagnante intra caput sanguine serum secedens poros cerebri penetrat & radices nervorum relaxando sensu motumque earum partium, ad quas nervi excurrunt, hebetat ac labefactat.

C A P U T VIII.

DE DELIRIO MELANCHO-
LICO ET MANIACO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Melan-
cholia
& ma-
nia gra-
du sanguini-
iles diffe-
runtur.

HAUD paucos fore arbitror, qui mirabuntur, me affectus, qui natura & symptomatibus plane dissimiles videntur, in uno capite pertransitandos sumissis & ad unam retulisse speciem. Attentiori vero usu & observatione discimus, utrumque morbum ex una eademque origine & causa continentem, videlicet nimio sanguinis ad imbecille cerebrum appulsum, suboriri & nisi gradu ac invasionis tempore variare, adeo ut melancholia pro morbo primario, mania vero pro ejus exacerbatione & effectu accidentaliter habeatur rectissime. Id quo etiam quam optimae Medicorum agnoverunt veteres. Hinc TRALLIANUS Lib. 1. cap. 16. nihil aliud esse maniam prodidit, quam melancholiam ad majorem gradum redactam, ut propter tam arctam connectionem facillime ex uno morbo in alterum fiat transitus. ARETÆUS Lib. 3. cap. 5. melancholiam maniae initium & originem esse, illamque incremento magis quam alia causa in furem prolabi perhibet. Quam conspirationem etiam quotidiana & attentior confirmat observatio, cum melancholici, praesertim si morbus inverteratus fuerit, perfacile in maniam incident, qua cessante melancholia rursus sese prodit, licet postea per certas periodos furor revertatur. Neque admodum diversa est ipsa medendi ratio: quicunque enim consilio & arte causam melancholiae propiorem vel levare vel tollere recte didicit medicus, ad maniam quoque vel avertendam vel sanandam admodum existit idoneus.

§. II.

Ante vero quam meditatio nostra in *Signa melan-*
cholia.

interiorem horum affectuum naturam, genesin & differentiam descendat, placet omnino, quibus phænomenis, symptomatibus ac notis tam melancholia quam mania sese prodat & diagnosticatur, ex veterum, maxime Græcorum monumentis proponere, eo quod hisce regionibus varia deliriorum species admodum olim fuerunt familiares. Nullus vero rectius & accuratius horum morborum descripsit historiam, ipso ARETÆO, qui Libr. 3. inter notas melancholicorum has ponit: quod tristes, abjecti torpentesque sint absque ratione, ingenti pavore trepidant, male sint animati, vigilent, solitudinem ament, in iram prout atque mutabiles sint, de minimis quibusque rationem querentes, nihil largientes, sed non ita multo post simplices & prodigi. Addit deinde, alvum plerumque aridam esse, jam nihil dejicere, jam vero sicca, rotunda atroque humore biliose circumfusa; urinam paucam reddi, acrem & biliosam, multum flatuosi spiritus in praecordiis esse, ruetus putridos, graveolentes ex ore ferri, nonnunquam & humidum quoddam acre cum bile rejeti, faciem impallescere, arteriarum motus parvos esse, pigros atque invalidos, & ægros in sumendo cibo esse avidissimos.

§. III.

Signa, quæ maniam indicant, idem *Signa mente-*

gravissimus Auctor ita describit: Ad iram excitati maniaci furore penitus insaniunt, quidam magnum spatium decurrunt, nonnulli vociferantur; alii ab hominum conspectu in solitudinem fugiunt & secum tantummodo versantur; alii sua membra dilacerant. In summo ægritudinis impetu variis secundum quietem vialis perturbantur, immoderate venereum concupiscunt & palam sine ullo aut pudore aut timore concubunt. Cum vero inclinatus est morbus, stupidi, quieti, mæstique sunt; in notitiam quoque morbi ve-

nientia.

nientes sua calamitate miseriaque tristantur. Et hæc sunt, quæ morbum aut præsentem aut declinantem continentur symptomata; paucis nunc, quæ in artis exercitio diligentius annotavimus signa maniam antecedentia nos suppeditabimus. Inter hæc vero præcipua sunt oculi rubentes sanguineaque suffusi, palpebrarum inconstans vibratio, mutati a solito mores, superbia vultu, voce & gestibus se prodens, stridor dentium, odium erga hunc vel illum singulare, somnus parvus, cephalalgia vehemens cum auditus excellentia auriumque tinnitu & sonitu musico: quo referri etiam meretur insigne illud, quo incremente morbo pollent maniaci, membrorum robur frigorisque tolerantia incredibilis, nec non in feminis collectio sanguinis in mammis.

§. IV.

Differet. Verum enim vero, cum hæc mania signa valde etiam communia sint delirio acuto, quod phrenitidis nomine venit, indicandum omnino est, in quo utriusque discrimen statuendum sit. Si quando igitur in acuta febre delirium est, vel in ejus vigore sequitur & levata febre mens reddit, phrenitis appellari solitum est. Neque id genus morbi aliud desiderat remedium, quam quod curandæ febri idoneum est. Quod si autem furor longius recipit spatium nullamque febrem junctam habet & ex statu melancholico emergit, maniam dicere affectum in scholis medicis usque eo receperunt. Neque silentio prætermittere oportet, dari adhuc infaniam seu desipientiam, quæ nec melancholia, nec mania aut phrenitidis nomine restat exprimatur, cuius generis est, quæ in homine etiam sano ab assumto narcotico, ut solano furioso seu ejus baccis, lolio temulento, hyoscyamo & ejus semine, datara, ut pluribus constat exemplis, excitatur; quæ tamen accommodata medicina adhibita brevi remittit penitus que tollitur.

§. V.

Ut vero propiores & proprias horum singulorum affectuum continentes causas, ad quæ tollendas unice vera mendendi dirigi debet methodus, eo accuratius diagnoscamus, e re omnino erit operæque pretium, ut, quæ in sectione eorum, qui his deliriis perierunt, inventa fuerunt, profèramus. Notatu vero digna est observatio, quæ in M.N.C. p.234. Dec. II. Ann. 6. de maniaco disseclo legitur his verbis: multas in cerebri basi ad instar retis complicatas vasorum carotidum & vertebralium ramifications observavimus: post exemptum cerebrum in pelvi reliæ seri cruentati propemodum sex unciz fluitabant: elevata deinde digitis in basi cerebri medulla oblongata & detectis ventriculis a latere sitis in conspectum venit plexus choroidæus prægrandis, ab utroque latere totam interiorem ventriculorum superficiem perceptans & ex multis insignibus vasis sanguiferis constans: ubique hic plexus vesiculis lividis pisiformibus referitus fuit, quæ lanceola apertæ serum gelatinolum fundebant. Sic quoque *Henricus ab HEER*, *Obs. 3. pag. 45.* de maniaci anatome hæc refert: inventum fuit cerebrum siccissimum, durum & in summa parte digitis friabile, flavedine citri æmula undiquaque ad altitudinem digiti tinctum; observatum circa ventriculos mollius & humidius, nervorum origines comparuerunt siccæ.

§. VI.

Singularis quoque debetur animadversio anatomiae phrenitici, quæ in M. N. C. *Dec. II. Ann IV. obs. 162.* habetur, ubi vesicula sellis bile picis liquidæ instar repleta inventa fuit & sinus falciformis massam polypiformem continebat: pia mater multis vasis turgida accurate a cerebro separari poterat, tunica longe erat crassior & amplioribus instructa vasis. Similis se mihi obtulit observatio ante triginta & ultra annos in studioso nobili extreme melancholico, qui delirio in statu va-

riolarum accidente moriebatur. In sectione musculi totius corporis valde densi, compacti & robusti nulla pinguedine obducti, (nam panniculo adiposo fere carebant,) conspiciebantur; vesicula fellis tota repleta erat bile crassa & instar picis nigerrima, quem atrum colorem etiam nunc in scriniis meis adservata exhibet: pancreas magnum, crassum & durum se sistebat. Vasa dura & piæ matris sanguine crasso turgida & in hac varicosa apparent, e sinu falciformi concretio sanguinis atri in polyposam substantiam concreti extrahebatur atque ventriculis cerebri livescens serum innatabat.

§. VII.

Definitio mentis melancholicae. Quibus recte & diligenter perspectis sedem & interiorem horum deliriorum causam jam clarius exponere atque ex his suppositis singulorum non nominalem sed realem exhibere definitionem, in proclivi est. Melancholia igitur est firmior cum mente alienata phantasia, certis objectis valide inherens, cum diurno animi angore, inquietudine, metu & tristitia sine ulla causa manifesta juncta, a valde difficiili sanguinis copiosus in cerebro congesti ac stagnantis per vasa ejus progressu oblongata. Mania vero est violenta insania cum temeritate & ingenti membrorum robore conjuncta, a vehementiori sanguinis crassi, copiosi & melancholici per cerebri vasa cum magno æstu transpressione proveniens. Phrenitis denique est insania cum febre, a statim sanguinis inflammatoria in vasis cerebri orta.

§. VIII.

Sedes deliriorum. Sedem igitur omnis delirii in cerebro esse, clarissime intelligitur, quam etiam ipse HIPPOCRATES libro de morbo sacro probe agnovit, hac parte, inquiens, *sapimus & intelligimus & videmus & audimus, & turpia & honesta cognoscimus, & hac ipsa etiam insanimus.* Nam cerebrum omnino est pars illa corporis nobilissima, in qua plane occulto & inperscrutabili

modo divina sapientia eminens & valde sublime mentis sive spiritus immortalis, neque minus ingenii, phantasie & memoriarum sensuumque extenuorum recondere voluit domicilium. Quamvis vero istius principii intelligentis & sensitivi natura & essentia, ex qua ejus effectus ac facultates profluunt, plane sit abstrusa & menti humanae incognita, id tamen per accuratam & attentam observationem dicerunt medici, quod pro diversa sanguinis natura, conditione & motu per cerebri vasa eminentes illæ facultates animæ tam rationalis quam sensitivæ mirifice varient, immutentur & pervertantur, adeoque morum, inclinationum & desideriorum differentia ex hoc fundamento explicari debeat. Id quod jam olim in dissertatione de temperamento fundamento morum & morborum fusius deduxi.

§. IX.

Quod itaque ad causas deliriorum proximas attinet & continentest, *Opiniones & veritas Medicorum.* quibus sanguinis circuitus ignoratus fuit, varias & plane alienas in medium produxerunt. Ita horum aliquarum bilem exundantem ejusque rapitum ad caput, nec non nimiam cerebri siccitatem; alii ex recentioribus spirituum animalium in melancholia naturam sicciam & aquæ stygiæ æmulam, in furore vero inflammabilem & sulphuream accusarunt indolem. Sed nostro jam tempore non modo corporis sed & animi morborum carcas longe rectius ex sanguinis conditione explicare novimus, a qua sententia nec vetustissimum Auctorem HIPPOCRATEM alienum fuisse ex libro deflat: intelligi potest, ubi scite dixit: *sanguis multus conservat ad prudentiam, ita ut haec permuteatur & opiniones peregrinae mentem occupent animumque percellant, si is conturbatus & perturbatus fuerit, & eodem loco sanguis si in constanti habitu conservabit, conservabit etiam prudentia, eo vero permutato hæc simul concidit.*

§. X.

§. X.

Anima functio Et certe constanti observatione & experientia habemus comprobatum , *omnes homines* illas , quæ animæ adscribuntur *unde de- pendeat* , functiones , ad quas sanæ rationis , ingenii & phantasie vires una cum inclinationibus referimus , secundum naturam & ordinem sele habere , si sanguis justa temperie & quantitate gaudens ad cerebrum delatus per ejus vasa placido , libero & æquabili fertur itinere , adeo ut hac ratione sensus etiam externi , nisi vitium in ipso organo sit , recto ordine succedant ; has omnes vero nobilissimas functiones & immutari & perverti , imminui vel penitus deficere , quando videlicet sanguis & humores a naturali temperie & quantitate deflectentes ad cerebrum devecti non æquabili & moderato , sed valde difficulti , tardo & impedito , aut nimis celeri & vehementi motu progredivintur .

§. XI.

Contra delirio sum proban- Quæ cum ita sint , a vero nos haud aberrabimus , si causam melancholici affectus continentem in sanguinis crassioris nimio ad imbecille & flaccidens cerebrum appulsa , stagnatione & difficillimo progressu ; furoris vero originem & fundamentum in sanguinis crassioris & melancholici vehementiori & impetuoso per cerebri vascula & fibrillas motu collocamus . Cujus assertio- nis veritatem ex infra dicendis , ubi convenientem causarum antecedentium & remotarum nexus monstrabimus , rectius dijudicare licebit .

§. XII.

Quipando sum proban- Qum vero jam supra satis clare & ad oculum per anatomen deliriis d. fun- etorum demonstratum dedimus , in variis corporibus dissectis non modo sanguinis motum per caput immutatum & plane perturbatum fuisse , dum vasa nimio sanguine infarcta & varicosa se præbuerunt , ut propter stagnationem serum extra vasorum alveos effusum in basi cerebri sat magna copia repertum sit ; verum etiam cerebri corticem & medullam sua texuta

laesam maleque affectam apparuisse ; nemo sane dubitare amplius poterit , & horum affectuum & mortis causam in hoc ipso præternaturali statu ponendam esse .

§. XIII.

His itaque constitutis , sequitur jam *Cause ut dispiciamus* , quænam ex reliquis mediate causarum generibus ad anomalum il- ^{funt i.)} cerebri lum & plane perversum sanguinis per debilitatem & cerebri vasa cursum symbo- ^{inficiuntur} ras , quæ lum suum conferant . Inter has pri- ^{animi patetas} mum locum peculiaris cerebri debili- ^{causa} ca deliriorum , obtinet , utpote si ne hac præcedente non tam facile adeo grave motus sanguinis vitium in hac parte exoriri potest . Et hæc quoque præcipua fuit ratio , quare varias has deliriorum species in hoc Tomo IV. nostræ medicinæ systematicæ , ubi de morbis atoniæ agitur , pertractandas constituerim . Ad illam vero ingignen- dam præcipue referendi sunt graves animi affectus , præsertim diuturnus moeror , tristitia , metus , animique angor ac terror , quorum magna est , sicut ad omnium partium , ita etiam cerebri robur debilitandum & vim va- forum systalticam imminuendam po- tentia . Ad quam classem etiam acrio- res mentis labores atque inopportunæ studiorum causa diutius protractæ lu- cubrations pertinent , quibus ob dissipatos spiritus sic dictos animales , sta- minum , quæ in cerebro & medulla ob- longata sunt , vis motrix & sensitiva mirum infringit . Et inde quoque intelligi potest quare litterati & qui- nimium meditationibus indulgent plus quam plebeii mentis alienationi- bus sint obnoxii .

§. XIV.

Deinde ex causis , quæ ad gravissi- *Amor nimius* ma disponunt deliria viresque animi ac corporis destruendo & vasorum , membranarum ac staminum cerebri tonum debilitando plurimum valent , multum sibi vendicat vefanus amor , de quo observationes legi possunt apud FOREST . lib . lo . obs . 29 . C . 30 . BAR .

BARTHOLINUM Cent. II. hist. 69.
ir. apud VALERIOLAM Lib. II.
obs. 7. Maximam tamen noxam infert
amor in feminis viri potentibus sed
nondum nuptis, qui a genitalis liquo-
ris, sub otiosa maxime & lauta vita
liberalius in glandulis vaginalibus se-
creti longiori mora & corruptione pro-
venit, quod testantur observations
quales exstant apud PLATERUM
Lib. I. prax. cap. 3. Gregor. HORST.
T. II. op. Lib. 2. Obs. 68. & EPHEM.
Obs. 126. Dec. II. Ann. 10. Cum enim
lege commercii, quod animæ cum cor-
pore ejusque fluidis & solidorum motu
intercedit, ex copiosius congesto &
stagnantes in organis spermaticis semi-
ne imagines & ideæ venereæ in phan-
tasia excitantur, sit omnino, ut phan-
tasia firmissime hisce ideis inhærente
usus rationis sèpius minuatur & inver-
tatur. Neque plane de nihilo est sta-
tuere, spirituolum seminale liquidum
mora corruptum per vasa lymphatica
redire ad sanguinem & quasi ex con-
symbolismo fluidum illud, quod in
sanguine, cerebro & nervis motibus
& sensibus præst, contaminare, ut
hac ratione ingens virium oriatur de-
iectio.

§. XV.

Porro observations testantur medi-
minis ^{nimia se-}ca, a nimia seminis tam voluntaria,
profusio. Quam involuntaria profusione morbi
tum melancholici tum maniaci proflui-
xisse originem. Ita Henricus ab HEER
obs. 60. exemplum sexagenarii produ-
cit, qui a nimia seminis sub diebus ca-
niularibus profusione melancholicus
redditus est, & FORESTUS in Obs.
lib. 10. obs. 25. juvenem quandam me-
lancholicum media æstate juvenculam
uxorem ducentem & ex effreni veneris
usu in furorem coactum fuisse refert.
Nam nihil notius est, quam quod se-
men delibatissima & agilissima sanguini-
nis pars sit eandemque fere indolem
cum fluido nervorum habeat; unde
etiam fieri observamus, ut ab immo-
dica seminis profusione & sensuum fun-
ctiones & ingenii vires mirum debili-

tentur, imo etiam alii, qui ex cere-
bri vitio nascuntur, morbi progi-
gnantur.

§. XVI.

Multum quoque nosse refert, deli- ^{baretis.}
ria quæ diutius protrahuntur, certis ^{aralia di-}
familias admodum esse solennia, adeo- ^{spositio.}
que ad morbos hæreditarios, qui a pa-
rentibus ad liberos transferuntur, ju-
stissime referri. Quorum morborum,
ut ego quidem arbitror, vix alia subest
causa, quam quod morbida & invalida
da partium solidarum & motricium
natura ac textura per nativitatem pro-
pagetur, maxime si generationis tem-
pore his affectibus parentes correpti
fuerint.

§. XVII.

Nihil vero tam celeriter & inopina-
to, etiam sine ulla alia causa præce-
dente, sanum ceteroquin hominem in
dementiam præcipitare potest, quam
narcoticum sive stupefactivum, inscien-
ter adsumptum. Hinc res per experien-
tiā satis nota est, quod a semine da-
turæ, hyoscyami, a baccis belladonæ
&c. brevi tempore perfecta amentia
induci possit. Si quis vero paulo cu-
riosior fuerit in nocentissima horum
energia inquirenda, consulat observa-
tiones de his paulo diligentius conscri-
ptas, quales reperiet in M. N. C. Dec.
III. Ann. III. obs. 70. WILLISIO de
anim. brut. Cap. 12. p. 2. MATTHIOL.
in Diosc. p. 756. 988. LOBELLO in
novis stirpium adversariis, ROBEL-
LO Cent. IV. obs. 45. HELMONTIO
lib. demens idea. Neque exercitatio-
ribus medicis ignotum est, eas medici-
nas, quæ opium habent, in delirio
improvide datas illud magis intendere
& contumacius reddere, tantum abest,
ut componant, aut levamen afferant.
Cujus plane peculiaris effectus ratio-
nem inventire non adeo obscurum est,
si consideramus, hæc ipsa remedia sul-
phure quodam abundare valde vaporoso,
naturæ adverso atque graveolente,
quod calore resolutum in corpore in
exhalationes explicatur, quæ minimis
cerebri & nervorum poris profundius
in si-

insinuatæ fluidi ibi purissimi vim motricem & fibrillarum nervearum elatorem labefactant, adeo ut omnium sensuum & motuum notabilis fiat defectio atque inversio.

§. XVIII.

prægressi- Ad destruendum cerebri vasorum & *pi morbi-* staminum naturalem tonum ac tensionem multum quoque prægressi morbi, præsertim acutæ febres faciunt. Hinc quid observatione frequentius est, quam quod post febres ardentes, præsertim diutius protractas, post febrem sic dictam Hungaricam, synocham putridam, cholericam seu causum, interdum quoque post variolosam, phrenitides & ex hisce demum chronicas deliriorum species proficiunt. Cujus effectus ratio ex facilis inde potest repeti, quod sub tanto febrili astu, qui plerumque cum assida vigilia coniunctus est, nerveum fluidum, quod tam sensibus quam motibus perficiendis speciatim dicatum est, dissipetur. Læditur quoque exinde non parum ipsius cerebri fibrosa textura & structura, ut deinde nec secretio liquidi animalis rite perfici possit.

§. XIX.

Ebrægas Ultimo loco, ad cerebri imbecillitatem & fluidi nervi vitiatam indolem immodicus spirituorum potulentorum abusus & inde profecta ebrietas multum momenti adfert, quare etiam non minus eleganter quam vere ebrietas a SENECA epist. 83. dicitur insania, vinolentiam, inquit, crudelitas sequitur, violatur enim exasperaturus que exinde sanitas mentis.

§. XX.

2) San- Ordine jam accedimus ad eas causas *tinatis* inquirendas, quibus tanguinis motus *longeßio* ex partibus inferioribus impetuosi *ad ea-* per, quod ad caput urgetur, inter quas nihil omni- *produc-* nino, quod tam subito melancholiam *sunt sira-* in maniam convertere, aut silentem refuscitare paroxysmum valeret, reperimus, quam vehementem iram, qua majorem in maniacis causam vix ullam esse jam olim GALENUS lib. 6. aph. 23. reputavit, præsertim si vana

superbitæ opinio & fastus, odium & vindictæ cupiditas jungantur. Equidem melancholici natura ad iram concipiendam difficiles sunt; qua tamen ubi semel data occasione accensi sunt, tam efforato furiunt impetu, ut nisi ægrius componi possint. Nocet vero ideo maxime melancholicis ira, quia sanguis eorum crassior atque compacter in vehementissimum adactus motum subtilem teneraque cerebri texturam graviter lädit, nec tam facile fisti cursu suo potest.

§. XXI.

Hunc censem quoque subit frigus *externū* *frigus.* externo corpori, maximeque inferioribus ejus partibus improvide admissum. Cui quantum debeatur in affectibus nostris suscitandis testari videntur ipsi melancholicorum paroxysmi & exacerbatae invasiones, quas nunquam fere non horripilatione & frigoris sensu in externis partibus prægresso suboriri conspicimus. Nec adeo difficile erit, ex accuratori horum pensatione sævissimorum symptomatum, quorum luxurians in melancholicis progenies est, rationalem suggerere etiologiam: Quodsi enim sub tali horrore frigorisque sensatione extremus corporis habitus spasmo quasi constringitur, sanguis propter angustiora spatia minoresque vias majori ad interiora vi & impetu fertur, abhinc vero in vasibus majoribus, maximeque pulmonibus, corde & cerebro subsistens pro horum locorum varietate varias creat molestias. Ita circa præcordia anxieties oppressivas, suspiciosos anhelitus, cordis tremorem ac palpitationem, in capite vertiginem & gravitatem, oculorum ferociam, longas vigilias viaque & uni rei infixa insert phantasmatum.

§. XXII.

Neque minus referri huc merentur excretionum sanguinearum tam naturalium quam artificialium in utroque genitrix imminutiones aut suppressiones; quare ab omissa in plethoricis, qua antea consueta fuit, venæ sectione pariter

pariter ac ab irregulari hæmorrhoidum vel mensum successu, vel his imprudenter cohibitis, aut narium hæmorrhagia improvide sedata melancholiā originem repetuisse certa experientiæ fide constat. Nec dissimili ratione res sese habet, si quando post exantlatos partus labores parcior succedit vel plane supprimitur lochiorum fluxus, vel etiam si circa pubertatis annos menses difficilis erumpunt. Exinde enim saepius & melancholiā & maniam subortam confirmant observationes, quarum innumeræ a probatissimis auctoribus proditæ leguntur. Ita HIPPOCRATES, diutina edoctus experientia lib. de superfæt. Tom. I. cap. 24. scribit: ordinaria sanguinis evacuatio intercepta furere facit. FORESTUS lib. 10. obs. 23. & 24. item BINNINGERUS Cent. I. obs. 37. a mensibus suppressis maniam ortam adnotarunt & Zactus LUSITANUS lib. I. prax. admirand. obs. 37. & 57. post hæmorrhoidum suppressionem melancholiā & maniam secutam retulit. Siquidem a sanguine stagnante & copiosius circa intestina congesto horum tunicae nervæ compressæ ad spasticos stimulantur motus, quorum vi sanguis congestus per metastasis ad superiora, maxime que ad caput transprimitur. De quo inverso sanguinis redundantis motu elegans apud HIPPOCRATEM lib. de virgin. morb. extat locus, qui dignus est ut hic transcribatur: *Virgines nubiles & mature viro delirinæ, ut demones quosdam videre se putent, magis patiuntur, una cum mensum descensu, antea non valde hinc afflæ. Postea enim sanguis in uterum confluit velut effluxurus: cum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit propter cibos & corporis augmentum, tum sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor & ad septum transversum. Cum igitur hæc repleta fuerint, cor satuum fit, deinde ex satiitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit.*

§. XXIII.

Ex quibus jam dictis & adductis facile reddi poterit ratio, quare & mali hysterici & hypochondriaci melancho- lia frequentissimum sit symptom. Res enim in theoria medica per vulgata & satis perfecta est, ex atonia viscera & impeditiori sanguinis crassioris ac copiosioris per hæc transitu spasmos & status in abdōmine progigni, a quibus tanquam ex fonte omnia illa, quæ hypochondriacis & hysterics obveniunt pathemata profluent & derivari possunt.

§. XXIV.

Hic expositis respiciendum erit ad ea, quæ ad sanguinis crassioris genesis & stagnationem in partibus multum conferre valent, inter quæ primo loco conseruantur, otium & vitam laboris expertem ponendam esse arbitramur, quæ tam ad dantingnendum morbum hypochondria-co-hystericum, quam ad subsequens inde delirium plurimum omnino valet. Sicut enim conveniens corporis exercitatio egregium solidis partibus robur addit, humoresque fluxiliores reddit & vegetiorem eorum circuitum promovet; ita ex hujus defectu vires corporis cum omnibus suis functionibus labefactari, salutares & naturæ solennes excretiones imminui, humores subsistere ac mora crassiores ac lentiores fieri quotidiana observatione deprehendimus. Quæ omnia longe graviora fiunt, si jungitur solitudo & homines ab omni conversatione remoti vivunt in se quasi conversi; tum enim variæ menti inanæ & minus jucundæ imagines fallæque ideæ, cum quibus ægre colluctandum est, sustentur.

§. XXV.

Neque ex causis remotioribus esculentæ & potulenta excludenda sunt. Quodsi enim ob excessivam aciditatem in ventriculo progeniem homines voraces sunt, nimium adeptunt, aut crassioris texturæ cibos, induratos minusque solubiles & flatulentos adsumunt, nec tamen sufficienti potu utuntur, crudiores inde compatioreisque humores, qui

qui materiam & pabulum nostris præbent affectibus, ingenerantur; a quibus in fanguinem adductis stamina & fibræ carneæ rigidiiores, duriores & ad motum exercendum minus promptæ sunt & idoneæ.

§. XXVI.

Quae sit Illud præterea ex meis obfervationibus ad naturam melancholicorum & maniacorum explicandam adjiciendum putavi, quod illorum sanguis enim est vena emissus calidior & ater obfervatur, qualem etiam ETTMULLE-RWS in colleg. Praet. p. 993, invenit & LINDANUS adnotavit, dein quod tardius & parcus serum deponat atque in lance ponderatus gravior sit, lentius evaporet & plus crassi magnatis, quam serum sanorum relinquit. Fæces alvi quod attinet, haec plerumque parciores ac duriores, coloris ex rufo obscurioris, quandoque etiam grysei, urinæ vero, quæ sub accessione min- guntur, tenuiores ac leviores obser- vantur.

§. XXVII.

Subiecta delitio- Quod attinet subiecta hisce mentis affectibus præ aliis obnoxia, notari me- retur, homines non modo tardos, stupidos & obliviosos, sed sapientius quoque valde ingeniosos, poetas, philo- sophos, & qui profundioribus mathe- seos & algebrae studiis nimium dele- stantur, melancholico affectu corripi. Contra vero per experientiam liqui- dum est, eos, qui temperamenti mel- ancholico-cholerici habituque corpo- ris macilento prædicti sunt, strictiores ac tensiores fibras cum celeriori arte- riæ pulsu obtinent, nec non qui promto in iram animo quotidiana sere domesticorum altercatione, præsertim inter cibum, facile fortiterque com- moventur, in furorem prouiores exi- stere. Neque tamen prorsus excluden- di sunt natura languidi, debiles ani- moque timidi & humidiori ac laxiori carne instruti, quod vel exinde clau- rius apparere arbitror, quum virgi- nes & mulieres, maxime si menstruæ aut in puerperio lochialis excretionis

vicio laborant, morbis cum mentis alienatione junctis valde videamus expositas. Nec denique sanguineos, ut perite monet HIPPOCRATES lib. 2. epid. 6. Sect. 3. & GALENUS lib. 3. de locis affectis cap. 6. a me- lancholico & hypochondriaco malo immunes esse, itidem attenta con- firmatur experientia.

§. XXVIII.

At vero, quum ad specialem *Trognos-* mentis morborum indolem ac ge- *sis deli-* nium rite dignoscendum & abhinc*ii acau-* judicium de ipsorum eventu & cu- *sa mon-* ratione recte formandum multum omnino faciat, valde diversas, quæ se offerunt, circumstantias probe cognitas perspectasque habere; con- siderandum maxime omnium erit, num morbus a causa magis morali sive animæ, quam physica sive cor- poris vitio suam repeatat originem, atque fomentum. Nihil enim in artis exercitio occurrit frequentius, quam ut primam morbi causam scrutantibus nobis referatur, celer- rimas & subitanæs animi commo- tiones, iram, terrorem, diuturnum mœorem & angorem, vel etiam vesanum amorem occasionem malo- & primam originem subministrasse. Quibus si cerebri & internorum sensuum a parentibus accepta imbecil- litas, vel notabile in diæta vitium, ut ebrietas, multa corporis refrige- ratio, aut immodicus veneris usus accesserint, non novum certe & in- solitum est, homines ceteroquin sa- nos & vegetos, nullo manifesto morbi chronicæ indicio apparente, in ejusmodi mentis morbos illabi, illapsos difficulter admodum, & ni- si lento gradu ex iis emergere. Quod enim si incidit, morbum magis idiopathicum & essentialiem ef- fe adeoque ipsum mentis domici- lium insigni labore affici pro certo habendum est.

§. XXIX.

§. XXIX.

Sympto- Verum melior convalescentiae spes
matis appareat , si delirium melancholicum
ex male kypostic est symptomaticum & affectionem in
dr. vel viris hypochondriacam , in feminis hy-
poteric stericam comitatur , quod cognoscere
licet , ubi spasmis , flatibus , borbo-
rygmis & ructibus prima infestatur re-
gio , diaphragmatis cum anxietate fit
compressio , alvi adest durities & mo-
lestæ hypochondriorum cum renisu di-
stensiones urgent ; quibus haud raro
lancinantes capitis dolores , vertigines ,
aurium susurrus cum multis vigiliis jungi solent . Eadem facilitoris fa-
nationis spes est , si ex intermittente
febre perperam curata , aut suppresso
mensium , lochiorum vel hæmorrhoidum
fluxu , aut suppresso mensium ,
lochiorum vel hæmorrhoidum fluxu ,
aut etiam a sumto narcoticæ insania sua
fortitur incunabula ; hæc enim , con-
venienti medicina adhibita & excretionibus illis naturalibus iterum revo-
catis , egregie mitigatur aut prorsus
depellitur .

§. XXX.

Differ- Præterea , sicut omnes cerebri ac
entia spirituum morbi suos habent gradus
prognos vel remissiores vel intensiores suasque
siratio servant periodos , quibus per interval-
ne graduum , la redeunt ; ita pariter in singulis amen-
tia speciebus hoc animadvertere licet .
Quando igitur leviores sunt accessio-
nes & incipientes , non adeo difficile
in curando est negotium ; quo diutius
vero inhærent & altiores egerunt radices ,
eo esse pertinaciores & curatu dif-
ficiliores , imo , si parum habent re-
missionis , prope insanabiles , certissi-
mum est . Temporis enim diurnitate
ipsa mentis & liquidi nervi sedes , ce-
rebrum structura tertaque sua ita in-
vertitur , ut nisi summo artificio repa-
retur . Quo vero tam rara delirantibus
Ratio contingat curatio hanc subesse puto ra-
difficilis curationem , quod maniaci Medicos ple-
nus , rumque respunt & ipsa medicamenta
vano veneni metu aversantur , melan-
cholici autem , & præsertim hypochondriaci medicamentis nimium in-

dulgendo nova quotidie a Medicis ,
quos sapissime mutant , adsumunt
adeoque in pejus res suas ipsi conver-
tunt . Pessimum porro , quod austio-
rem & desperatum maniæ gradum in-
dicat , signum est , quando maniaci
post profundiorem somnum jugiter deli-
rant , nec validiorum remediorum ,
ut purgantium & emeticorum , nec in-
tensioris frigoris vim sentiunt . Et si
tandem plenaria virium ex somni defe-
stu & longo jejunio fit fatiscentia ,
vel , si epileptici , convulsivi aut soporo-
si affectus superveniunt , mortem
ante portas esse cendum est .

§. XXXI.

Deinde non ignorata perito Medico *Prognos*
erit hæc peculiaris mentis morborum *fis* *diffi-*
*ndo*les & ab aliis differentia , quod *ill* *reci-*
longo *interdum* *spatio* *plane* *fileant* &
intermittant , ita prorsus , ut homines
perfecte sani mentisq ; compotes inter-
ea habeantur ; certis vero temporum
periodis , maxime circa solstitia &
æquinoctia , sub quibus exorti fuerunt ,
revertantur . Quodsi vero talis morbi
genius est , neutquam de salute despe-
randum est , si modo Medicus malum
radicatus ex stirpare satagat & ipse aeger
observanda probe observet . Audia-
mus de hoc acutissimum ARETÆI judi-
cium , quod lib . 3. his verbis expre-
sum legitur : *furor* & *intermitit* & *di-*
ligenti *curatione* *radicatus* *evellitur* ,
sed *intermissio* *non* *sincera* *est* , *quando*
per *se* *furor* *desinit* , *cum* *non* *congruen-*
ter *aut* *medela* , *aut* *temporis anni cle-*
mentia *curatur* . Nonnullos namque qui
penitus soluti morbo videbantur , aut
veris tempus , aut error in vicin , aut
ira casu aliquo proutata denuo ad furo-
rem revocavit .

§. XXXII.

Singularem deinde meretur ani-
madversionem , quod natura apud *Maniaci*
maniacos interdum optime suas tum *aro* *alii*
naturales tum vitales observet functio-
nes , ut ideo nonnisi raro alio corri-
piantur morbo , utut plurimæ ad mor-
bos disponentes externæ causæ non de-
ficiant . Inde quoque delirantes non
facile

facile epidemice graffantibus morbis sunt obnoxii. Neque desunt exempla eorum, qui sub gravibus his mentis affectibus ad septuaginta & plures annos vitam produxerunt.

§. XXXIII.

*Solutio
delirio-
rum.* Fit nonnunquam, ut solius naturae bene valentis beneficio sine ulla remediorum ac medicorum ope dictorum mentis morborum, per criticas sanguinis sive per nares sive uterus, sive anum excretiones, salutaris fiat solutio; quæ eo certior evenit, si ab illarum suppressione originem malum duxerit, rectissime id observante HIPPOCRATE, qui *Sect. 6. aph. 21.* hæmorrhoides & varices insaniam solvere, perite prodidit. Nec mihi ignota sunt exempla, ubi nonnulli gravi melancholia hypochondriaca in juventute affecti proiectiore ætate hæmorrhoidum fluxu accidente immunes manserunt. Ex quo etiam fit, ut alvi fluxus & dysenteria hisce morbis sæpe finem faciant, verissimo teste HIPPOCRATE *Sect. 7. aph. 3.* Quod ego pariter mea ipsius experientia confirmare possum, quum pronuper in juvene ex terrore in stuporem mentis delapsa maniam subortam in diarrhoeam feliciter terminatam viderim. Præter hæc digna est, quæ probe teneatur, observatione ab eodem HIPPOCRATE *Sect. 5. aph. 65.* proposita: *quibus tumores in ulceribus apparent, non insaniunt;* his autem deveniente dissipatis *insania* fuit. Cujus insignem fidem faciunt alia historiæ, quæ scabie & pustulis in cutis subortis melancholiæ decrevisse memorant. Ita puellam maniacam per ulcera in crure orta curatam refert FORESTUS *lib. 10. obs. 24.* sicut e contrario ab occluso ulcere melancoliæ coepisse auctor est *Amatus LUSITANUS Cent. 2. obs. 47.*

CURATIO.

§. I.

QUOD ad rectam & securam mendendi methodum attinet, hæc ^{Indicas} sicut unice causis morborum tum ^{causes} avertendis tum removendis debet esse ^{curato-} subnixa, quum ex causis cognitis indications curatoria & accommodata defumi debeat remedia: ita vix alia via in percurandis mentis affectibus procedendum esse censemus. Jam vero satis evidenter in superioribus demonstratum dedimus, causam deliri tam timidi, quam furibundi proximam & continentem in impetuoso sanguinis & humorum ad imbecille caput motu eorumque vel difficiliore, vel nimis accelerato per vasa cerebri transitu, quem presso pede variii turbatæ phantasie effectus subsequuntur, ponendam esse; quare curationis scopi, qui tum ad præcavendos tum amolendos hos morbos faciunt, præcipui habendi sunt, ut 1.) sanguis in cerebro nimia copia congestus abhinc ad inferiora deriveretur æquabilisque ac liber ejus per caput & universum corpus progressus procuretur 2.) ut causæ materiales & occasioales, quæ naturalem sanguinis temperiem pervertunt ejusque metastasis seu palindromen efficiunt, removeantur & consuetæ, naturales & salutares excretiones in ordinem redigantur, 3.) ut cerebri vasis ac membranis vis naturalis systatica, quæ nimis dejecta est, restituatur.

§. II.

Ante vero quam intentionem hanc feliciter & cum laude exsequamur ^{Veterum} monendum esse duco, antiquissimos ^{optima} artis nostræ antistites, maximeque ^{rem co-} Græcos in affectibus hisce tam recte ^{gatio} dignoscendis quam persanandis nostri ^{curas} temporis Medicis longe esse præferendos, eo quod non modo ex tanta deliriorum in suis regionibus ubertate & frequentia majorem sibi experientiam adqui-

adquirere, sed ipsorum quoque remedium vires ac virtutes melius explorare potuerint. Id quod vel solus suo confirmat exemplo HIPPOCRATES. Hic enim primum lib. de insania veram deliriorum causam ita delineat: postquam, inquit, cerebrum drepente calefactum fuit, sanguine in venis effervescente, insomnia vident horrenda & facies flammescit, oculi rubescunt & mens aliquid mali operari cogitat. Cum autem sanguis rufus ad venas dispersus fuerit, quiete sit. Quibus perite dictis dein præstantissima subnectit præsidia, dum in eodem lib. V. Snam, aquæ potum, & veratri potionem &c. plurimum commendat. Nec ab hac simplicissima medendi methodo discedunt reliqui veteres medicina scriptores. Quidli enim monumenta ipsorum curatius evolvendo deliriis medendi rationem inquirimus, simplicissimis certe remedii, ut sunt venarum sectio, balnea ex aqua dulci parata, aquæ puræ & mineralium fontium potus, lac & ejus serum, evacuationes tum leniores, tum pro circumstantiarum ratione validiores, ad fecales istos affectus debellandos summo cum fructu eos frequentissime usos fuisse comprehendimus.

§. III.

*Quid de
V. Sna
Nature
ritur ve
series.* Ex universa vero remediiorum classe nullum est, quod ab antiquis ad sedandas hos perniciaces capitis morbos magis celebratum ac laudatum est, quam venarum sectio, de cuius utilitate & administratione elegans exstat locus apud TRALLIANUM lib. I. cap. 16. qui dignus est, ut commemoretur: melancholia, inquit, ex copia sanguinis fit, si habitus corporis tenuis, atatus vigor, si hemorrhoidum vel mensium suppressio, si facies multo quam antea rubicundior est veneque magis turgescunt, tunc ante omnem aliam curationem sine cunctatione sanguis mittendus est & venæ sectio, si vires robustæ sunt, satis generosa. Si vero vires tales non tolerant, necesse est bis ant sepius paulatim educere. Si vero hu-

mor sanguineus cerebro quasi impactus sit, tunc audacter venam in fronte secabis. Sed cedro dignam & apprime utilem addit cautionem, ne ante convenientem corporis vacuationem id fiat: nam, ait, si circa caput aliquid moliri cogites prius quam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis quam juvabis copiosorem materiam ad partem affectâ attrahendo.

§. IV.

Est quoque dein ex Græcis ARETÆUS, qui V. Snam summum in curanda melancholia remedium, inter offensas ^{Quod} _{interius} positis valde utilibus cautelis, ita de-^{offensas} predicit: Si crassus, biliosus & ater est sanguis, vena utique secunda est; verum non eodem die sed aliis diebus repetendo, quantum satis est sanguinis detrahatur: eodem vero die modum sanguinis mittendi vires desclarabunt: medio tempore corpus, quo aliam evacuationem sustinere valeat, liberalius nutritatur: si sunt graciles & sanguinis inopes, paulum sanguinis mittendum, quatenus videlicet V. Snam vites sentiant, sed nullam noxam earum tenor accipiat: quocirca, si plus, quam decet, sanguinis effuderis, natura cibi penuria de propria sede dilabitur, hoc est, labefactatur. Neque aliud remedii genus ad pessimos animi morbos vincendos opportunius magisque necessarium existimat CÆLIUS AURELIANUS lib. I. cap. 5. ubi præter phlebotomiam maxime omnium simul scarificationem cum hirudinum adpositione commendat his verbis: cum statu passionis apparuerit, detonso capite atque raso cucurbitam infligimus, adjuncta scarificatione. GALENUS quoque V. Snam in ea melancholia specie prescribit, qua sedem in venis habet & universum corporis habitum occupat, cum e contrario Arabes in ea curanda particulares sanguinis per venas jugulares, frontis, temporum, evacuationes præ reliquis laudant, vel cucurbitulas cum scarificatione humeris applicant, vel etiam hemorrhoides hirudinibus referant.

§. V.

§. V.

*Natura
de VSne
senten-
tia &
admoni-
tio.* Hanc methodum sequuti superioris seculi excellentissimi Medici FERNE- LIUS, RIVERIUS, MERCURIA- LIS, GORNIUS, SYLVATICUS, Joann. FOATIS, BALLONIUS, idem remedium tum ad avertendos tuin ad sanandos hos morbos efficacissimum omnibusque aliis longe anteponendum esse uno ore confirmant. Et profecto, si meam hoc loco inteponere licet experientiam, inter præstantissima hisce morbis accommodata auxilia jure meritoq; habendam esse sanguinis missionem censeo, hac tamen observata cautela, ut, si sanguinis crassi & grumosi adsit redundantia, primo vena in pede, dein, interjectis aliquot diebus in brachio, tum in capite, vel in collo vena jugularis provide fecetur, aut stylo stramineo naribus intruso sanguinis proritur profluvium. Tandem etiam venam in fronte in hoc modo pertundere expedit, ut collo prius deligato faciei venæ inflentur & dein lancetta non adeo acuta, ne pericranium laceratur, sed obtusa, incisio fiat.

§. VI.

*Balneo-
rum a
miseri-
bus com-
menda-
tio.* At vero sunt adhuc alia, quæ tam in affectu melancholico, quam maniaco ob singularem, quam præstant opem a veteribus summe commendantur remedia, quæ inter præcipue eminent balnea; quo nomine non modo universalia, ubi corpus totum, vel ad præcordia tantum in aquam tepidam immittitur, verum etiam particularia, ut semicupia & pediluvia debent intelligi. Videamus igitur, quid veteres de hoc remedii genere in scriptis suis prodiderint. Primo vero omnium Alex. TRALLIANUS lib. I. p. 117. eximias ipsi laudes in melancholia tribuit: *Dulcium inquit, balneorum usus, si quid aliud, melancholicis optimatur.* Sed agri in balneo morentur diutius ac in calidam descendere cogantur, omnino etiam si astas fuerit in eo diutius desideant. Pari ratione ARE- TÆUS lib. 7. p. m. 134. melancholicos in aquis sponte calidis læpe commorari Tom. IV. Pars IV.

jubet: *Rare enim, ait, & molles carnes ad ægritudinis remissionem maxime faciunt. Nam siccæ & tensæ melancholia laborantibus carnes sunt.* Ex Methodicis quoque est Prosp. ALPINUS, qui melancholicos tepidis balneis tum in universum corpus, tum præcipue supra capitis futuram stillantibus perfecte sanatos memorat. Vid. lib. de Med. Aegypt. p. 115. Haud dissimili ratione ad maniam ledandam veteres balnea præscriperunt, uti factum fuisse videmus a Cælio AURELIANO, qui usum aquarum naturarium, ut sunt nitroæ, maniacis summopere suadet, idque eo magis, si odoris non tetri fuerint, quo capitis membranæ quatiantur. Quod itidem exemplo suo comprobat GALENUS, qui lib. suo de locis affect. cap. 9. solo usu balnei ex aqua tepida parati plurimos se melancholicos & maniacos persanasse gloriatur.

§. VII.

Quod vero etiamnum balnea ob egregiam virtutem suam maximam mereantur commendationem, facile quisque agnoscere poterit, si ipsorum operandi modum accuratius paulo considerare velit, qui in eo consistit. Insanæ, quæ atrabilarios per intervalla invadit, accessio vix ob aliam contingit rationem, quam quod per vehementiorem partium fibroso nervarum in extremis & infimis partibus constrictiōem sanguis ad superiora cum impetu feratur; unde etiam suo jam tempore HIPPOCRATES Sect. I. aph. 56. in atrabilariis morbis periculosis humorum a loco ad locum decubitus esse prodidit, qui vel paralyſin, vel convulsiones, vel insaniam portenderent. Jam vero, quem aquæ moderate calidæ duras ac strictas partes, præsertim in inferioribus locis emolliendo ac relaxando impetum sanguinis ad caput non modo imminuant atque avertunt, verum etiam vasa ampliora reddendo humorum decubitum a capite inferiora versus deducunt, ut dein, libero æquabilique humorum

*Opera:
tionalis
ratio.*

circitu tum per universum corpus , tum quoque ad extimas ejus partes revocato , corpus perspirabile fiat ; dubitare haud licet , quin in tali casu a balneorum usu multum sperandum sit auxiliu .

§. VIII.

*Tepa-
randi
morbos-
dus.* Quod ad rectam & optimam balnea preparandi methodum attinet , ex di- catis facile poterit intelligi , aquas le- viores ac subtiliores , quibus pluviales & fluviales annumeramus , ad præfixum scopum rite obtinendum , aquis fontanis & durioribus longe esse me- liores . Et in eo quoque ratio videtur posita , quare thermæ minerales , quæ præter tenuoris indolis aquam sal subtile alcalinum minerale in sinu sovent , quales sunt Emsenses & Teunacenses , tam interno , quam externo usu ad hos capitis morbos tollendos cereris omnibus longe efficaciores deprehendantur . Quodsi vero leviores ejusmodi aquæ pro balneis haberi nequeunt , fontana ac duriores decoctione cum tritico & ejus furfuribus , hordeo , malva , se- mine lini , & radice altheæ &c. saccu- lo inclusis sunt corrigenda . Nonnulli etiam eodem fine lac admiscent , vel de cineribus clavellatis , quantum suf- ficit , adjiciunt .

§. IX.

*Virtus
angustus
agrefri-
serio
gide p
plicatio
ne ad
sapat.* Balnea ita præparata ne nimis calida sed tepida tantum modo adhibeantur , agrefri serio monemus . Horum vero ad hos morbos vincendos energia ut eo certior meliorque reddatur & sanguinis in ve- nis cerebri stagnantis derivatio longe auspicatior succedat , opus esse pura- mus , ut ægri in balneo desidentis ca- put aqua frigida perfundatur , vel pan- nus frigida madidus capiti imponatur . Quam encheiresin nec ignorantam fuisse CELSO ex cap. 18. lib. 6. advertere li- cet , ubi super caput aquæ frigidæ in- fusionem , demisso corpore in balneum & oleum , suadet . Et lib. I. cap. 4. ita perhibet : nil aque prodeat ad caput in- firmum roborandum , atque aqua frigi- da , qua diutius caput quam cetera par- tes perfundendum , vel eti i largo ca-

nali quotidie aliquamdiu subjiciendum est . Idem quoque sentire ARE- TÆUM ex lib. ejus de morb. chron. p. 82. constat , ubi , si ægri maxime insan- niunt , caput humore frigido irrigare jubet . Neque effectus hujus plane sin- gularis ratio altius erit repetenda ; quandoquidem ea frigoris est vis atque potentia , ut ad cerebri membranas & vas a flagnante sanguine nimis dilatata & debilitata penetrando ea constrictio- ne roboret , ut inde humorum ibi sub- sistentium melior discussio liberiusque iter promoveri possit .

§. X.

Dimissis balneis ad alia præsidiorum genera progredimur , inter quæ non infimum sibi locum vendicant ipsa pur- purgantia , quæ a veteribus non minus quam recentioribus ad abigendos men- tis morbos magni semper habita fuerunt . Quorum tamen operatio quum non eadem sed valde diversa fit , dum alia mitiora alia fortiora existunt ; in- dicandum omnino erit , quænam ex horum nimis ampla classe nostris indica- tionibus tum ad maniam tum mel- ancholiacum curandam satisfaciant . In eo vero periti Medici quam maxime consentiunt , quod leniora & mitiora alvum ducentia , in quorum selectu sunt manna , cassia , rhabarbarum , agaricus , folia sennæ , polypodium , tremor tartari , tartarus vitriolatus , salia aquarum mineralium neutra sub variis formis usurpata in affectu mania- co & melancholico præfertim qui ab affectione hypochondriaca & stagnatione sanguinis in intestinis & venæ portæ rami ortum traxit , sint omnibus aliis , etiam acrieribus propter securum , pla- cidum minusque tumultuarium ope- randi modum longe multumque præfe- renda , idque eo magis , si in decocto vel infuso sumta non simul & semel sed iteratis vicibus & per epicrasin operan- tur .

§. XI.

*De pura
veterum
monumenta
evolvimus , ex veterum
fortiori.
purgantibus elleborum tam album
quam glutinum*

quam nigrum ceu summum specificum ad utrumque affectum debellandum commendant, cum tamen hic subtilissimæ, imo virulentæ acrimonie sit particeps. Ita HIPPOCRATES lib. de insomniis ad præcavendam infaniam veratro purgare & postea optimam viætus rationem instituere jubet, atque lib. I. de diæta §. 33. in melancholicis, formidulosis & tristibus identidem purgationem per veratrum undissimam censet. Cui adsentitur CELSUS qui lib. 3. cap. 18. melanacholiam purgatione cum veratro ex magna parte levare refert, & si hoc vel semel datum parum profecerit, interposito tempore iterum dari jubet. Verum enim vero, utut veteres helleboro, elaterio reliquisque strenuissimis remedii perpetuo fere usi fuerint, nos tamen mitiorum ob inopiam id factum fuisse existimamus. Dein vero similimum est, eos ideo frequentius fortiorum purgantium usum inivisse, quod tutissimas ipsorum præparations, ut innuit GALENUS lib. de articulis compertas habuerunt. Sed illorum proh! dolor monumenta temporis diuturnitate interierunt, ut pauca admundum remanserint, de quo HIPPOCRATIS de elleboro conscriptus liber, cujus initium tantum extat, satis testatur.

§. X.

Porro, si loca, ubi HIPPOCRATES aliisque medicinæ partes purgationes per elleborum dictis in morbis languoribus, genitibus, tuberculis, di. eos hoc medicamentum nonnisi sub certo modo & vehiculo atque iis remedii conjunctis adhibuisse deprehendimus, quæ magnam illius acrimoniam cicurandi vim possident, ut ideo non vehemens, sed plane mitior secuta fuerit operatio. Ita, teste DIOSCORIDE lib. 4. litteris tradita fuit a PHILONIDE Siculo Ennense peculiaris corporis ante usum ellebori præparatio & viætus ratio, quæ tamen ad nostram usque memoriam non pervenit. Plura, quæ idem confirmant exempla reperi-

licet apud ipsum HIPPOCRATEM, qui in lib. de diæta post fomenta demum & diætam purgationem per veratum instituit & lib. de veratro corpora ante ipsius usum uberiori alimento & quiete humectanda, item lib. 6. popul. balneo & cibo præparanda suadet: quo fine etiam tam ante quam post usum fortiorum purgantium sufficientem latetis asinini potum præbuit.

§. XI.

Quum vero notissimum sit, non modo draistica purgantia, sed & ipsa venena arsenicalia sine ulla sanitatis ^{Quarac} ^{sue, si in} ^{noxia.} dari posse, si corpora prius bene humectantur & alimentis demulcentibus, nutrientibus, oleosis & lacticiniis præparantur vel si postea ejusmodi adsumuntur; facile poterit intelligi, nec veteres in adhibendis remedii purgantibus ullo modo deliquisse, sed ea valde cicurata & ad meliorem mitioremque indolem redacta usurpare. Quam medendi methodum ac cautionem nec TRALLIANO ignotam fuisse ex ejus monumentis apparer, dum in melanacholia, inquit, blanda purgatione opus est. Et vietu humectante, interposito balneo. Qui enim calidioribus antidotis aut purgationibus usi sunt, praesertim hiera, ægros magis furiosos atque infanos reddiderunt, dum sanguinem ad siccias & acrius converterunt. Praestat igitur talibus simplicioribus adhuc medicamentis, que totum corpus non possunt caleficere, repurgatos humectanti cibo permittere. Novistis autem vos, me quoque plerosque ita laborantes vietu potius quam medicamentis persanisse.

§. XII.

Cui experientiae sana quoque consentanea est ratio. Etenim in furore, ubi omnia in effreni motu videmus constituta, nulla plane nervosum systema acrius irritandi est indicatio. Nec dein humores atrabilarii, sive melancholici, glutinosi, crassi, acidi & pontifici vasis inhærentes acrioribus opus habent moventibus, sed diluti, correcti, meabilesque & ad exitum aptiores redditii facili negotio ad excretionem sti-

mulantur. Et profecto si ulla in re certe in propinandis purgantibus summa adhibenda est cautio. Nam, ut probe annotavit Joann. HEURNIUS lib.3.p.289. in usu magnorum pharmacorum nullus temeritati locus esse debet, alioquin, quod turpe dictu est, suppetias forendo magis nocemus. Atque ideo recte omnino atque perite a PLATONE dictum esse legimus, morbos diurnos, inter quos etiam melancholiā refert, suos habere certos terminos, ad quos ante quam pervenerint, si medicamentis irritentur, acerbiores fieri. Ex omnibus autem optimè suo nos exemplo erudire potest providissimus ille artis parens HIPPOCRATES, quippe qui *Democritum* curaturus elleborō nonnisi præsens uti voluit.

§. XIII.

Correlatio ellebori & Lindeni tradita. Quam superiori loco inter causas & conditiones, sub quibus veteribus elleborō aliisque fortioribus purgantibus LINDENIOS uti licuerit, hanc præcipuam retulerimus, quod illi innoxium, qui nos jam latet, præparandi modum calluerint; non inutile fore arbitror quædam de eodem monere. Fuerunt scilicet novissimis temporibus præclari in arte viri, qui in eo excogitando multum & operae & temporis consumserunt, quos inter eminet LINDENIUS, qui Colleg. MSTO ad praxin chym. ubi elleborisimum commendat, singularem elleborum corrigendi modum tradidit, quo eos non modo, qui insanire primum cceperunt, sed & ipsos maniacos se curasse adserit. Ipsa præparatio hæc est: Recipit radicis ellebori albi a drachma dimidia ad drachmam unam, eamque in vino, donec mollescat, decoquit, decoctam eximit, &, rejecto pristine decoctionis vino, novo vino injicit atque per noctem in loco calido relinquit. Postea infusionis vinum nunc levius, nunc fortius, prout validum esse debet remedium, exprimit, expressi drachmam unam propinat, quæ sufficienter operatur.

§. XIV.

Nos quidem de hac ellebori corre*De eadē* *judiciū.* tione ita sentimus: medentes fortio-ribus qualicunque ratione correctis & vi sua acri caustica privatis remedii commode carere & majorem longe fructum exspectare posse, si ea solum evacuantia, quæ supra recensuimus selectiora atque lenissima in usum rite vocare satagant. Cui autem speciatim elleborō uti volupe est, de convenienti ejus præparandi modo non dissuademus; siquidem vim illam drasticorum purgantium deleteriam, quæ in subtilissimo fale acri consitit, mediante coctione diutius instituta penitus enervari posse certissimo constat experimen-to. Et quum per similem cum aqua vel vino adornatam cocturam tenuissima illa, quæ elleborō inest, acrimonia extrahitur, manifestum est, quod remanet, drastica virtute privari.

§. XV.

Missa ulteriori purgantium disquisi-tione progredimur ad aliud remedii genu, quod sistunt aquæ minerales, fontane vel pura aqua fontana, in quibus sunt laudandum & præstantissimum adversus mentis morborum contumaciam situm est præsidium. Etenim, quum mania plerumque originem & fundamentum in melancholia, melancholia in affetu hypochondriaco habeat atque hic ipse a sanguine & succis vitiatis ac impurioribus, per imi ventris viscera & intestinorum volumen difficulter prægredientibus ortum & natales suos sortiatur; ad obstructiones vero viscerum referandas liberioremque ac faciliorem sanguinis circuitum reddendum, nulla haec tenus a multis retro seculis inventa & non modo a recentioribus sed etiam a veteribus peritis ac scitis Medicis usu probata fuerit medicina, præter providum aquarum mineralium vel frigidarum, vel calidarum usum, facile patet, quantum ab ejusmodi aquis in pertinacissimis morbis vincendis sperandum sit auxilii. Et ego sane ipse integræ fide profiteor, quod nolim esse Medicus, si aquarum, præsertim mineralium

ralium virtutem ignorarem. Enimvero, quum boni ac periti Medici ars & scientia maxima ex parte in arcendis vel curandis chronicis affectibus versari debeat, hic certe parum vel nihil solidi sine prudenti aquarum naturalium tam interno quam externo usu praestare poterit. Quapropter ut Medicus harum salutarium aquarum, ratione ingredientium & virtutum accuratam sibi comparet cognitionem serio moneamus.

§. XVI.

*In plu-
ribus
mo-bis
profundi-*

Quodsi vero genuinam fontium salubrium indolem scrutamur, obstupefcimus sane, tantam a benignissimo conditore ipsis concessam esse facultatem, ut pluribus medendi indicationibus in omnibus fere morbis satisfaciant. Nam spiritu elatico purissimo & sale alcalino medio minerali prægnantes decentique copia adhibitæ non modo humores vitiosos alterandi, crassos incidendi, glutinosos fluidos reddendi, & obstructa vascula reserandi potentia pollut, verum etiam in partes solidas energiam suam exerunt, cum duras & tensas fibras laxant & emollient, debiles & imbecilles roborant, emunctoria a tono suo dejecta stimulant, adeoque omnis generis salutares excretiones, sive per alvum, sive per urinam & cutim, sive etiam per uterum & venas hæmorrhoidales promovent.

§. VII.

*Latis
spinit
vnt cō-
menda-
tu.*

Similis, imo fere ejusdem cum aquis mineralibus virtutis est lac asinum & serum lactis tam vaccinum quam caprinum rite confectum & depuratum, cuius usus ad expugnandas chronicas passiones ab HIPPOCRATE jam olim commendatur & a peritissimis in arte viris, MERCURIALI, RIVERO RAYMUND. A FORTIS, BAGLIVIO & celeberrimo nostri ævi Medico BOERHAVIO summis ob præstantissimam efficaciam laudibus extollitur. Id quod & ego bona si de adfirmare possum: siquidem affectus valde chronicos, qui ex subtili &

Tom. IV. Part IV.

virulenta humorum acrimonia suborti in imbecilliori & vitiato nervosarum partium systemate sedem suam fixam habent, sine decenti lactis & seri lactis usu vix ex voto sanatos novi.

§. XVIII.

Ex universa vero medicamentorum *Nitri* serie remedium non scio ullum, quod *usus eō ad causas horum affectuum eradicandas opportunius existat & in quo, ceu sale simplicissimo, natura plus mysteriorum considerit, quam ipsum nitrum ab heterogeneis partibus depuratum. Ejus namque usus tam universalis est, ut ad omnis generis morbos, si modo rite instituatur, latissime patet. Maxime vero omnium in ea melancholia specie, quæ ad maniam inclinat, imo in ipso furore, peculiarem plane & laudatissimum præbet effectum, dum non modo acrimoniam humorum biliosam temperat, sed & effrenes solidorum motus placando immoderatum fervorena fistit. Dolendum itaque summopere est, efficacissimum hocce remedium non modo veterum temporibus plane ignotum fuisse, verum etiam a nostri ævi Medicis ratione suæ, quam exserit in morbis, virtutis nec satis cognosci, nec in debito pretio haberit. Ex recentioribus tamen, qui ejus eximiam in nostris affectibus sanandis virtutem agnoverunt, laudandi maxime sunt SENNERTUS atque RIVERIUS, quippe qui in mania potissimum nitrum cum pauxillo camphoræ maritatum ceu specificum in usum ducendum esse adserunt.*

§. XIX.

Proposuimus jam ex iis, quæ opitulari his animi morbis possunt generalia quidem, sed omnium optima remediiorum genera, quæ longo usu a peritissimis in arte viris probata fuere. Supereft nunc, ut de peculiaribus quibusdam & specificis medicamentis, quæ itidem magna a plurimis laude effertur, nostram in experientia fundatam dicamus sententiam. Jam igitur notissimum est, in scholis Medicis

& pharmaceuticis libris ex regno vegetabilium herbam melissæ, betonicæ, verbenæ, anagallidis, salviæ, absynthii, flores hyperici, tiliæ, camphoram, ex animantium familia sanguinem asinum exsiccatum & cum potu exhibitum, ex regno minerali martalia, cinnabarinum, saturni saccharum, calcem & tinturam lunæ præ ceteris commendari. Verum enim vero, ut ut remedia hæc singularia ex toto haud rejicimus, sed nonnullorum potius usum meliori explorationi committendum volumus; id tamen adseverare non dubitamus, parum ab iisdem solis exspectandum esse emolumenti, nisi prius caesis morborum tam remotioribus quam proximis corrigendis & abigendis per supra allata remedia generalia rite consultum prospetumque fuerit.

§. XX.

*Specifi-
cum R.
erit.* Dantur, præter jam dicta simplicia, varia adhuc ex ipsis artificiose parata composita, quæ ob specificam virtutem suam summis prædicantur elogiis, ad quorum censum in primis pertinet illuda RIVERIO contra maniam tan- topere celebratum remedium, quod ipse pro arcano & gentilitio habere consuevit atque hoc modo paratur: Recipe fol. melissæ manipulum unum. Incitantur in spiritus vini uncii quatuor. Dein adde margaritarum præp. drachmam dimidiam. Misce detur ad duo cochlearia. Quod quidem medicamentum, si ex quo æstimem, non prolus damnandum judico. Et licet ipse genuinam ejus virtutem usu non exploraverim, in ea tamen certo respectu adsignanda nullus dubito, maxime quum multos olim maniacos a pastore quodam in pago Vinatiensi de gente, qui illud frequentius adhibuit, sanatos noverim.

§. XXI.

*Dico fñ
nigrum
B:unus
genfer.* Probe dein animadvertisendum esse arbitror, celebrem Brunsicensium Medicum decocto quodam nigro, schärfer marzer Rarren Zrand vocato, quod, ut pharmacopæus mihi retulit, ex san-

guine asinino cum aqua melissæ & ace-
to vini cocto paravit, haud infelici
succesu usum fuisse frequentissime.
Neque ego hoc remedii genus inutile
censerem; siquidem præter virtutem
sedativam, cuius propter sanguinem
animantis particeps est, insignem et
iam ab acetō vini discutientem ac re-
solventem obtinet efficaciam.

§. XXII.

Laudatissimæ porro virtutis esse cre-
ditur B. Michaelis decoctum & essentia
ex anagallide mare, qui phœnicio co-
lore splendet, parata; quæ bina reme-
dia mille experimentis in melancholico
& manjaco delirio a se probata esse ad-
serit, de quorum tamen fide nondum
satis mihi constate profiteor. Pulve-
rem vero, qui a Dno CHARRAS in
Pharmacop. Reg. descriptus & contra
insaniam a mortu canis rabidi ceu spe-
cificum commendatus ex melissa, ver-
bena, absynthio, artemisia, planta-
gine, ruta componitur, tum ob vir-
tutem, qua gaudet, stagnantes humo-
res discutiendi, tum solidas partes ro-
borandi non omni effectu destitutum
arbitramur.

§. XXIII.

Ex chymicis medicaminibus spectant Flores
huc quoque flores antimonii, quorum
usum plurimi Medicorum commen-
dant, ad experientiam audacter pro-
vocantes. Cui nec nostra contradicit
observatio. Quodsi enim tenaces, vi-
scidi & biliosi in duodeno stabulantes
humores vomiti evocandi sunt, flores
isti, qui præ aliis emeticis antimonialibus
blando quodam & anodynæ vir-
tutis sulphure pollent, egregium pol-
licentur fructum. De iis, quæ opium
ingreditur antidotis, quorum multæ
magnæque apud Auctores laudes ex-
stant, infra plura dicemus.

§. XXIV.

Mihi denique si ullum remedium Motus
ceu specificum, id est, quod singulari corporis
quodam & præcipuo effectu multoties efficiens
se comprobavit, in hisce mentis affe-
ctibus tum præcavendis, tum abigen-
dis commendare licet, nec certius nec
effica-

efficacius decenti & ad vires corporis instituta exercitatione novi . Nam , modo liquidum in sanguine non deficiat , hoc remedium viscidos humores resolvendo liberioremque sanguinis per omnia vasa circuitum promovendo corpus ab impuris folidibus per auctam transpirationem liberat , obstrukiones referat , adeoque omnibus aliis summe commendatis remedii antecellit longissime .

CURA PRÆSERVATORIA.

§. I.

Præservationis inferni san- guinis reuera- tiones. **Q**uum tutius factuque proclivius sit morbos præcavere aut recurrentes eorum incursum avertere , quam præsentes medela ad sanitatem reducere ; in aprico esse arbitror , quanti ad Medici pariter ac ægroti commodum interstet , curam præservatoriam probe intelligere , quæ sequentibus continetur momentis . Primo omnium necesse est , ut sanguinis abundantiae habeatur ratio , quæ tempestiva , præsertim circa solstitia & æquinoctia consueta venæ sectione , vel salutaribus per hæmorrhoidales & uteri venas evacuationibus promotis , aut , si cohibitæ fuerint , revocatis minuenda erit . Ante vero quam venæ suscipitur inciso , valde utile est , primas vias a vitiosorum humorum colluvie leniori medicamento deplere . Tali enim ratione post sectam venam sanguinis per universum corpus distributio longe erit expeditior , ut per transpirationem depurari melius possit .

§. II.

Affectionis moderatio. Præter hæc inter optima remedia præservantia prudens affectuum animi moderatio referenda est , quæ facile obtinebitur , si nobis ipsi non adeo indulgemus . Absint itaque stolidæ desideria , quæ mentem ullo modo turbare aut speculationibus anxiisque præfigurationibus occasionem suggestere possunt ; omnes etiam nimia & unirei infixa cogitationes æque ac profun-

diores studiorum causa suscepτæ meditationes sedulo vitentur , venus sit parcissima & denique remota solitudine animus jucundo & amico reficiatur confortio .

§. III.

Neque tutum est , ab omni cibo impleri , sed talem fere eligere , qui nec concoctu difficultis nec ventriculo sua mole gravis est . Vitare hinc oportet carnes infumatas , suillas , bubulas , conchilia , pisces cœnosos omniaque vaporosa & cibos quoque cum cepis & allio paratos , utpote quæ singula ventriculum onerando crassumque ingendi sanguinem mirum nocent . Ante omnia vero corpori quantum indiget , non quantum cupit impendendum est . A nimia enim voracitate , ad quam propter exundantem acidi in prima regione progeniem admodum proclives sunt melancholici , non leve redundare damnum observamus .

§. IV.

Potus quoque habendus est delectus , siquidem non omnis omnibus deprehenditur proficuus . In genere tamen notari velim , leviorem semper , ut cerevisiam secundariam , vel puram aquam frigidam esse eligendam . Inter vina modicus vini albi & non aedo subtilis , ut Mosellani haustus sub epulis melancholicis omnino concedatur , utpote qui animi corporisque vires recreando mores ad hilaritatem traducit . Dulcia vero & potentia vina , qualia sunt Hungarica , Italica & Gallica . Secundum dicta tum melaticholicis tum maniacis nunquam non annotavi infensissima . Nihil autem fere magis officit & ad maniae genesis contribuit , ac si post graviorem iracundiam affectum ejusmodi spirituosi , vel etiam frigidus potus in copia ingurgitantur ; qua propter , ut omnes de salute sua solliciti ea tempestate ab iisdem se abstineant , sincere monemus .

§. V.

In eodem cum alimentis pretio habetur ea quæ nostro ævo increbuit tabaci fumigatio , cuius nitium & per-

petuum quasi usum , qui digestioni ini-
micus spissos humores ingenerat eos-
que in orgasmum facile abripit , ex to-
to improbamus ; cum e contrario con-
suetum & moderatum , ad alvum lu-
bricam servandam , recte conceden-
dum arbitremur .

§. VI.

Motus corporis. Denique præservandi sine lumenope-
re se commendant aeris mutationes &
præfertim a regionibus nimis calidis
vel frigidis ad temperatores susceptae
peregrinationes . Haec ipsis enim non
modo erroneis perversisque ideis emen-
dandis apprime sunt idoneæ , verum
etiam motus , qui per vestram insti-
tutur , viscerum obstrunctiones impe-
diendo æquabilem sanguinis per omne
corpus cursum servat utilissime .

C A U T E L Æ E T O B -
S E R V A T I O N E S
P R A C T I C A E .

§. I.

Cautela circa curationem febrium accentuū. Qum ex acutis febribus iisq; præ-
fertim biliosis cum phrenitide
junctis per opiate & nimis refriri-
gerantia perperam sanatis maniam
haud raro subortam observaverim ,
boni omnino circumspœctique Medici
esse reor , non modo febres ejusmodi
cholericas rationali & prudenti tracta-
re methodo , verum etiam , ubi incli-
nata jam in melius valetudo est , ex-
actata vivendi rationem cum conveni-
entib[us] affectuum regimine præscribe-
re ; alioquin ex phrenitide facilis ad
delirium chronicum fit transitus . Si-
milem cautionem postulant febres in-
termittentes contumaciores ; siquidem
ab iisdem per iteratas sanguinis mis-
fiones vel acres sœpiusque repetitas alvi
evacuationes male tractatis , aut per
adstringentia & opiate nimis cito cohi-
bitis melancholiæ hypochondriacam &
exinde ipsum furorem concitatam
fuisse constat . Sedulo itaque monendi
sunt Medici , ut ab empiricis istis &
indignis curationibus abstineant , ne

forte gravissimorum horum affectuum
causa dici haberique possint .

§. II.

Venæ sectio licet præstantissimæ in
deliriis utilitatis sit ; multum tamen
pro corporum varietate ratione loci ,
quantitatis & temporis debet variari .
Ita , quando maniacus furor plethori-
ca , cholerica & in ætatis vigore con-
stituta corripit subiecta , sanguinis ite-
rata missio , frequentiori per corre-
ctum elleborismum purgatione inter-
posita , minus nocet , maxime si po-
stea cardiacis , roborantibus & anody-
nis sedativis viribus reficiendis prospic-
ciamus . Ubi contra per diurnam
inediam assiduasque vigilias & conti-
nuam corporis evacuationem furiosi
viribus & humoribus temperatis ex-
hausti fuerint , ideoque nutrientibus
magis & blandis analepticis opus ha-
bent , sanguinis detractione in majo-
rem incident debilitatem .

§. III.

Quam superiori §. V. curat : præ-
scripsimus convenientem venæ sectio-
onis administrationem , hic loci minus
censemus repetendam . De V. Sione
tamen in fronte hæc habeo quæ mo-
neam : eandem scilicet in paroxysmo ,
ubi propter spasticam inferiorum par-
tium stricturam sanguinis ad caput di-
rectus est impetus , nunquam utilem ,
sed ob majorem humorum attractio-
nem magis esse noxiæ ; e contrario
vero tutius rectiusque adornari , quum
aut primæ viæ ab impuris sordibus
probe sint liberatae , aut si spasmus quie-
sciente mali notabilis facta fuerit re-
missio . Docuit me utilissimam hancce
cautelam tentata simili remedio hæmi-
craniæ curatio , in qua eandem venam
plus quam decies infelici admodum
eventu novi incisam . Hoc in passu ex
antiquioribus Medicis consentientem
habeo CELSUM , cuius lib. 18. de cu-
ratione deliriorum hæc notatu digna est
animadversio : Remedia adhibere ,
ubi maxime furor urget , supervacuum
est : simul enim febris quoque incre-
scit . Tum itaque nihil nisi continendus
æger

eger est; ubi vero res patitur festinan-
ter subveniendum est. Asclepiades
perinde esse dixit, his sanguinem mit-
ti, ac si trucentur, hanc rationem
secutus: quod neque insania esset, ni-
si cum febre intenta; neque sanguis,
nisi in remissione ejus, recte mittere-
tur.

§. IV.

Circa alimen-
ta & pharm-
at. melanc-
holia. Quum,
gravissimo teste HIPPO-
CRATE Sect. 6. aph. 56. melancholia
laborantibus periculosæ ad cerebrum
canim: fiant metastases, quas apoplexia, epi-
summo-
lepsia, coecitas, aut ipsa mania sequi-
tur; omnis profecto cura adhibenda
est, ut ne perversi ejusmodi motus
translatorii seu ferales sanguinis ad ca-
put congestiones procurentur, quale
quid fieri maxime solet ab acerbis ani-
mi perturbationibus, aut largiori vini
potentis inter dies caniculares potatio-
ne, vel denique omni medela, quæ
liquida nimium exagitando vires de-
primere valet.

§. V.

Circa purgantia. Maxime vero omnium talem no-

xam fortiora inferunt purgantia, ut

pote quæ intestina ad majores spasmos

proritando sanguinem ad superiora

magis propellunt. Quæ cum ita sint,

de purgationibus rite instituendis au-

rea tenenda est regula MESUES, quæ

ita se habet: *in agititudinibus melan-*
cholicis non bis, non semel, sed per
intervalla facienda est evacuatio ita
temperata, ut natura regat evacuatio-
nem, non evacuatio naturam. Praefat

tamen semper alvum lubricam servare,

& si non respondet sollicitanda est vel

elystere, vel singulis septimanis tenori

evacuante.

§. VI.

Circa infans. Ubi ex infano amore virgines nubi-

les & maturæ viro insaniunt, conju-

gium efficacissimum præstat auxilium;

cujus incomparabilem ad componen-

dum furorem virtutem & ratio confir-

mat & sua jam ætate rectissime agno-

vit HIPPOCRATES, qui ideo virgi-

nes quam citissime viris cohabitare ju-

bet, si enim, inquit, conceperint,

sane fiunt. Id quod ego ipse experien-

tiæ conforme habere nullus dubito.

§. VII.

Si quando furor a morsu maniaci , *Ex mor-*
vel canis rabidi, ut talia exempla pro-
stant, suboritur, non fidendum est *su mani-*
ac *specificis illis, a GALENO, AE-*
TIO, RUFFO tantopere laudatis ex-
ternis, canceris combustis, seu cineri-
bus cum theriaca & radice cynosbatis,
licheni cinereo terrestri, jecori rabiosi
canis exterius applicato, sed loco do-
lenti, profunda scarificatione præmis-
sa, magnam cucurbitam apponere,
vel ferro ignito satis profunde partem
affectam inurere & tum suppurationem
promovere præstat.

§. VIII.

Quum delirio affectos a feeda scabie *Circa*
elephantiasin quasi simulante insigni *fonticis*
sæpius levamen percepisse & maniam *los.*
post ulcera in inferioribus locis curata
subortam trepanatione solutam fuisse
certa experientiæ fide constet; fonticu-
los & ulcera in tali casu circa spinam
dorsi ferro inurere haud supervacan-
teum esse arbitramur.

§. IX.

Vesicatoria in curanda mania parum *Circa*
vel nihil valent sed malum potius ex- *vesicatoria*
asperant. Cantharidum quippe sales *tia.*
caustici per poros in sanguinem delati
majorem nervosis membranis & ipsi
quoque duræ matri stimulum impin-
gendo sanguinis crassi & biliosi per ca-
put & universum corpus motum spasti-
ca strictura augent; cum potius medi-
amenta, quæ ob blandam anodyniam
& antispasmodicam virtutem intensiores
nervofarum partium constrictiones
demulcendi effrenemque humorum
motum refrenandi vi pollent, in usum
vocari debeant.

§. X.

Licet vero remedia hæcce sedativa *Circa*
& anodyna in maniaco furore compe-
scendo effectu se exferant satis egre-
gio, neutquam tamen eo proceden-
dum audacia est, ut, quæ suspectæ *anody-*
nia, ma-
no
vero
opiate
& narcoti-
cistica.
veli-

velimus; hæc quippe fibras ac membranas nervosas, præsertim quæ in cœbro sunt, stupefaciendo maniacos quidem insultus levant atque minuunt, sed majorem & dementiam & fatuitatem inferendo in aliud sëpe extremum ægros precipitant. Multo magis, si quid ab anodynis sperandum auxilii est, ea sunt feligenda, quæ in malo epileptico, cuius formalis ratio in vehementi duræ matris spasmo consistit, opitulantur, ad quæ pertinent maxime castoreum, rasura unguil. alecis, crani humani, cornu cervi philos. præp. radix & semen peconiæ, pulvis noster antiepilepticus, rad. valerianæ, liquor anodynus mineralis, aquæ flor. lil. convallium, tilia, primulæ veris &c. Quibus omnibus ceu securis & usus probatis remediiis tuto fidem habere possumus.

§. XI.

Clera. ex abscissa delirii plica non modo graves capitum morbos, ex abscissa plica Po. tam fuisse maniam cognovimus. Quod ione. vero si incidit, mirum commendari solet decoctum musci clavati, quo caput bis quotidie lavetur. Ita enim futurum esse dicunt, ut brevi illa rursus erumpat. Linimenti musci clavati huic scopo utilissimi descriptionem qui exceptit, evolvat M. N. C. Dec. Iann. II. abs. 54. ubi inveniet.

§. XII.

Quæ in phrenitide, quæ quasi duræ meningis febris particularis est, in qua èjus tonus elasticus ac systole valde auctera & cœta motum sanguinis & fluidi nervei celerrimum & tumultuosum efficit, præter interna nitrosa & blanda anodyna externe animalia, ut gallinæ vel columbæ per medium discissæ capitique raso applicatae non sine singulari fructu esse deprehenduntur, utpote blandæ exhalationes & anathimiales fibras nimis strictas relaxando ad tonum motumque naturalem restituendum plurimum conserupt.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Vix quinquaginta annorum, san-
guine plenus, a prima statim
adolescentia largiori vini potui adsue-
maniacū ab ita-
tus, per sedecim & plures annos, qui-
bus Italiam Galliamque peragravit,
bis quotannis venam secundam præ-
buit. At vero Germaniam redux hoc
consuetum evacuationis genus omisit,
sæpiusque vinum adustum, quod cum
tabaci fumo in deliciis habebat, ad
ebritatem usque ingurgitavit. Aliquot
ab his mensibus elapsis gravi pæcelle-
batur iracundia, quam crebri vomitus
cum larga diarrhœa & inappetentia
juncti sequebantur. Brevi post somno
frui observabatur, turbulentio anxiisque
insomniis interrupto, imo haud obclu-
re furoris signa tum vultu tum gestibus
exprimebat: mox enim tristitia &
mœrore affectus omne hominum con-
sortium fugiebat, mox in hilaritatem
effusus præter consuetudinem erat affa-
bilis, multa sine ordine inconcinna
garriens. Neque tamen hoc mentis
alienatæ vitium diutius inhæret, sed
leviter iterum transit, vix insanæ ve-
stigia relinquens: siquidem noster in-
termissionis tempore omnibus rite fun-
gi officiis cum mentis alacritate valet,
aque sanissima loquitur, ut nihil in
sermone familiari insanæ in ipso ob-
serveretur. Sed, quum vel levissima ac-
cedente animi perturbatione, ad quam
summe proclivis est, vel errore aliquo
in diæta commisso ex facili redeat,
neque vanum exinde gravioris & per-
manentis delirii timorem incutere vi-
deatur, meum amici implorarunt at-
xilium.

EPICRISIS CUM
C O N S I L I O.

Quanta animi affectuum in motus
corporis nostri tam fluidarum quam se-
lida-

lidarum partium sit potentia, vel ex solo praecedenti casu adparere arbitror. Sicut autem præcipua iracundia in ductus biliariorum efficacia nunquam non deprehenditur: ita nihil dubii est, quin præternaturali harum partium nervosarum constrictione biliosus humor in intestina effusus hæc ipsa ad spasmos sollicitaverit; quorum vi sanguis crassus ad caput & debile cerebrum ad pulsus ibi difficulter transit variaque inanis & erroneas menti ideas impressit. Neque parum profecto ad pessimum hunc affectum ingenerandum contribuit immoderatus calidiorum potuum usus, utpote qui insigni syste-
ma nervorum maximeque cerebrum debilitandi vi pollut & haud raro vel unice, sine longa aliarum causarum serie prægresso, ejusmodi mentis morbos producunt. Quod autem ad peculiarem affectus nostri genium attinet, ipsum pro furore leviori periodico recte omnino habere licebit, propterea quod per intervalla tantum adgreditur breviusque terminatur, neque magnam memoriam imbecillitatem aut sensuum insignem depravationem comitem habet & ipsam quoque curationem facilius recipit, quam sequenti ratione adornavimus: Primo omnium æquabili sanguinis per universum corpus distributioni ejusque a capite derivationi propicientes consuluiimus, ut æger quotidie cubitus iturus pediluvii ute-
retur tepidis ex aqua fluviatili & tritici surfuribus paratis & quamprimum cruori per venam in pede sectam, aut hirudinibus ano adpositis liberum per-
mittat exitum, unde statim melius ha-
bere cœpit. Deinde mixturam ex es-
sent. succini, tinctura tartari & anti-
mon. acris constatam ex infuso theiformi, quod herbas floresque roborantes ac antispasmodicas, tiliæ, melissæ, lilio convallium, sambuci, anthos, chamæmeli &c. habebat, singulis diebus mane ad 40. guttas capiendam sua-
fimus. Tum quoque pulveres Jeniter diaphoretici & antispasmodici, ex pulv. Marchionis, succino præp. cin-

nabari, nitro puris. & pauxillo theria-
cæ coel. compositi, ante cubitum ex
usu fuerunt. Denique, quum maxi-
mum in ejusmodi morbis curandis mo-
mentum in justo affectuum modera-
mine & accuratiori rerum non natura-
lium usu contineatur, primo ingrata
& excitandis adversis ideis opportuna
objecta removere, tum vero a cibis
salitis, acribus & nimium conditis ab-
stinere, corpus maximeque pedes con-
tra frigoris injuriam munire & calidio-
res sanitati infensiissimos potus cane
pejus & angue fugere serio jussimus.
Quibus per aliquot menses probe ob-
servatis id per Dei gratiam obtinui-
mus, ut animo successu temporis ad se
redeunte æger a furbundis paroxysmis
immunis plane relinquetur.

OBSERVATIO II.

Vir ecclesiastico munere fungens annorum triginta septem, staturæ me-
^{Affectus}
diocris corporisque macilenti, sed ^{melan-}
multis vasis sanguineis instructi, patre ^{cholico-}
natus hypochondriaco & ad melancho- ^{manico}
liam admodum prono, per multos jam ^{hypocb.}
annos hæmorrhoidum fluxum singulis ^{ærascus,}
fere mensibus revertentem expertus
bene admodum valuit. At quum stu-
diis nimium intentus profundis medita-
tionibus, neglecto corporis motu,
plus justo indulsisset, easque ad seram
usque noctem nudatis pedibus protra-
xisset, concurrentibus simul curis do-
mesticis, salutaris hæcce excretio sen-
sim imminutior facta penitus tandem
desit. Non multo igitur post sympto-
mata accesserunt hypochondriaca,
quæ rusticis, flatulentiis, molesti-
que imi ventris distensionibus & tormi-
nibuscoli dolores æmulantibus crucia-
runt. Sed quod pessimum erat, ipsa
quoque mens magis quam antea vide-
batur affecta; siquidem perpetuo nunc
mcerebat, ab exigua vel nulla plane
causa meticulosus expavescerat & sin-
gulis diffidens omne fugiebat consor-
tium: quæ mentis mala brevi in-
tervallo tanta capiebant incrementa,
ut

ut æger noctu insomniis agitari, vitæ insidias timere, manus cum gemitibus complicare, alte mox vociferare & sermonem continuum sine nexu moveare, mox cogitatandum & quasi elinguem obmutescere inciperet. Neque tamen sine intermissione perpetuo ita furit, sed malum ex parte minuitur atque tum prægressa frigoris sensatione pulsusque paulatim celeriori vehementiisque reddito recedit. Medici varia præscriperunt medicamina nitrofa, electuaria, confectiones tandemque binæ circiter sanguinis unciae fuerunt detractæ, sed sine singulare levamine.

E P I C R I S I S C U M C O N S I L I O .

Docet nos hæc observatio, ex affectione hypochondriaca melancholiæ, ex melancholia maniam oriri, omniaque hæc mala ex sola hæmorrhoidum suppressione suam repetere posse originem. Ego consultus cum pulsus durum & plenum, urinam aquosam & tenuem, somnum inquietum multis que stipatum insomniis deprehendarem, atque graves sub costis spuriis tensiones presstorias & anxietates præcordiales cum pertinacissima alvi obstructione urgere comperirem, a leni evacuatione curam inchoandam ratus potiunculam ordinavi mannatam & rhabararinam, denuoque sanguinem ex altera pedum vena tusa detrahendum & pediluvia ex furfuribus triticeis, sapone veneto & aqua fluvialili parata ante decubitum adhibenda jussi. Inter reliqua, quæ opem tulerunt, præsidia fuerunt pilulae nostræ balsamicæ bis in hebdomade sumendas atque pulvis ex lapidum cancerorum, tartari vitriolati, cremoris tartari, nitri purif. anadramis duabus, cinnabaris rite præ. drachma dimidia, olei cymini guttis sex compositus, qui una cum liquoris anodyni, mineralis viginti guttulis ex aquæ fontanæ uncii octo alternis diebus propinari debuit. Dein quoque infusum Theiforme ex herba veron. sum-

mitat, millefolij & radice glyzorrhizæ confectum ad aliquot patellas mane forbillardum suasi. Pro potu ordinario decoctum chinæ & cichorei cum passulis substitui, & ad promovendam digestionem elixirium nostrum viscerale balsamicum inter epulas, quas pariores esse injunxi, adsumendum commendavi. Gravate quidem hæc omnia noster admittebat, iis tamen paulatim adsumptis flatuum bona pars ructibus multis & sonoris discussa fuit, angustiaque cum mentis furore sedari coepit & aliqua hæmorrhoidum excretio apparere, quæ demum fonte Egrano insequenti veris tempore cum justo regmine potato ex voto rediit, adeoque corporis animique integratæ nostrum reddidit. Ad præcavendas tamen recidivas commendatarum medicinarum usum diutius protrahi jussi.

O B S E R V A T I O III.

Melan-
cholia
Vir quadraginta annos natus, na-
tione Judæus, complexionis melan-
cholico-cholerica, multis laboribus
cum meditatione ac vita sedentaria
junctis diu vacavit, sed nihil inde in-
commodi persensit. Aliquot autem ab
hinc mensibus cum de inopinato filii
obitu certior factus insigni mentis per-
turbatione sollicitaretur, mox moero-
rribus magis magisque indulgere,
circa præcordia angi, hominumque
conversationem fugere coepit. Stip-
abantur hæc mala continua pedum re-
frigeratione, somnoque inquieto &
minus resienti, nec non pertinaci
obstructione alvi, quam non nisi sexto
septimove die rite deponebat. Quum-
que ita adflictus totos sex constitisset
menses, & denuo vehementi percelle-
retur terrore, ipsa maniaca invasit ra-
bies, qua tantopere forebat & in ob-
vios quoscunque irruerat, ut vinculis
constringi debuerit. Cui malo licet
suppetias ferre amici voluerint, nulla
tamen alimenta nedum medicamenta
& frontis coacte incisa insigniter pro-
fuit.

fuit : siquidem inde mens efferata paulo quietior reddit a tristes cogitationes pristinamque melancholie ægritudinem redit. Hanc contra dein variis pugnatum est remediis, thermæ quoque Carolinæ potatæ alvum egregie duxerunt, sed malo præterea vix quicquam detraxerunt. Ego igitur in consilium adscitus hanc præscripti medendi methodum. Primo fontem Selterianum, addita ad mensuram faliis Carolinarum drachma una, per aliquot hebdomadum spatium bibendum suauissimus. Vim ventriculi concoctricem reborare studiūmus elixirio nostro viscerali temperate balsamico, quod ad 70. vel 80. guttulas inter epulas porrexiimus. Nec omissa sunt pediluvia, quibus alternis diebus ante cubitum æger pedes ad furas usque immittere debuit. Denique singularem præstiterunt opem pulveres leniter temperantes nervinis speciebus nupti ante lecti introitum exhibiti. Potui dedimus decoctum, cuius haec erat formula. Recipe Rasuræ cornu cervi, radicis scorzonerae ana uncias duas, tremoris tartari drachmas tres. Coquantur in aqua simplicis mensuris quatuor: adde syrapi acetositatis citri uncias duas. Præterea, ut abstineret ab omnibus cibis fumo induratis, acribus & flatulentis; et contrario autem tenuioribus cum aperientibus herbis paratis jusculis, interposito vini generosi haustu sedulus uteretur, corpusque frequentius moveret, imperavimus. Quibus remediis per aliquot tempus ita continuatis optime convaluit.

EPICRISIS.

Ex præcedente morbi historia satis perspicue apparer, quanta apud melancholico hypochondriacos, qui vitam agunt sedentariam & umbratilem nimiumque mentis fatigationibus indulgent, ad producendum furorem in ipsis animi affectibus, maxime vero subitaneo mœrore & hunc superveniente vehementi terrore vis sit atque potentia, quantaque opus sit cautione

& prudentia, ut ejusmodi hominibus, ubi jam melancholia cum malo hypochondriaco juncta variis se signis prodit, omnis graviorum animi perturbationum subtrahatur occasio. Doceatur quoque ex hoc casu egregie, melancholiæ & maniam alternativam procedere, ita ut ex uno malo ad alterum facilissimus fiat transitus.

OBSERVATIO IV.

Nobilioris generis femina, vix trigeminum ætatis annum transgressa, ^{Dicitur} ^{mania-} temperamenti sanguineo-melancholici, ob adversos quosdam a fratre sibi illatos casus, in impensam incidit, postquam vix utero conceperat, anni trisitiam; ad quam propulsandam quum haud modicum spiritus vini itaustum frequentius adsumeret, accidit, ut non multo post in ipsum maniacum furorem abrepta vehementissime insaniret; siquidem a nemine lacesita graviter subinde irasciebatur, adstantes saliva conspurcabat, vestes dilacerabat, nec uno consistere loco poterat, quin miris se modis jactans corpus spectaculo exponeret. Et sic habebat primis graviditatis mensibus; quum vero ad dimidium gestationis tempus pervenisset, rabie paullatim remittente perfecte ad se redit & statim tempore felicem exclusit partum. Lochia quoque dein rite fluxerunt, nec quicquam uti solet, molestiae puerperium reliquit; nisi quod posthæc suspectum valetudinis statum menstruæ purgationes retentæ portenderent, quas tamen quum Medici falla novæ imprægnationis specie decepti promovere dubitarent, factum proh! dolor est, ut fera iterum rabies animum occuparet. Variis hinc inde præcripta remedia purgantia, temperantia, specifica nihil attulerunt opis; quare ut consilio & auxilio ego succurrerem per litteras amici me rogarunt.

E P I C R I S I S C U M
C O N S I L I O .

In præmissa morbi historia id maxime debet animadverti, delirium ultimis graviditatis mensibus sponte evanuisse, partu vero excluso iterum rediisse. Cujus rei ratio ita me judice, debet explicari. Quo magis fetus in utero mole sua crevit, eo plus opus habet nutrimenti; hinc major sanguinis quantitas ad uterum confluit, quæ edito partu reliquis corporis partibus denuo impertitur. Quum vero in nostra ægrotia mensium accesserit retardatio, non modo sanguinis copia increvit, sed & valde spissus & ad trajicendum tenuissimos canaliculos ineptissimus evasit; unde facile potuit in primis vii. & circa uteri regionem spastica strictura oriri, qua crux ille tenax ad debile caput delatus rationis usum de novo turbavit. Quod ad curationem atiner, eo potissimum respiciendum putavi, ut sanguinis circuitus per totum corpus, maximeque per uterum suæ restituatur libertati. Quo fine primo suasi, ut ante decubitum temperatiora adhibeantur pediluvia, dein per mensis circiter dimensum fontes Egrani decenti cum regimine & interpositis stomachicis medicamentis tepide bibantur; circa tempus vero, quo alias ex utero ferri suevit menstrua purgatio, per aliquot dies ante lecti introitum dosis capiatur pilularum balsamicarum, & sequente die mane drachma una salis aperitivi, ex lapid.cancrorum, tartaro vitriolato & nitro compositi, superbibendo vascula quædam infusi theiformis ex floribus nervinis & antispasmodicis tiliæ, primulae veris, anthos & citri corticibus conflatum. Qua methodo id per Dei gratiam acquisivimus, ut ægra a malo suo sensim paullatim que liberata nunc integerrime vivat.

O B S E R V A T I O V .

Femina annum agens secundum & quadragesimum, temperamenti melancholico cholericæ, animique a natura ad tristitiam valde dispositi, numquam a viro grida, sub regulari & ordinato mensium successu illibatam, semper præ se tulit valetudinem. Interim, quum odio soceræ convictu per aliquod tempus uti debuerit, plena inde luctus & miceroris, nulla vel sane levissima data causa, saepius acerbas profundere lacrimas cœpit, donec dein inter ipsum mensium fluxum post graviorem iracundiaæ affectum delirium accessit maniacum, quod totas sex hebdomadas inhærebat. Abhinc triste hoc malum singulis sex septemve mensibus elapsis recrudescens has notas habet pænencias: sentit ægra circa tempus cum menstrua recurrit periodus pressorum in pectore dextroque hypochondrio dolorem capitis dentiumque membranas in consensum rapiunt; somnus imminuit, & nunquam non vexant conatus vimenti, modo irriti, modo ipsi vomitus materiam, quæ aquæ spuma & putitæ flavæ similis est, eructantes fluxu demum præsente ipse adoritur paroxysmus, qui variam ludit scenam. Mox enim dementata cantilenis & tripludio exsultans in cachinnos erumpit, miroque verborum flumine delira profert; mox tristis démisso capite solam terram inspiciens diu obmutescit; mox ab omni cibo potuque abhorret, mox collecto paullum animo de magna siti conqueritur, imo nonnunquam tanta insanit vehementia, ut, nisi vi suorum cohibita, sibi aliisque manus sit illatura. Somnus præterea, qui admodum parcus est, terrificis turbatur insomniis, alvus est adstrictissima, nonnisi tertio quartove die dura scybalæ difficultori expressione reddens, arteriæ exploratae admotas manus validissimo celerrimoque feriunt pulsus, & quod notari meretur, delirii post ali-

aliquot dierum intervallum circa vespertinum tempus semper graviores solent esse accessiones, quæ ægra per extremonrum refrigerationes, per dolores universi corporis tensivos & maculas sublividas in brachiis pedibusque subiude obvias præsentit. Ubi finita morbi periodo mens efferata ad se rediit, præter languores omnes artus occupantes nulla rationis memoriaeque labes per integrum intermissionis spatium animadvertisit. Requisiti Medicis pugnarunt vomitorii, purgantibus, V.Snibus, soteriis quoque fontibus Egranis, sed parum inde misera percepit utilitatis, nisi quod horum usu delirium serius paulo redierit. Ego igitur consultas quum maximum curationis momentum in præcavendis ferilibus recidivis situm esse deprehendem, primo omnium mentis tranquillitatem, rectamque vivendi rationem in hunc modum instituendam præcepi, ut ægra corpus frequentius, quam antea sub serena tempestate moderato exercitio moveat, parciorique & leviori vietu utens potui ordinario decoctum hordei excorticati, C.Cervi rastpati, cum pauxillo corticum citri vel cinnamomi substituat. Ad temperandam humorum acrimoniam infusum theiforme ex herba melissæ, floribus tiliæ & pauxillo cort. citri confectum mane bibendum suasi. Nec ego deinceps irritum aquarum mineralium effectum fore arbitratus, denuo per aliquot hebdomadum decursum fontem Egranum vel Schwalbacensem mane calide bibendam, atque balnea temperate calida ante decubitum applicanda summopere commendavi, quæ etiam circa instans mensium tempus, interposito pilularum balsamicarum usu, locum habere possent. Denique tam præservandi quam curandi sine egregiam præstitit opem mixtura quædam ex liquoris anodynæ drachmis duabus, essent. castorei drachma una & spiritus salis ammoniaci drachma dimidia composita, quam in paroxysmo pariter ac extra ipsum sub lunæ mutationi-

bus pondere XL. guttularum bis de die vel solam vel cum pulvere antispasmodico ex aqua liliorum convall. fine vino parata exhiberi justi. Pulveris hæc fuit formula: Recipe Pulveris Marchion. C.C.philol. præp. ana drachmas duas, nitri purif. drachmam unam cum dimidia, succin. præp. drachm. unam, cinnabaris scrupulum. Alvum denique vietu potius lubricante aut passulis rhabbararinis, quam fortioribus purgantibus apertam servandam imperavi, adeoque Dei gratia effeci, ut paroxysmi rariores & mitiores accesserint. Nec dubitamus fore, ut sub horum remediiorum usu diutius protracto, ægra a misero malo liberetur omnino.

EPICRISIS.

Ex hac observatione illud notatum dignum occurrit, quod inter ipsum mensium fluxum, post vehementem iræ affectum delirii facta sit accessio: ut potest experientia saepius me docuit, graves animi perturbationes ante, sub & post menstruorum fluxionem obortas pessimas passiones, imo deliria quoque, si caput natura debile existit, producere. Porro notabile est, quod recidivæ semper cum periodis menstruis in scenam prodierint. Nam tota natura sexus feminini circa mensium fluxum ingentem patitur mutationem, dum motus vitales ad exteriora seu corporis peripheriam tendentes per spasticas stricturas ad interiora potius convertuntur, ut exinde totus sanguinis circulus inæqualis, & improportionatus redditus, ad supernas & internas partes impetuose ruat; unde ingentium symptomatum origo. Quapropter, si in feminis deliria, vel ipsorum paroxysmos avertere velit medicus, necesse est, ut ad periodum mensium reflectat & circa id temporis opportuna remedia, quæ sanguinis circulum æqualem efficiunt & spasticas stricturas consolent, ut fere sunt balnea tēperata & blanda diaphoretica cum nitrosis & antispasmodicis remixta, in usum trahat.

OB.

OBSERVATIO VI.

*Furor
melan-
cholicus
man-
sus.*

Militia præfectus, quadraginta & aliquot annorum, statura valde proceræ, sanguineo cholericus ex familia prognatus, in qua plures mentis quædam alienatione laborarunt; a prima adolescentia strenu compotationibus interfuit & vinum ad ebrietatem usque larga in quantitate ingurgitavit. Sed nibilominus bene valuit; jam vero di-midium effluxit anni, quum ob præmaturum uxoris formosæ obitum in summam conjiceretur tristitiam, ut nullo admisso solamine omnem cibum recusaret & insomnis multas noctes transigeret. Subsequebatur perfecta mentis abalienatio, interdum cum summo furore, qui levi ex caussa irritabatur, conjuncta, ita ut æger in vinculis contineri deberet. Amisso per venæ sectionem, ter intra mensem instituta, multo sanguine & datis nitrofis hic furor quidem remittebat, sed nunquam penitus cessabat. Missus ad me consilii caussa conquerebatur de pertinaci alvi obstructione & assidua vigilia, valde confusa sine ordine gariens, facies erat rubicunda & sanguine turgida. Ordinavi pediluvia temperata singulis diebus ante decubitum adhibenda & pulveres nitrosos aliquoties de die sumendos. Ad alvum aper-tam servandam præscripsi potionem mannatam & ut sæpius æger mane lac recens emulctum biberet. Loco potus ordinarii commendavi aquam puram fontanam, & capiti imponendum suasi epithema, quod aquæ rosarum, ace-ti rosariana uncias duas, nitri purificati drachmas duas, & olei ligni rhodii guttas XII. habebat, tam felici even-tu, ut intra mensis spatiū æger per-fecte convaluerit.

EPICRISIS.

Docet in primis hic casus, quantum in hominum animis corporibusque sibi vindicet mœroris affectus, ob sum-

mum rei dilectæ desiderium in nobis obortus, ita prorsus, ut inde in insa-riam ducantur homines, satis alioquin fani & mentis compotes. Quod qui-dem eo facilie evenire deprehendimus, si quis a parentibus natus est melan-cholicus, vel ipsa mania correptis. Sicut enim, experientia teste, morbi, quibus parentes conflictantur, plerumque traducuntur ad liberos; ita nihil dubii est, quia noster ægrotus naturalem quandam per nativitatem obtinuerit cerebri debilitatem, & ad mentis morbos dispositionem, qua præsente facile fieri potuit, ut data occasione, quæ in hoc casu diuturnus luctus fuit, in ipsam mentis alienationem inciderit. Neque parum profecto ad capitis debilitatem contribuit potuum spirituoso-rum abusus, quibus nihil est ad infen-dendam insaniam potentius. In cura-tione eo potissimum respximus, ut sanguinis impetus a capite divertatur; qui vero quum ab alvi obstructione nunquam non sustentetur, primo om-nium præscripsi laxans mannatum & lac recens emulctum, quod in præsen-ti ægroti insignem alvum laxandi ex-seruit efficaciam.

OBSERVATIO VII.

Honesta hujus loci femina, triginta *Dellitū* & aliquot annos nata, vitæ otiosæ & *melan-* libidinosæ dedita, animo æque ac cor-pore optime semper valuit. At vero, quum marito per inopinatam mortem orbata se coactam videret, ut propter rem angustam domi parce nimis impos-sterum viveret, plena inde luctus om-ne hominum consortium per longum tempus fugiebat. Sat diu itaque mœ-rore cum tacita iracundia juncto presa, gravem incidebat mentis alienationem; siquidem mox præter modum tristis lacrymabat, mox summe hilariis ridebat & puerorum more variis de-lectabatur ineptiis, mox effrenis & temeraria cum adstantibus altercari con-nabatur. In consilium adhibebatur mecum medicus natione Gallus, & cura-

curatio in hunc, qui sequitur modum instituebatur. Præmissa venæ sectione in pede commendavimus balnea temperata quovis die vesperi adhibenda, & emulsionem refrigerantem in ipso insessu capiti eum linteo duplicato applicandam. Deinceps crebrius dedimus, interpositis ad alvum apertam fervandam lenioribus laxantibus, pulveres temperantes nitrosos, atque potui solam aquam fontanam permisimus. Et quum id anni tempus esset, ut cucumeres maturescerent & sale muratico conficerentur, consultum duxiimus, inter cibos crebrius eosdem commendare; & adsumsit quoque ægra tam larga quantitate, ut nihil fere amplius cibi ad sustentandam vitam opus habuerit. Inter haec mense circiter elapso indies major affulgebat spes convalescentiæ, quæ etiam brevi post, divina annuente gratia insequebatur, ita, ut nunc integra tum animi tum corporis fruatur incolumentate.

EPICRISIS.

Nihil profecto magis sanitati est infensum, quam subita quædam mutatio, qualem in nostra ægrœta accidisse deplorandum est, utpote quum lauum vitæ genus simul ac semel cum valde misero commutandi necessitas fuerit. In curatione ex voto obtinenda primo omnium studuimus, ut impetuofus sanguinis eurus a capite ad inferiora convertatur, quod optime præstítimus venæ sectione in pede administrata, & balneis aquæ dulcis, utpote quibus nervosæ imi ventris partes spasmos constrictæ emolliuntur, & summa quoque cutis, quæ frigore teste, constrictione affecta est, relaxatur, ut revocato sanguinis itinere ad habitum corporis, liber ipsi circuitus per universum corpus concilietur. Quod attinet peculiarem cucumerum sale conditorum effectum, de hoc ita judicandum arbitror. Acida ejusmodi salita vegetabilium sensibiles & membranaceas corporis partes facile irri-

tant & vellificant, ut fere videmus intus, ubi nervos pneumonicos ad tussim continuo stimulant; quare veritati omnino videtur consentaneum, ut cursum sanguinis magis promoveant, quam impedian. qui vero quum in melancholicis nunquam non tardus & debilis, maxime per caput, observeatur, opus omnino habet aliquo stimulo, quem dicta vegetabilia optime & sine noxa addunt. Et profecto, si dicere debeam, quod res est, ego adhuc in diversis aliis mente perversis hos fructus deprehendi utilissimos, ut ideo adserere non pudeat, quod optimum sint inter cibos mente ægrotantium condimentum.

OBSERVATIO VIII.

Juvenis, qui vix decimum septimum ætatis annum attigit, temperamento prædictus cholericò sanguineo, excitati alias & prompti ad studia ingeni, per anni decursum profundiori meditatione invenienda machina, quam dicunt perpetuum mobile, dies noctesque defudavit; a patre autem stoliditatis ideo accusatus, & a proposito sub inanis studii admonitione avocatus, in tacitam mœstiam incidit, quæ subitanè incendi terrore adeo increvit, ut in furorem plane transierit; siquidem varia nunc de inventis suis magna & præclara jaçitat, terrificis noctu insomniis agitatus manu horribilia & inepta, quæ vidisse libi imaginatur, longa serie narrat; jam se paralyticum, lunaticum vel a diabolo obsessum ipsumque dæmonem pronuntiat, & diras admodum essecrations evomit, jam mutatis in manusstudinem moribus ardentissimas ad Deum preces fundit perpetuis suspiriis ingemiscens. Præterea febrili pulsuum celeritate & admirando auditus acumine gaudet. Cibum & potum satis quidem bene appetit, nec officio suo alvus deesse animadvertisit. Sed, quod male sperare jabet, est quod malum sine alterna requie continuum.

L. sœviat.

sæviat, nec insignem habeat intermissionem. In tali rerum statu ego consultus venam primo pedis, dein sublingualem aperiri, & pediluvii moderate calidis ægrum immitti jussi, unde furoris vehementia mirum composita videbatur. Dein operæ pretium fecerunt pulveres leniter nitrosi camphora remixti, quos circa somnè tempus assumere æger debuit; nec dubito, quin vis morbi his demum remedis sit obsecutura.

EPICRISIS.

Videmus ex hoc casu, quantum profundæ meditationes ad caput debitandum obtineant potentia, ut quisque graviorem exinde morbum, imo deliria quoque pertimescendi rationem habeat, maxime si alia & hereditariae causæ accesserint. Adsumit æger largum cibum, cui dissolvendo & in bonum chylum & sanguinem transmutando menstruum illud salivale, sine dubio nimio acore infectum, vix paruit, ut nihil dubii sit, quin morbus, ut omnes aliae chronicæ passiones multum inde foveatur.

Plura exempla legantur in Consult. med. Tom. I. Casu. XXXIII. usque XXXVIII.

CAPUT IX.

DE VIRIUM LAPSU ET ANIMI DELIQUIIS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Virium in hominibus. **S**ulla in disciplina medica doctrina clariorem meretur evolutionem, ne nec ea certe est, quæ de corporis humani statu m. viribus agit & causis; siquidem omne, quod naturæ inest robur & energia, qua vitæ animique pariter ac corporis constat integritas, qua morbi tum ar-

centur tum sanantur, qua ipsa denique mors avertitur, unice in viribus, quæ determinata quadam motus efficacia se exserunt, consistere animadvertisit. Sicut enim robusta natura corpusque firmum habendum est illud, quod integris viribus instrutum, non tam facile a causis externis lœditur, lœsum vero vel suo ipsis robore sine insigni medicinæ ope sanatur: ita econtrario imbecillis naturæ indicium est, si quis ob virium infirmitatem variis obnoxius ægritudinibus ex iisdem a medicina non adiutus raro admodum emergit. Quodsi dein morbos inspicimus variosque eorum decursus, simili modo in solis viribus omnis salutis spes videtur posita; quæ enim ubi subito diutiusque succumbunt, de vita ægroti periclitari certissimum est. Quin denique ipsam, quæ morbos sæpe comitantur, malignitatem maxima ex parte in hoc virium lapsu contineri deprehendimus, ita prorsus, ut ex debili hoc statu ad ipsam mortem aditus pateat facillimus, ut pote quæ nil nisi plenaria virium, a quibus vitales in homine motus pendent, cessatio est.

§. II.

Quum itaque tanta virium in nobis opere sit necessitas, ut in corpore tam sano *nos* *Medicorum* conservando, quam morbo perferantur, nihil omnino sine iisdem Medicus *si* *valeat*; sæpenumero mirari soleo, cur in tanta bonorum auctorum multitudine, tantaque medicinæ luce, quæ novo quotidie splendore prodit, tam pauci existant, qui utilissimam hanc in re medica doctrinam paullo accuratius explanassent. Evidem plures hinc inde in Medicorum libris occurrunt de virium causis opiniones, quas alii, qui omnes corporis tam voluntarios, quam involuntarios, vitales & mechanicos motus ad altius quoddam principium referunt, ceu effectum animæ considerant; alii, qui robur & vim motricem solidorum, qua fluida reguntur, ab aereo-æthereo-elasticæ indolis materia mobilissima in sanguine contenta deducent, pro stabilienda sen-

tentia

tentia sua contraria plane argumenta proferunt; attamen, quum nudis hisce nominibus & sententiarum divortiis rem ex merito nondum exhaustam evolutionamque existimem, nostrum de eadem æquum rectumque judicium in præsenti tractatione, ubi de virium defectu animique deliquis acturis sumus, pluribus infra suppeditabimus.

§. III.

Præses factus futurus est novis re fore putamus, primo omnium dispendi perecere, qualis virium ad natura firmam debeat esse conditio. In quo quidem perficiendo, tenendum, quod, licet omnes in nostro corpore functiones tum animales, tum vitales & naturales unico solidorum ac fluidorum peragantur motu; minime tamen, sicut in ceteris rebus corporeis, ab ipsius efficacia & a magna movendi potentia ad insignem virium copiam & abhinc dependentem sanitatis integratatem concludi debeat. Etenim, quum a sapientissimo conditore Deo ita corporis humani constructa sit fabrica, ut viribus ad sanitatem necessariis certus tantum motuum inserviat numerus, certa mensura; facile patet, eam solum robustam & bene valentem naturam esse dicendam, ubi motuum nec nimis excessiva, nec nimis deficiens, sed valde temperata æquabilisque advertitur proportio, cum illa e contrario corpora imbecillibus sint adnumeranda, quæ ex levicausa externa ad perversos motus facile concitantur. Cujus adseri veritas vel exinde plenius poterit intellegi, si effrenes & ad convulsivum usque gradum auctas cordis & arteriarum, reliquorumque membrorum agitations perpendimus; utpote quæ ob summam, quam arguunt, motuum efficaciam nulla unquam ratione pro salutari & sanitati firmando apprime apto robore haberri possunt, sed maximam potius virium jacturam, imo mortis periculum haud raro prænuntiant.

§. IV.

His prælibatis ad virium naturalium subiti lapsus considerationem proprius accedimus, cuius tria præcipua dantur ^{animi} ~~deliquos~~ ^{mores} ~~umbras~~ genera. Primus gradus in notabili vi- ^{dus} riū corporis remissione consistit atque his potissimum cognoscitur criteriis: si insignis & insueta corporis lassitudo membrorumque ad voluntarios motus subeundos observatur inertia, si sensuum torpor, appetitus prostratio, inquietudo & circa præcordia anxietas, debilitas pulsuum & raritas extre- rumque refrigeratio adest & gravitas. Alter, qui priori major est gradus ob majorem corporis animique virium defectum dicitur lipothymia, quæ cum faciei, labiorum & generum pallore omniumque sensuum stupore, ut, quidcum ipsis agatur, plane non sentiant ægroti, adoritur. Tum quoque oculorum claritas, obductis quasi tenebris obscuratur, arteriæ admotam manum exiguis feriunt pullibus, corpus prosternitur & partes extremae naturali destituta calore intensius frigent. Tertium demique, sed pessimum gradum constituit syncope, qua homines correpti adeo animi corporisque viribus deficiunt, ut mortis imaginem sstant; siquidem omni sermonis usu privati subito corrunt, alto quasi sopore oppressi absque convulsionis aut tremoris apparentia immobiles jacent; respiratio & pulsus intercipitur, artus refrigescunt & collabuntur, facies est Hippocratica & copiosus sudor ad tatem frigidus circa tempora erumpere deprehenditur.

§. V.

Superatis tam lipothymia quæ syn- ^{Patronym.} copies accessionibus sensus inrer alta su- ^{morum} spiria paullatim redeunt, cordis motus restituitur ideoque pulsus, qui antea valde debilis aut plane absconditus erat nunc vegetior erectiorque redditur, anxietates evanescunt, in partes extremas calor redit, facies contracta & pallida explicacione fit & rubicundior, imo & reliquæ functiones suppressæ sensim sensimque eriguntur, ut, qui

pridie mortui habebantur ægri , nunc integra frui sanitatem videantur , nisi adhuc de insigni artuum corporis que universi lassitudine & imbecillitate querantur .

§. VI.

*Signa antece-
dentes.* Ut ut autem subito & præter omnium opinionem gravia hæc mala accedant , sunt tamen , quæ illorum adventum prænuntiant symptomata , quorum potissimum sunt : totius corporis languor & insolens virium infirmitas , vertigo , aurium tinnitus & subitanea coloris in facie permutatio . Præcedunt quoque in nonnullis oscitationes , pandiculationes & circa præcordia anxietates , cum pulsu inæquali ac horripilationis sensu ; quibus nonnunquam abdominis a flatibus distensiones & borborygmi junguntur .

§. VII.

*Differen-
tia anti-
cipata.
mi deli-
quiorum.* Ex dictis jam haud difficulter colligitur , quo modo præcepis virium lapsus animique deliquia ab aliis se passionibus distinguant & a medentibus cognosci possint ac debeant . Differunt enim pri-
mo omniū ab epilepsia , in qua qui-
dem leviores animi defectiones antece-
dunt , quam corporis moles convulsivis
plexia . agitatur motibus & contractionibus ,
quæ tamen ad lipothymiam usque nun-
quam adscendent . Different deinde ab
2) a suf. 3) a suf. apoplexia , ubi sub sensuum tam exter-
focatio- ne hysteri- norum quam internorum abolitione
rebs. arteriae satis adhuc fortiter pulsant &
respiratio , licet ægerrima , cum sterto-
re remanet ; quæ phænomena in sim-
plici animi deliquio non silentur . Di-
screpant denique a suffocatione hysteri-
ca . In hac namque eximia quidem sen-
suum advertitur perturbatio , sed fau-
ces simul summe angustantur & laqueo
veluti strangulantur , arteriae fortibus
agitantur motibus & facies vivido im-
buta rubore conspicitur ; quæ omnia ta-
men contrario plane modo se habent in
animi deliquiis , ut videmus , si synco-
pe , quod saepius accedit , præfocationi
uterinæ jungitur . Tum enim dictorum
symptomatum inopinata fit immuta-
tio :

§. VIII.

Quod attinet subjecta hisce affectio- *Subjecta*
nibus præ ceteris obnoxia , attenta nos *animi*
docet experientia , eos potissimum ho- *delli-*
mines in easdem incidere , qui aut *galorū :*
phlegmaticam & torpidorem obtinent
naturam , aut ob teneriorem vasorum
& fibrarum texturam habitus corporis
sunt spongiosi sanguineque & succis
pleni , nec non qui molliter in otio edu-
cati labores nisi ægerrime ferunt & a
levi causa externa , ut ab aeris vel fri-
gidioris vel calidioris temperie , a me-
dicamentis , quin alimentis , vel solo
ingrato odore facilius alterantur . Et
quum ingens semper corporis inter &
animi functiones a sanioribus Medicis
adnotetur conspiratio , nec illos ab hisce
affectibus immunes deprehendimus ,
qui ad impetuofas & præcipites animi
commotiones , ad iram , impatiens
metum , variisque confusas
imaginaciones proni existunt . Unde
jam in proposito est ratio , cur respe-
ctu ætatis præ juvenibus pueri & senes ,
& , si sexum respicimus , feminæ magis
quam viri magno virium defectui
& deliquis sint expositæ , quæ eo cer-
tius eveniunt , si feminæ utero gerunt ,
nimis tum per mensum tum lochiorum
fluxum hæmorrhagiis debilitatæ sunt ,
vel difficiili partu laborant .

§. IX.

Quodsi nunc ad ipsam causam ani-
mum advertimus , hanc in sanguinis *Causa*
ejusque motus virtus ponendam esse , *animi*
nemo saniorum Medicorum est , qui *qutorū*
in dubium vocabit . Quemadmodum *presentia*
enim , si sanguinis temperati & suf-
ficientis in singulas partes liber æqua-
bilisque influxus & hinc debita li-
quidi spirituosi per omnes nervos
distributio fuerit ; omne virium ro-
bur , per quod functionum , sive ani-
malium , sive vitalium & natura-
lium vigorem intelligimus , quam
optime constat ; ita e contrario ,
ubi virium , quæ per imminutas
omnis generis functiones se mani-
festat , insignis animadvertisit de-
jectio , ibi liquidi tam arteriosi
tum

tum nervosi vitium subesse rectissime concluditur. Jam vero rursus in physiologia medica satis superque monstratum est, quod omnium fluidorum per corpus progressus & in organa influxus a solo corde, quod primum in nobis movens ultimumque moriens, seu suprema illa machina est, quæ motu suo omnes reliquas animat partes, unice dependeat; quare nihil dubii est, quin & corporis prostrationis & animi deliquiorum causa ab ipso cordis motu vel imminuto, vel prorsus cessante recte deducenda veniat. Qua quidem in re plenius confirmamur, si rite perpendimus, essentiale & characteristicum lipothymia & syncopes signum præbere pulsū valde exiguum, vel plane interceptum, utpote qui cordis motum indicat luculentissime.

§. X.

*Cordis
structura
et aera
tomica.* Quum itaque a cordis motu tanta, si non omnia, in nobis dependant, haud supervacaneum erit, utilissimum hunc motum secundum causas suas naturales concinne quidem sed accurate exponere. Cordis substantiam musculosam esse non modo jam vetustissimi HIPPOCRATIS sententia, verum etiam omnium, qui nostra aetate inclauerunt, anatomicorum adsertio est. Quodsi enim ea, quæ ad musculosam fabricam ullo modo pertinent, rite pensis tam; omnia profecto in cordis structura simili modo deprehendimus. Adest hic tendo satis validus in basi cordis vasa cingens, qui uti in omnibus musculis, ita & hic principium motus atque finis existit, cuius progenies tum vena cava, tum in primis arteria magna rectissime statuitur, in quem duplicit generis fibræ tam mirabili dispositi ordine inseruntur, ut musculum biventrem aptissime consti-
tuant. Fibrae enim exteriōres in modum cochlearum conum involventes in oppositi lateris tendinem dextrorsum, interiores inverso inseruntur ductu. Quid? quod præter has communes cuilibet ventriculo propriæ sunt fibræ, quarum internæ itidem contrario mo-

Tom. IV. Pars IV.

do procedunt atque pro validiori sanguinis in universum corpus ejusque maxime remotas partes propulsione sinistro ventriculo & copiosiores & robustiores; dextro vero præ sinistro eius minori ventriculo in vicinos tantum pulmones flaccidae rarioresque obtингunt. Harum præterea fibrarum idem cum aliorum muscularum fibris motus est atque contractio, quæ in abbreviatione consistit, ut tantum in latitudine adquirant, quantum in longitudine amittant, ideoque semper conus basi fiat proximior; unde etiam non tantum externe, verum etiam interne præcipue tumor observatur. Hinc cum auriculae ventriculorum contrahuntur, parietes se invicem tangunt, & ita contentum fluidum expellunt. Nervi quoque dein omnibus muscularis animam vigoremque largientes in basin cordis vasorumque radices, quas tendines cordis esse jam ante dictum est, implantati sunt octavi scilicet & intercostalis paris surculi, ut de arteriis venisque coronariis, quæ magna copia per musculosam cordis compagm distributæ cordis motum egregie adjuvant, nihil dicamus.

§. XI.

Moveri itaque cor ipsa ejus fabrica ipsumque sensus fidem faciunt. Duplex autem est motus dilatationis, quæ præcedit & a Græcis diastoles nomine insignitur, qua cordis ventriculi distenduntur, & fibrae parietes versus elongantur, ut sanguis ex auriculis in eosdem influere possit, & constrictio, sive systole, qua fibræ contrahuntur & instar machinæ hydraulicæ sanguis in canales arteriosos & ex his in venosos, ex his autem rursus in auriculam dextram urgetur, ut hac ratione circulatio perficiatur.

§. XII.

Hæc dum meditamur, dubium quod-diastante non adeo exigui enascitur momē-
nde de-
ti: num diastole cordis a sanguinis illa-pendat.
bentis vel distendentis copia promoveatur. Neque tamen, a solo sanguine sim-
plicem & spontaneam hanc dependere

restitutionem, arbitramur, eo quod manum fortiter prementem æque ac systole eludat, quale quid a sanguinis impetu fieri haud suspicandum est, maxime quum etiam evulsa omniue liquore vacua piscium corda diastrolen non minus quam systolen diutius adhuc exhibere animadvertisimus. Multo magis illam tam a fibrarum hujus mirifici musculi diversis ordinibus quam a liquidi subtilioris elasticis, quod nervi ve-hunt, sanguinisque spirituosi influxu oriri probabile est. Quod vero nerveum fluidum in cordis fibras influat, vel notissimo WILLISI & LOBERI experimento constat, quo nervis in cer-vice octavi paris dissectis & iis qui a plexu intercostali orientur ligatis, sanguineque in musculosam cordis substantiam intercepto cor omni motu de-stituitur. Ut adeo certissimum sit, quod tam ipse sanguis motu intestino calido & particulis aereo-æthereo elasticis imbutus, quam liquidum nervorum hunc dilatationis actum egregie adjuvet. Id quod vel ex hoc experi-mento clarius eluiscit, quod medianante calore pulsus cordis in animali defi-ciens, si aqua calida foveatur, ad mo-menta revocari possit.

§. XIII.

Objetio. Quæ omnia licet tam clare perspi-cueque pateant, ut in dubium vocari tra-mo- nequeant; sunt tamen nonnulli, qui sum cor-hanc de motu cordis doctrinam, qua disrefel-luditur. illud primum movens statuimus, im-pugnare audent, existimantes, em-bryoni jam prius quam cordis absolute fabricatio, punctum quoddam sa-liens seu cordis inesse rudimentum. At vero aliam longe rationem esse judico animalis formandi & adhuc imperfecti, & formati omnibusque suis partibus in-structi & in lucem editi, ut ideo ab upo statu ad alterum argumentatione pro-cedere vix liceat. Huic enim bullulae seu compendio inclusus est spiritus ille architectonicus, qui motui quidem per se citra multa organa expandendo & quaquaversum partes extra partes fabricando sufficit in animali vero per-

fecto nonnisi organorum beneficio per-ficitur.

§. XIV.

Exposita sic cordis structura & natu-rali constitutione evolutoque genuino ejus usu & officio: facilis nunc via est ad præternaturale statum pernoscen-dum & ad veram tam lipothymia-^{Difini-tio syn-copi & lipothy-mia.} quam syncopes, quæ omnis ævi Medicorum consensu cordis vitiato motu nituntur, definitionem sistendam. Est itaque syncope motus cordis ad tempus sufflaminatio cum ingenti virium & tam animi quam corporis functionum defectu, ab impedito, vel minus suf-ficienti liquidi spirituosi per nervos & sanguinis probe temperati per vasa co-ronaria in musculosam cordis substan-tiam influxu dependens. Neque mul-tum differentem exposcit definitionem altera animi deliquiorum species lipothymia, utpote quæ nisi gradu, dum non in prorsus sublato, sed tantum ni-mis debili cordis motu consistit, a syn-cope nihil differt.

§. XV.

His præmissis, videamus nunc, *Conse-quæ ex caussis mediatis ad ferales hosce mediatæ mōrbos inducendos suum conferant sicut symbolum.* Quum vero, ut satis ex *Prægesi si mōrbis* superioribus liquet, proxima deficien-tis, vel plane cessantis motus cordis caussa in denegato, vel minus recte se habente fluidi nervosi & laudabilis san-guinis influxu contineatur, sequitur, ut ad duo hacce momenta animum potissimum adplicemus. Ita primo om-nium certa experientia fide constat, eos, qui capitis nervosique generis im-beccilitate laborant, qui dolores gra-vativos, vertigines auriumque tinni-tus cum frequenti coryza, gravedine, oculorum caligine & somno turbulen-to patiuntur, ob liquidi, quod ex ce-rebro in nervos dispergitur, subtilissi-mi penuriam pravamque diathesin non modo virium summo languori, sed & ipsis animi deliquiis corripi facillime.

§. XVI.

Nihil autem prope ex omni causa-^{Animi} rum serie vehementius celeriusque no-^{efficiens} stratos

stros inducere morbos valet, quam graviores animi perturbationes, præfertim terror panicus, metus, & tristitia. Quamvis enim motus vitales & mechanici, cujus generis sunt cordis & arteriarum aliorumque humoribus tum fecernendis, tum excernendis dictatorum canalium, nec non ventriculi & intestinorum motus, a principio in nobis sentiente & intelligente, quod anima nomine venit, directe & proxime non dependeant, sed motus potius voluntarii ab eodem, licet modo nobis incognito, dirigantur; id tamen attenta nos docet observatio, propter exiamam, quæ voluntarias & involuntarias functiones intercedit harmoniam, miram animi affectuum in motibus nostri corporis vitalibus pervertendis esse efficaciam. Hinc, si terroris, qui vitali motuum œconomiae infensissimus est, agendi modum accuratius inspicimus, ita ipsum comprehendimus comparatum, ut partes externas constringendo nimiam sanguinis ad cor & adnexa vasa congestiō nem inferat; unde preſſo, ut ajunt, pede extre morum refrigerationes, ingens artuum gravitas ac languor, circa præcordia anxietas, cordis palpitatio, & magna spirandi difficultas cum pulsu parvo & contracto sequuntur; quæ omnia eo certius accidunt, si abundans sanguinis copia peccaverit. Nec profecto minor formidinis & obinstans grave periculum tristitiae in corpus nostrum potentia est; quandoquidem liquidi nervosi in singula motuum organa influxum minuendo aquabilem sanguinis progressum maxime retardat & quo minus spirituosa ejus portio recte evolvatur, impedit; ut ideo haud mirum videri debeat, si ingens animi corporisque virium dejetio inde emergat, quæ longe gravior est in subjectis languidis aut a quacunque causa, ut prægresso morbo, jam antea debilitatis.

§. XVII.

Posthæc haud paucæ supersunt ea-
rum rerum, quas non naturales appellati.

lamus, quæ ad affectus nostros contrabunt. Ex quibus primum sibi vendicat locum incongrua vietus ratio. Sicut enim alimenta bono succo referta & decenti quantitate assumta sanguini bono & lymphatico, qui viribus pabulum suggestit, generando apprime apta existunt; ita e contrario cibi crudiores & qui parum præbent nutrimenti, vel ipsa inedia diutius protracta ad virium defectum & animi deliquia plurimum afferunt momenti. Præter vi-
tum, aeris quoque temperies caussam nostris malis præbet antecedentem, quæ si frigida nimis & humida, aut intensius calida multisque impuris exhalationibus repleta est, corporis vigorem mirum in modum lœdit. Pertinent huc pariter assiduae vigilie diuturnique & duri labores, quibus ob continuam solidorum & fluidorum actionem spirituosa & subtiliores partes dissipantur, sanguinisque massa intemperie redditur, ut exinde, experientia teste, omnes in nobis functiones languescere incipient.

§. XVIII.

Frequentissime porro animi contin-
spacient deliquia, si sphacelosa in partibus
vel externis vel internis adparet cor-
ruptio, qua vitali motuum œconomiae
nihil datur perniciosius. Id quod non
modo morbi maligni & contagiosi, ut
petechiae, dysenteriae, febrefque pe-
stilentiales, verum etiam chronicæ,
quales potissimum sunt scorbutus, ca-
chexia & hydrops suo comprobare
exemplo possunt, ubi, ingruente pu-
tredinosa corruptela, mox omne na-
ture robur cum cordis motu vacillat.
Nec dissimilem edunt efficaciam opia-
ta & narcotica, improvide adhibita,
quorum operandi ratio in eo præcipue
versatur, ut effluviis sulphureis mix-
tioni & mobilissimæ fluidorum sub-
stantiæ inimicis hæc ipsa ita contami-
nent, ut munere suo secundum natu-
ræ leges amplius fungi vix queant.
Sed præter hæc quoque, quod miran-
dum est, suaveolentia, naturæ alio-
quin gratissima feminis hystericis,

ab alio quounque morbo debilitatis, corporibus eo usque adversa deprehenduntur & nociva, ut ex eorum usu omnia in pejus ruant symptomata & agri syncope correpti exanimes quasi in terram concidant. Cujus notabilis effectus ratio, nostro quidem judicio, in eo videtur posita, quod fortiora ejusmodi odorifera vim fluidi nervae elasticam a prioris morbi atrocia jam satis imminutam, vaporosa indole sua magis magisque supprimant, haud alio modo quam castorina, quæ pro diversa fucci nervosi & fibrarum constitutione valde differentem, & nunc bonum nunc malum producent effetum.

§. XIX.

Venena, Nec dein negligenda sunt ipsa purgantia, vel validiora causticaeque in dolis purgantia & emetica, quæ ob valentiores, quos in universo partium nervosarum systemate maximeque sensibili intestinorum canali crimpando contorquendoque concitant spasmos æquabilem sanguinis & subtilissimi fluidi in singulas partes influxum impediunt adeoque ingenitem, quin saepius lethalem virium lapsu accersere valent. Et ex eadem caufa fieri observamus, quod insignis & ad syncopen usque aueta animi defectio morbos cum immanni dolorum ferocia stipatos haud raro excipiat, quale quid pariter post graviorem iracundiam affectum minus insolitum est; unde hanc syncopes speciem veteres medicinæ auctores peculiari nomine cardiam vocare consueverunt. Hujus namque affectus licet ea sit natura & indoles, ut exitiale vim suam in ductus biliarios præcipue exferat; fieri tamen non potest, quin ob eximium, qui hos ipsos cum ventriculo, pulmonibus & corde, propter par nervorum octavum & commune par vagum, intercedit consensum, simul omnes hæ partes sensibiles graviter spastmo afficiantur.

§. XX.

Sæpiissime non minus animi deliquiis confluantur, quorum vires a prægressis nimis hemorrhagijs & quibuscumque fortioribus excretionibus debilitæ sunt. Tali ratione sæpen numero adnotare mihi licuit, homines venere immoderatus usus sensim in lipothymias, quin syncopticas incidisse affectiones. Et quid frequentius, quam a copiosis per sudorem & alvum evacuationibus, improvidis vena sectionibus, cruentis vulneribus aliisque nimis sanguinis profusionibus, maxime si non præstante ope succurritur, eadem mala oriri. Nec deficit ratio: quam enim his rebus non modo sanguinis subtilior portio, quæ virium elementum constituit, exhaustur, sed & præcipue ipsa fluidorum moles imminuit; haud mirum est, si cordis ceterorumque vasorum dilatatio, quæ cum systole alternare debet, inde impeditur, adeoque ipse cordis motus intercipitur; quo cessante formalis mentis defectio num ratio adesse deprehenditur. Quod eo crebrius certiusque incidit in subjectis teneriori constitutione præditis, aut in situ erecto diutius repositis. Tunc enim sanguinis ad caput directio longe magis præscinditur.

§. XXI.

Pari ratione motum cordis debilitate sumnumque inducere languorem valet nimia repletio, quæ fanguini spillo & viscido in acceptis ferenda est, quatenus hic per angustiores vasorum coronariorum canaliculos difficulter progrediens ibi coacervatus & cordis & vasorum systolen imminuit. Nihil autem, quod perplurimis constat exemplis, ad lethalem syncopen magis disponit, quam polyposa humorum concretio cavitatibus cordis & contiguis vasis adhaerens. Hæc enim concrementa dum mole sua obstruente sanguinis per universum corpus circuitum afferunt; necesse est, ut, non remoto ejusmodi repagulo, lethalis fiat exitus.

§. XXII.

§. XXII.

signa His expositis superest , ut nostro-
rum affectuum prognosin ad rectum de-
prognosia & eventu salutari & noxio judicium fe-
dicta . nista . rendum subnectamus . Hic notari ma-
xime velim , pro naturarum & cauſſa-
rum diversitate & periculum quoque
multum variare . Ita , qui teste HIP-
POCRATE aphor . 41 . Sect . II . ſaþe
fortiter & ſine maniſta cauſa diſſol-
vuntur , repente moriuntur . Subeft
enim plerumque polyposum cordis &
pulmonum vafis firmiter impactum
coagulum , quod diſiectis cadaveribus
reperiſe licet . Lethiferam quoque ut-
plerumque syncopen obſervavimus ,
quaæ poſt partum laboriosum , ubi fe-
minæ ab imprudenti obſtetricie ad in-
tempeſtivos parturiendi conatus ad-
hortatae nimium delaffantur , & im-
moderatum ſanguinis per lochia pa-
tiuntur profluviū , haud raro ſubſe-
quitur , qua correptæ copioſo ſudore
frigido cum extremorum frigore per-
funduntur ; auram frigidam exſpirant ,
pallido faciei colore imbuuntur & nul-
lis plane remediis ad vitam revocari
poſſant . Neque periculo caret illa syn-
copes species , quaæ feminis strangula-
tione correptis ſupervenit , unde ipſas
ſaþe pro mortuis habitas & ſepulturæ
traditas novimus .

§. XXIII.

que al- Porro quoque ingens virium in mor-
marius re- bis malignis , ut acutis febribus , pro-
unſen- stratio & inter initia ſtatiſtis facilis in
im. animi deliquia , ſub ſtatione maxime
erecta , proclivitas in diſcrimine vi-
tam poni , ſignum certiſſimum eſt .
Nec boni ominiſis eſt ſola iſueta animi
defectio , diſſidentia & menti altius
iñfixa mortis formido , licet animus
præterea tranquillus beneque compo-
ſitus ſit , præſertim ſi in acutis jungi-
tur delirium , & languida respiratio
cum notabili pulſum vel parvitate
vel tremula palpitatione . In variolis
quoque confluentibus ubi ab intolerabili
ardore & dolore , ſuppuracionis
tempore lipothymia , quod ſaþius fit ,
oritur , ægri , præſertim ſub ſitu co-

poris eretto in praefentissimo viṭe pe-
riculo verſantur . Tum enim mox to-
tum corpus refrigeratur , cutis con-
ſtringitur : buſtulae diſparere & mox
lethiferæ ſuccedere convulſiones fo-
lent . Deinceps in homine ob alias
cauſas jam debilitato poſt vehe-
menciam iram , aut fortius emeticum
vel purgans exhibitum syncope ſubor-
ta , niſi in instanti convenientibus ſuc-
curratur remediis , lethalis evadit .
Quodſi denique in pueris a vermis
nervos ventriculi tunicas lacinanti-
bus syncope enaſcitur , plerumque fu-
neſta eſt ; & vidimus brevi ante mor-
tem tempore vermes e ventriculo pro-
deunteſ mortuos .

§. XXIV.

Animi & virium defectio , quaæ hy-
stericis & hypochondriacis jungitur *Prognosia*
pathematisbus , ubi a flatibus ventri-
culum nimis diſtendentibus ſanguinis
ad cor & pulmones fit regurgatio , cu-
rationi locum adhuc relinquit . Ubi
etiam a cauſa externa , ut nimio con-
clavis æſtu , balneo intensius calido ,
vel nimia ſanguinis e vena ſedra detrac-
tionē , præſertim in feminis & pueris
corporis iñſignis languor vel præceps
animi virium ſuboritur lapsus , non
adeo timendum eſt . Et in genere no-
tandum : quo levioribus cauſis &
morbis animi deliquia ſuccedunt , eo
minus alunt periculi .

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

Q uod attinet curationem , hæc
duabus potiſſimum indicationi-
bus absoluitur , quarum prima
eſt , ut in ipſo paroxysmo motus cor-
dis , qui caloris vitalis omniumque vi-
rium fons eſtit , per convenientia &
efficacia remedia citiſſime reſtituantur ;
altera , ut extra paroxysmum cauſis
tollendis accommodata invenire reme-
dia , atque recurſum periculofa af-
fectionis impideſtudeamus .

§. II.

§. II.

Quæ in paroxysmo propter tertianam. Primæ itaque indicationi ut satisfiat, in accessione mali ægrum in convenienti situ eoque nec nimis demissio, nec nimis elato in loco sereno, temperato ac spatio servare decet; dein ad influxum spirituum invitandum remediis externis penetrante virtute præditis partes sensibiles irritare & animare convenit. Quo fine præ ceteris prodest, si aqua frigida tota facies superfunditur, labia sale communi fricantur, naribus potens acetum cum balsamo vitae seu aqua apoplectica adplicetur, vel ipsis sal volatile Anglicanum, quod nil nisi sal volatile ammoniaci cum oleis cephalicis rutæ, menthæ, lavendulae imprægnatum est, adhibetur. Nec quoque de nihil erit oculorum palpebras cum aliquot aquæ spirituosa f. balsami vitae guttulis illinire, totamque pectoris regionem & reliquas partes extremas pannis calidis aqua quadam roborante imbutis fortiter fricare.

§. III.

Quæ in tertiana. Quodsi demum his adhibitis ad se redire incipiunt ægri, interna quoque remedia refocillandis viribus dicata exhibere convenit. Hoc nomine præclarus usus est vinum optimæ notæ, maximeque vetus Rhenanum, quod omnium fere virtutem superat longissime. Neque egregio effectu destituuntur aquæ spirituosa & aromaticæ, ad quas præcipue aquæ cinnamomi liliorum convallium, rosarum, melissæ, corticum citri, aurantiorum cum & sine vino paratæ debent referri.

§. IV.

Quæ in paroxysmum conditum. Quicunque extra paroxysmum medula subvenire & novos mali insultus conditum avertere cogitat medicus, diversas caussas probe prius cognoscere, iisque media amoliendis accommodare debet præsidia. Ita, si a sævitia dolorum & graviori iracundia affectu syncope originem repetit, præsentaneum ferunt levamen blanda anodyna, maxime si cum aquis analepticis, non adeo spirituosis sed aliquid simile anodynæ in sinu

foventibus propinuantur. Ex illis autem summæ efficacia est liquor noster anodynus mineralis aliquot olei macis guttulis imprægnatus, vel cum duabus essentiæ castorei partibus remixtus. Spectant huc quoque Laudanum Sydenhamii & pulveres antiepileptici, ut Marchionis cum uno altero grano castorei vel theriacæ cœlestis permixti; quorum remediorum usum tutissimum deprehendi. Ubi ab humore acido bilioso in primis viis stabulante partesque nervosæ arrodente, quod in hypochondriacis frequentius usu venit, syncope cardiaca nascitur, in usum vocandi sunt pulveres absorbentes, qui ex conchis præp. matrem perlaram, corall. lapidibus cancrorum, unicornufoſſili, crystallo montana, additis quibusdam olei de cedro guttulis optime conficiuntur, quibus, urgente æstu præternaturali, aliquo nitri purificati grana pro dosi adjici possunt. In syncope hysterica & hypochondriaca, cylsteres & medicamenta ex galbano, castoreo, ala fœtida, sagapeno & myrrha confecta convenienterque adhibita omne in curatione absolvunt punctum.

§. V.

Quodsi vero sub nimia per alvum & vomitum evacuatione a validis purgantibus & emeticis excitata animi invadunt deliquia; tum præter theriacalia, anodyna & analeptica lac calidum, vel decoctum hordei cum amygdalis, vitello ovi & croco paratum & sufficienti quantitate haustum virtute sua demulcente mirabilem præstat efficaciam. Ubi etiam a veneno caustico gravioris periculi metus est, eadem remedia eximiam spondent opem, maxime si cum largiori olei amygdalorum dulcium expressi, vel olivarum copia propinuantur. In morborum malignitate, ubi ob occultam putredinem animi obrepit defectio, mixturæ, quæ analeptica & bezoardica pollent virtute, omnium sunt præstantissimæ: quales confici possunt ex aquis cardui benedicti, scordii, cinnamomi sine vino,

vino, rosarum, melissæ citratæ, mixtura simplici, aceto vini & syrupo acetosatis citri, quibus pulvis bezoardicus Sennerti, vel noster justa proportione est admiscendus. Quodsi ob sanguinis boni inopiam a nimia ejusdem profusione inductam vires consumtæ sunt, easdem præter temperatiora analleptica, maxime omnium reficere decet alimentis nutrientibus & succos restituentibus. Quo nomine summam merentur commendationem juscule carnium gelatinosa vitulinæ, bovinæ gallique veteris per decoctionem cum rasura cornu cervi, taleolis citri, pauxillo macis & aliqua vini portione in olla cooperata parata; quo etiam pertinet potus succolade. Denique solum vinum generosum & annosum parca manu datum in tali casu omne absolvit punctum.

CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.

§. I.

*Ceratio debilita-
tis op-
plasti-
& de-
fensivae.
li-
bus.* Interest certe quam maxime ad curationem provide & secure adornantissima dam, ut inter lassitudinem gravatissimam seu oppletivam, quæ ab humorum plenitudine & expansione obtinet; ac inter debilitatem defectivam, quæ a boni sanguinis & succi nervei penuria proficitur, probe distinguat artifex, ne spe & eventu fallatur. Introque casu alia subest caussa; ergo & alia prescribere decet remedia. Quæ enim in priori, seu repletionis statu salutaris est sanguinis & vena secta detractione, in posteriori, ubi sanguis jam deficit, ideoque magis restaurandus est, mirum in modum nocet. Posthac quoque probe discerni debet illa virium debilitas, quæ ab animi affectu, ut longiori tristitia & diu celata iracundia, vulgo Chagrin dicta, provenit, & quæ materiali caussæ in acceptis ferenda est. Prius enim si incidit remedium maxime querendum est in moralibus, atque iis omnibus, quæ ani-

mut lœtum & tranquillum efficere possunt.

§. II.

De venæ sectionis administratione hæc speciatim sunt monenda, quod ipsa quidem, ubi cordis motus a nimia sanguinis congestione, quam saepissime vehementiores intestinorum spasmæ producunt, supprimitur, & vasa in superioribus valde turgent, omnino locum invenit; nunquam tamen in ipsa mali accessione celebrari debeat. Major enim exinde languor inducit longiusque malum protrahitur. Par ratione frustraneum non minus, quam periculosum ast lipothymia affectorum spiritalium in periculus infundere, quia liquida spirituosa infundere, quia facile in fistulam spiralem incident & suffocationem minantur.

§. III.

Quodsi a mensibus suppressis, vel imminutis lipothymia oriuntur, summa cum cautione adhibenda sunt emmenagogæ, eaque potissimum impetuosis commoventia, ut balnea salinata, crocata, & id genus alia; facile enim morbus ob majorem, quam humoribus inferunt, rarefactionem, magis ingravescit.

§. IV.

Virium dejectio, quæ gravioribus morbis, ubi ægri jam ex sua natura imbecilliores sunt, supervenire solet, malum plerumque portendit exitum, quare, ut tempestive convenientibus succurramus remedii, monet quam maxime elegans illud veterum proverbium: principiis obsta, sero medicina paratur.

Multo magis autem cavendum erit, ne in acutis passionibus, maxime si in vigore sunt constitutæ, iis utamur remedii, quæ ad purgationes aliasque excretiones stimulando naturam ullo modo irritare & turbare possunt. His enim necessarie ad morbum superandum vires magis consumuntur, quibus consumatis nihil amplius opis, nihil artis in medico est. Ideo mihi quam maxime placet aurea illa regula FERNELII lib. 11. cap. 10. exhibita,

quæ

quæ ut probe teneatur auctor suasorque sum : *Validis constantibusque viribus fidenter, quantum morbus desiderat, erit vacuandum; minus validis vel prostratis nihil prorsus moliendum.*

§. V.

*Circa specifi-
ca cor-
dalia
& medi-
cinae.* Præcipua illa, quæ per tot sœcula pro summis cordialibus & specificis anal- lepticis in omni virium lapsu ad super- stitionem usque venditata fuerunt re- media, qualia sunt margaritæ, lapi- tares, des bezoardici orientales, os de corde cervi, lapides quinque pretiosi &c. virtutem aliorum diaphoreticorum fi- xorum & absorbentium minus supe- rant, ut potius iisdem longa ex parte inferiora habenda sint. Idem judicium esto de medicamentis ex auro paratis. Quæ enim auro tribuitur virtus cordia- lis & analeptica, nostro quidem judi- cio, vana & superstitionis est jactantia, quæ simplicissimam vulgi medicorum & ægrotantium credulitatem arguit luculentissime. Ut silentio prætere- amus, quod omnem fere superet fidem, aurum ad dulces & quintas essentias alla arte chymica posse redigi.

§. VI.

Circa vi- Vinum, præsertim vetus Rhena- nū, quod propter acidum spirituo- sum omnibus reliquis analepticis longe est præferendum præter internum usum superiori loco præscriptum, ex- terius quoque naribus & præcordiali regioni applicatum, ad vires reficien- das præsentaneum est auxilium. Quin etiam animi deliquia, quæ subjectis sensibilioribus inter venæ sectionis ad- ministrationem haud raro obtingunt, feliciter arcentur, quando ante opera- tionem modicus optimi vini haustus adsumitur.

§. VII.

Circa aque frigida po- Residet quoque in aqua pura frigida, opportune exhibita summa vis anal- leptica, maxime ubi ob nimium vel in- ternum vel externum æstum sanguinis que rarefactionem, pereunte virium robore, lipothymia accedit. Id quod suo jam tempore rectissime agnoscit CELSUS, qui ideo lib. IV. de medicina,

cap. 5. frigidam aquam ad corrigenda stomachi vitia summopere commen- dat; & PLINIUS secundus, cui sto- machus natura imbecillis & frequenter intus æstuans erat, se aqua frigida cum insigni sapienti fructu usum testatur. Vid. Epist. XVII. lib. VI.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

JUvenis quidam corpore macilentus, *Lipothy-* vultu pallido præditus, a longo *mias in hypocho-* jam tempore, ob studiorum *in- delaco* temperantiam, vitamque sedentariam *someteri* & nimiam ciborum duriorum & flatu- lentorum adpetentiam contractum pa- turit malum hypochondriacum, quod multis ructibus, hypochondriorum distensionibus, imi ventris tormini- bus, cephalalgij & insigni artuum lassitudine satis se manifestat. His de- dum malis juncta est post præviam pectoris compressionem cordisque pal- pitationem ipsa lipothymia, qua ex- trema collapsa retrigescunt & pulsus parvus & debilis manum levissime vi- brat. Ego consultus in mali accessione enemata ano injicienda & balsamum vitæ nostrum externe naribus & præ- cordiis admovendum curavi. His ubi ad se rediit æger, essentiam carmina- tivam & essentia cordicum aurantio- rum, spiritu nitri dulci & aliquot olei chamomillæ veri guttulis confectam propinare ejusque usum sapienti repetere jussi. Tandem, ut a cibis crassioribus æger abstineat, & largiori potu, quem antea neglexerat, imposterum utatur commendavi. Quibus probe observa- tis animus non amplius liquit, maxi- me quoniam postea specialiorem mali spa- smodici flatulenti curationem æger ad- mittetur.

EPICRISIS.

Lipothymias viris hypochondriacis & feminis hysterics admodum esse fa- milia-

miliares, nemo facile, qui in artis negotio versatur, negabit. In utroque affectu ex solidarum partium atonia orto copiosa flatuum in prima regione progenies vera plurimorum symptomatum genetrix est. Flatus enim nimia membranarum ventriculi & intestinalium distensione liberam & aequalibem sanguinis & fluidi nervae distributionem non modo impediunt, verum etiam sanguinis ad pectus & praecordia cursum dirigendo motum cordis vitalem quodammodo sistunt. Et vero admodum simile est, vaporosum ejusmodi aerem cum chylo ad sanguinem deferri, delatum nimia expansione cordis & arteriarum systolen sufflamine. Subit hac occasione recordatio, me adhuc juvenem Medicum ante quinquaginta circiter annos Amstelodami, ubi tunc temporis versabar, interfuisse sectioni feminæ cachecticæ syncope demortuæ, in qua cor paucō sanguine refertum, sed mirum flatibus distensum reperiebatur; quam peculiarem morbi speciem tympanitidem cordis rectissime Medicus vocabat. Simili quoque ratione postea in multis cachecticis æque ac hypochondriacis dissectis vasa sanguine exinanita, sed flatibus turgida & ampliata observavi; ut adeo ab aere in sanguinem per ductum chyliferum delato varia hypochondriacorum symptomata haud inepit explicanda veniant.

OBSERVATIO II.

Obser- Sæpius iterumque mihi artem fationes scienti obtigit, in morbis acutis & exanthematicis, ut variolis, petechiis, febreque purpurata, circa morbi statum inopinato fatales accessisse lipothymias; unde mox omnibus, quæ antea placida erant, symptomatis in pejus conversis, extrema refrigerescere atque maculæ aut prorsus evanescere, aut livido tintæ colore adparere cooperunt. Quid? quod, ubi animus dein, dato intervallo, ad se redit, laborantes de summa praecordio-

rum anxietate, inquietudine somnique defectu conquesti sæpius in lethalem inciderunt syncopen. Ego ubi curatus in tantæ catastrophes inquisivi causam, adstantes plerumque in frigus ægro extra lectum commorato admissum culpam transferre consueverunt. At vero, quam etiam sub temperato conclave calore eadem oriri mala deprehenderem, tam subitanæ mutationis causam non refrigerio, sed rectius potius motui sanguinis ad caput propter situm perpendiculari, in corporibus natura imbecillibus & vi morbi magis debilitatis tardiori & ex parte intercepto adscribendam putavi. Qua quidem in re me plenius confirmarunt exempla eorum, qui inter largiorem cruris & vera secta detractio- nem sub statione corporis erecta perfacile animo linquuntur; cum contra in situ repositi horizontalem, collectis paullatim viribus pulsusque vegetiori reddito ad se statim redire solent. Dein quoque perplures vidi phthisicos & consummata hectica laborantes, qui si corporis languorem excipimus, animo adhuc satis vigebant, sed in lecto vel erecti sedentes vel extra lectum in situ erecto diutius detenti animam præter spem omnium exspirarunt.

EPICRISIS.

Satis, ut arbitror, luculenter nos docet hæc observatio, quantum ex situ erecto in morbis acutis & cum exanthematicum efflorescentiis in cuncte junctis redundet damni. Quæcum ita sunt, omnes omnino ærgi, qui vel ejusmodi affectibus decumbunt, vel quorum vires a diuturniori & chronicò morbo, ut phthisi & hectica prostratae adparent, sedulo monendi sunt, ne in ipsius morbi statu decubitum deserentes extra lectum in sella erecti diutius comorentur, aut caput cubantes sublime habeant. Probe quoque sibi cauteat medicus, ne clysteribus stimulo salino imbutis, aut, quod pejus est, fortio-

fortioribus purgantibus alvum sollicitet atque hinc crebrioribus dejectionibus ægro e lecto surgendi & in situ elevato se continendi occasionem præbeat; imo quoque, si alvus sine stimulo fluida existit, eam sub decubitu deponendam suadeat. Denique, si forte ex improviso ægrum in ejusmodi morborum vigore in situ erecto collocatum deprehendat, consultum erit, analepticis & vires labefactatas conformatibus remedii protinus succurrere omnemque adhibere operam, ut, quæ timenda sunt, funesta symptomata tempeslive avertantur & ægrorum saluti rite prospiciatur. Plura de hac re legi possunt in dissertatione mea de situ corporis evecto noxio.

OBSERVATIO III.

Lipothy- Femina triginta & aliquot annos
mia nata, gracilioris sed amplioribus venis
spasmo- instructi corporis habitus, ob vitam
dita. sedentariam & adversos quosdam ca-
sus flatulentias cum alvi adstrictione per aliquot tempus passa, inopinato quondam circa menstruæ purgationis periodum insolitas circa lumbos, os sacrum & uterum spasticas perfentit stricturas cum ventris terminibus junctas, quæ dein ad pectus usque protensa tanta sæviebant atrociam, ut summa præcordiorum compressionem & anxietatem cum suffocationis metu inducerent. Sed, quod pessimum erat, crebriores simul accedebant lipothymia, quæ tamen erumpente parciore mensium fluxu cum reliquis symptomatis remittebant, ægramque sui iterum reddebat compotem. Reliquo tempore pulsus satis erat plenus & subdurus; & quum novum mali incursum alvi perpetua compressio cum cephalalgia stipata minaretur, meum maritus auxilium imploravit. Ego igitur, probe pensitatis omnibus, primo sanguinem e vena pedis tusa detrahendum susi. Dein ad alvum referandam mensiumque negotium in ordinem redigendum sal quoddam aperitivum ex

æquali salis Carolinarum, nitri purificati, magnesiæ albæ & tartari vitriolati portione compositum ter in septimana, præmissis antecedente vespera XV. pilulis nostræ præparationis balsamicis, ad drachmam unam mane sumendum commendavi. Denique ad spasmos sedandos summa cum euphoria datus fluit liquor noster mineralis anodynus cum essentia castorei & croci remixtus. Qua methodo id per Dei gratiam consecuti sumus, ut ægra impoterum a gravis mali recursu libera permanserit.

EPICRISIS.

Rectissime hæc affectio lipothymia uterina spasmodica meretur appellari. Haud enim novum, sed frequenter admodum observationis est, feminas ante mensium eruptionem vehementibus circa dorsum & partes genitales doloribus & spasmis affligi, qui totam vitalium motuum œconomiam turbando & inæqualem sibiisque largiori sanguinis ad superiores partes cursum efficiendo spirandi angustiam, præcordiorum anxietatem, quin ipsam lipothymiam concitare valent. Quod vero si evenit, eo potissimum medentis dirigendum est consilium, ut plethora immitta viscidityque humorum resoluta critica sanguinis excretiones per uteri vias promoteantur.

OBSERVATIO IV.

Vidua generosa quinquaginta anno ^{crebri-}rum, graciliori corporis habitu plumbea ^{re} facie colore prædita, post præpoty-
viam mœstitudinem & vitam omnis labo- ^{ria} in-
ris expertem de magno pondere cor ^{cæber-}
aggravante & respirationem impediente ^{œca} hydrope
te ægrius conquesta fuit. Arteriae ad pericar-
taatum exiguis ac languidis pulsabant ^{dit la-}
ictibus, urinæ paucæ reddebant & ^{boratæ}
albæ atque dein crebriores accedebant
animi defectiones, quas non adeo multo post, præcedentibus dorsi & lumbo-
rum doloribus ingens sanguinis feroci-
ex

ex utero sequebatur profusio, unde ægra viribus mirum exhausta tandem diem obiit supremum. Sectione post mortem instituta hepar deprehendebatur tumidum, subdurum & sub albicante colore imbutum. Cor & reliqua vasa pauco vel nullo plane sanguine erant repleta; pericardium contra apparebat crassum & copioso sero, libræ pondus superante refertum.

E P I C R I S I S.

1.) Affectus hic recte dicti potest cachexia cum hydrope pericardii, morbo admodum raro, juncta; cuius caussam prava & copiosa feri viscidii abundantia constituit, a qua pallidus faciei color, urina limpida & pauca, virium summus languor cum functionum vitalium lœsione, obstructio viscerum & serosi sanguinis excretio derivari comode posunt.

2.) pulsus valde diminutum & cerebriora animi deliquia quod attinet, veritati admodum consonum est, quod hæc itidem a nulla alia caussa, quam ab humore in pericardio sensim increscente & pressione sua contractionem cordis impidente dependeant. Quæ vero complicata fuit respirationis difficultas haud immerito sanguini viscidiori per pulmonum vasa segniss transuenti debitamque vesicularum pneumaticarum expansionem remoranti adscribitur.

3.) non mirandum est, pericardium incrassatum fuisse repertum; si quidem in omnium nostri corporis partium, quas hydrops invadit, membranis idem fieri deprehendimus. Nascentur vero pericardii hydrops hac ratione: Cor vasis gaudet coronariis, & ut elegantissime monstravit RUYSCHIUS, multiplici ac dædaleo flexu per exteriorem superficiem internaque musculorum substantiam ramificatis: gaudet quoque ipsum pericardium arteriis, venis & vasis suis lymphaticis per superficiem ejus dispersis, quorum inventionem Cl. NUCKIO

debemus; quibus disruptis ingens seri fit promanatio. Similem ferme calum habet BALLONIUS in Eph. l. 1. ann. 1570. Joannis Platearii vidua, inquit, hydrope pulmonum, qua laborabat, interiit. Per triginta annos de oppressione pectoris conquesta difficultatem spirandi habuit. Pulsus erat intercisis. & intermittens & in sinistrum latus inclinata ægota facile syncope corripiebatur. In sectione cor aqua natabat, nec facile movebatur e capacitate thoracis: aquæ putrefactis libræ sex edubabantur.

O B S E R V A T I O V.

Illustris matrona, longæ sed macilenta staturæ, primo statim tempore cum utero gerebat, de pectoris oppressione & difficili respiratione cum alvi adstrictione juncta conquesta fuit. Ad quintum gestationis mensem quum pervenisset, frequentes incidit lipothymias, quibus abigendis circumstans muliercularum cohors multa spirituosa & vires depressas refocillantia propinabat, sed malum nihilominus recrudecebat. Tunc ad ægram invisendam ego accersitus alvum nimis durum flatibusque turgidam deprehendi & nimiam sanguinis abundantiam, quæ pulsu arteriarum satis pleno manifestabat, in vitio esse putavi; quare consilium dedi, ut mox clystere alvus subduceretur & dein sanguis e vena brachii incisa detraheretur. Denique passulis rhabarbarinis alvum semper apertam servandam curavi, unde effectum est, ut femina a molestis symptomatibus sensim liberata tandem justo tempore vegetum excluderet infanthem.

E P I C R I S I S.

Non tantum a defectu sanguinis & inopia, verum etiam a nimia ejus redundantia vires cum motu cordis sufflaminantur scèpissime. Ad functiones enim rite peragendas natura certa gaudet

gaudet proportione, certa æqualitate ac moderamine, adeo ut vel parum vel nimium noceat motibusque inimicum sit. Et in eo quoque potissimum artis opus versatur, ut medicus caussas æquilibrium excedentes convenientibus remediis ad moderamen reducere laboret.

OBSERVATIO VI.

*Syncope
terbore
a P. Sae
impro-
vide ad.
missa.*

Vir quadragenarius, corporis animique sensibilioris ac debilis, qui diu jam ex ventriculi inflatione alvique obfipitatione, quas mala diæta sibi contraxerat, laboravit; propter graves animi commotiones per aliquod hebdomadum intervallum quiete, appetitia & viribus privatus pejus habuit. Varia hinc inde præscripta & adsumpta medicamina nihil tulerunt opis, quare Medicus ultimum remedium in sanguinis missione situm arbitratus venam fecundam curavit, sed tam funesto eventu, ut non multo post æger lethali syncope correptus animam expiraverit.

EPICRISIS.

Quid in nostro casu imprudentius, quid inconsultius potuit excogitari, quam in viro extreme debilitato & ad incitas ferme redacto venæ sectionem admittere, quæ virium reliquias una cum sanguine simul sustulit. Probe itaque monendi sunt juniores Medici, ne, ubi vires diuturno morore, aut alia quacunque caussa fractæ & enervatae sunt, sanguinis vacuationem concedant.

OBSERVATIO VII.

*Syncope
terbore
a P. Sae
impro-
vide ad.
missa.*

Vir annum agens quinquagesimum, spongiosi corporis habitus, per complures annos podagra diversatus, ob infortunium quoddam in diuturnum incidit mororem, unde ciborum inappetentia, alvi siccitas & virium languor originem sumserunt. Accersitus

Medicus propinabat aquam litorum convallium vinosam cum grano extracti opii sumendam; idque remedii genus, ob vim suam, quam exferere videbatur, somnum conciliantem per aliquot hebdomades continuare jubebat. Tantum autem aberat, ut auxiliis quidpiam æger inde reportaret, ut potius, ingravescere virium languore, crebriores pateretur lipothymias. Præterea perpetuo sudore madebat frigido, arteriae exiguis micabant istibus, & singultu demum superveniente ex hac vita discedebat.

EPICRISIS.

Quam in epte subjecto spongiosori, cuius robur ventriculi & universi corporis diuturnior tristitia affectus jam mirum antea debilitavit, opiatum fuerit oblatum, saniorum judicio relinquo. Interim ad pleniorum morbi & mortis historiam adhuc pertinet, quod hepar, aperto cadavere, quoad concavam partem suam nigrum, corruptum & sphacelosum fuerit inventum & latior macula subnigra in dextro ventriculi latere pariter ac diaphragmate apparuerit. Ceterum vasa mirum erant exinanita & omni pene sanguine vacua.

OBSERVATIO VIII.

Virgo octodecim annorum, tenera admodum constitutionis, ob fluxus *Lipos* menstrui, quem parcus justo vix bis *milia summa* ante experta erat, defectum multis illi ab subinde malis, ut ciborum fastidio, *emmetropia* insigni membrorum gravitate atque *nagogia* motum valde impeditio torpedine *concitata*, cum virium prostratione juncta afficitur. Ad tot mala debellanda Medicus & pharmacopæus remedia præscribunt sanguinem nimis commoventia, cuius generis sunt pilulæ ex gummatibus confectæ & elixir proprietatis cum fabiæ oleo remixtum. Corpus quoque dimittitur in balneum, sed nihil inde emergit commodi, ut potius graviores

excitatæ fuerint lœsiones ; siquidem nunc ægra animo crebrius linquitur , sanguinem cum magna præcordiorum anxietate exspuit , & intolerabili capitis dolore afflita bis vel ter in septimana epilepticos & convulsivos patitur motus . His ita constitutis ad nos deplorata venit & sub cura nostra sanitatem pristinam , mensium fluxu restituto , sic consequuta est .

Primo quidem omnium sanguinis missionem in pede repetitis vicibus , sed parcus iustitendum præcepimus . Tum infusum theiforme ex herba veronicae , melissa & floribus chamomilæ ad aliquot patellas mane sorbillandum ; inter epulas vero elixirium nostrum viscerale temperate balsamicum adsumendum & per aliquot tempus continuandum suavissimus . Denique cubitum ituræ pulverem nitrosum & cinnabarinum cum pulvere nostro ante-pileptico remixtum porrexiimus & quæ antea nimis calida usurparat balnea aquæ dulcis nunc solum tepida & admodum moderata adhibere jussimus .

E P I C R I S I S.

Si ullo in morbo , certe in feminarum affectibus sanandis multum curæ & cautionis medicus debet adhibere maximeque eo respicere , ut cursum mensium recte prudenterque dirigat . Ad quod felici cum successu perficiendum , opus est , ut non modo corporis naturam , habitum & victum , sed & veras irregularis vel plane deficiens fluxus perscrutetur causas & ad hæc singula medendi methodum instituat .

Dicimus præterea ex hac morbi historia & curatione , nihil esse perniciosius , quam balneis nimis calidis , vel medicamentis calidioribus & volatileibus sanguinem commovere ejusque excretiones , obstructis adhuc & angustatis viis , moliri . Sanguis enim nimium rarefactus , ob validam , quani infert , vasorum distensionem

Tom. IV. Pars IV.

seu diastolen motu suo magis sstitutus , quam promovetur ; ut ideo longe graviora concitentur mala , qualia sunt in capite epilepsie , in corde lipothymie & syncopes , in pulmonibus suffocationes & id genus alia .

O B S E R V A T I O I X.

Sæpius iterumque mihi in artis exercitio adnotare licuit , puerperas haud infrequenter periculosas , imo funestas incidisse animi defectiones , si per ingentes tempore partus percessos labores valde debilitatæ ingentem sanguinis cepiam post partum amiserunt . Quod enim si accidit , lochia dein parcius fluunt & circa septimum plerumque diem omnis putridæ materiæ effluxio cessat ; unde ex levi tantum caufa , ut situ corporis erecto , lipothymie origo . Venter quoque præterea flatibus ut plurimum tumet & parum per alvum excrementorum secedit . Sub tali rerum statu ego præsentaneam tuli opem per injecta enemata , eaque tantum domestica ex floribus chamæmeli , sambuci , semine anethi , cymini & pauxillo salis parata . Exterius castoreum naribus fuit admotum & demum , ad materiæ putridæ ex utero effluxum promovendum , pilulæ nostræ balsamicæ singulis tribus diebus , interposito pulvere benzardico cum uno altero grano castorei maritato , datæ fuerunt . Nonnullis etiam ad vires amissas restaurandas modicum vini Rhenani haustum concessimus .

E P I C R I S I S.

Quando post partum immoda sanguinis contingit profusio , vires inde nimium depresso salutari lochiorum & seru impuri ex uteri mæandris expulsioni minus sufficiunt ; unde non mirum , si subsistentes ibi humores putrefacti viriumq; majorem defectionē efficiunt . In ipsa curatione caute omnino

K proce-

procedendum, &c, ut supra diximus, primum clysteribus, dein benignis laxantibus & irritantibus humoris putridi expulsio promovenda est.

OBSERVATIO X.

Liposby; Vir quadraginta annorum, parvæ miscet & gracilioris staturæ, opifex ferrarius, mors ex febre acuta, qua ob graviorem iraciborū cuncta affectum correptus laboraverat, convalescens cibos supra modum post mortuum ingestio adpetit, qui ipsi ab uxore magna in copia parantur; quos inter præcipue pulicula ex simila & lacte consecta & caro anserina nominari debet. His magna cupiditate ingestis non multo post ingenti premitur anxietate praecordiorum, inquietudine & extremitum refrigeratione: vires simul labescunt & velut emortuæ jacent; accidunt crebriora animi deliquia & placienda denique mors.

EPICRISIS.

Egregie sane confirmat memorabilis hæcce historia aphorismum HIPPOCRATIS 31. Sect. 2. *Cui a morbo cibum optime capienti non confirmatur corpus, malum;* &, quod idem gravissimus Auctor alio loco urget, inter vires corporis & cibos servandam esse proportionem, ita ut, quo magis haec langueant, eo minori vietu utendum sit. Cibi enim minus concocti & retenti non modo mora corrumpuntur & inde graviorum morborum causa sunt, sed & sola mole sua vires destruant potius, quam erigunt. Quæcumq; ita sint, omnibus infirmis & ex morbo vix convalescentibus necessaria est cautio, ne corpus nimis cito alimentis repleteant. Et ideo quoque pessima habenda est vulgi consuetudo, qui vires valde exhaustas ciborum copia restituendas esse falso sibi persuadet. Novi hinc plures a morbis mox liberatos, qui cibis, etiam optimis & nutrientibus usi in pristinum vel alium morbum inciderunt. Et quem fugit, milites

diuturnis vigiliis, inedia & laboribus defatigatos, quando hiberna ingressi cibos nimis avide ingurgitant, gravioribus iisque maxime acutis morbis succumbere.

Præter allatos, adhuc aliquot notatu dignos casus suppeditant consultationes nostræ medicinales Tom. I. Sect. I. Casu XIV. & cas. XXXI. &c.

CAPUT X.

DE SUBITA MORTE ET
MORBIS ALIIS INSANABILI-
LIBUS, EX VITALI SAN-
GUINIS PER POLYPOS IN-
TERCEPTO CIRCUITU OR-
TIS PRUDENTER PRÆCA-
VENDIS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Celeri subinde & inopinata morte homines in ætatis flore constitutos bonoque & robusto corporis habitu a natura donatos e vivis sæpenumero tolli, res est per experientiam exploratissima. Neque dein jejunam latet plebem, quin medico obscurum sit, plures dari longas & graves, diagnosis æque ac prognosi difficiles ægritudines, quæ omnem medendi respuentes rationem vitam hominum auferunt. Quæ vero quo frequentius sunt obvia, & quo major omnium cujuscunque ætatis hominum animis insita fuit sciendi cupiditas; eo sane magis mirandum est, veras & genuinas horum effectuum causas diutius latuisse ableunditas: donec tandem nostri temporis felicitate medici corpora ejusmodi morbis defuncta cultro anatomico crebrius cœperunt dissecare & interiores viscerum lustrare recessus. Dici enim vix potest, quantum ars nostra debeat anatomiae studio ceu primario suo fulcro, ita ut affirmare haud dubitaverim, vel ejus folius

solius ope atque cultura præsenti seculo plus rei medicæ accessisse splendoris, incrementi ac certitudinis, quam, ea neglecta, reliquis retro seculis omnibus. Quemadmodum vero frequenti corporum dissectione multiplices subitanæ mortis & periculosis mororum morborum detectæ fuerunt causæ; ita ex omnibus maxima & præcipua est, quam constituunt innumera illa ex fluidis in solidam massam concreta va-
sisque majoribus cordis & pulmonum firmiter impacta coagula, jam polyporum nomine nota; quæ dum vitalem & liberum sanguinis per corporis canales circuitum intercipiendo omnis generis functiones una cum vita evertente valent, eaque propter curatu difficultima existunt, providum & de hominum salute sollicitum artis peritum omnino admonere videntur, ut per idonea remediiorum genera fonticas istas caussas præcavere & in tempore studeat avertere. At vero, quum perpauci, quod scio, medici hactenus fuerunt, qui hocce utilissimum in re medica argumentum in libris suis ex merito pertractarunt; non abs re, sed opera utique pretium judicavi, id ipsum speciali capite hoc loco proponere.

§. II.

Primo itaque, ut comprobemus, polyposas illas concretiones, ceu mortis extensis & immedicabilium morborum causæ, in apertis post mortem cadaveribus haud infreuentur deprehendi; placet ex immensa observationum faragine perpaucæ tantummodo veterum æque ac recentiorum hunc in finem commemorare exempla. Ita apud BARTHOLINUM, in lib. ejus de lacteis thoracicis cap. XIV. relatum legimus, ipsum in iis, quos subita morte extictos cultro anatomico subjecisset, majora cordis vasa sanguine concreto invenisse repleta; quod etiam optime testatum facit BONETUS anatom. pract. lib. II. Sect. 2. obf. 5. ubi de morte repentina a corporibus extraneis in cordis sinibus repertis prolixius egit, & Fridericus LOSSIUS obf. 15.

lib. I. qui mentionem injicit pueri, tres annos nati, qui, quum ornatibus vegetus ac integra sanitate fruens videtur, præter spem omnium in sinu matris exspiravit. Dissectione corporis instituta viscera perfecte apparuerunt sana, ut præter sanguinem in cordis ventriculis valde coagulatum nullam mortis caussam suspicari licuerit. CAROLUS quoque FRACASTORIUS, cui multa corpora celeri morte perempta dissecandi occasio obtigit, nil nisi sanguinem intra cordis ventriculos & vala pulmonalia concretum ipsisque tenaciter adhaerentem vidit. Et quidem ex infarctu vasorum complures repente deficere, vel unicum idque gravissimum PANAROLI testimonium probat, qui luculenter prodit, anno 1656. feraci subitanearum mortium tempore, plures a sanguine intra cor nimium retento fuisse strangulatos, ideoque aperto corpore tam vehementis strenuæque mortis vix aliam, quam insignem vasorum infarctum, ostendisse caussam. Nec denique omittenda est egregia observatio Joannis Daniel HORSTII, qui in manuduct. ad med. in sinistro cordis ventriculo se albicantem invenisse pituitam testatur, & RIVERII, qui Cent. I. obf. 82. matrem crassam, compactam & omnino albam, lardum coctum referente in sinistra cordis auricula hominis cito extincti annotavit.

§. III.

Ex dictis jam & adductis satis apparet arbitror, omni tempore in corde validisque majoribus solida ejusmodi concreta ex sanguinis massa fuisse progenita, quæ subitam mortem aliasque insanabiles produxerunt ægritudines. At, quum nulla plane in veterum monumentis polyporum sic dictorum occurrat mentio, haud inique statuimus, hancce denominationem antiquioribus medicis ignotam, a recentioribus vero ideo maxime istis coagulis fuisse impositam, quod plerumque multos emittunt ramos per canales adjacentes hinc inde dispersos. De qua vero

interpretatione ut plenius rectiusque constet, sciendum est, veros polypos ea solum concrementa esse dicenda, quæ ex albicante & fibrofa substantia firmius paulo sunt compacta & propter ea a sanguine congrumato multum differunt. Hic enim licet variis corporis nostri partibus, maximeque utero & cordi inhærens multorum magnorumque morborum caussa existere possit, genuinitamen polypi nomen minus recte meretur, sed pseudo-polypi nomine apud auctores utplurimum venit.

§. IV.

*Quæ ratiōne
polypī
morbo
meritis
causis
flat.*

His præmissis, non inutile, sed potius tractationi nostræ valde videtur accommodum, ipsam rationem expōnere, qua polypose massæ tantam in genus humanum edant stragem. Sunt autem polypi tum potissimum gravium morborum mortisque caussæ, si quando mole sua aucti, vel, quod s̄epius fit, a levi tam interna quam externa caussa de sede sua dimoti libero sanguinis circulo ex uno cordis ventriculo per pulmonum vasa in alterum obicem ponunt eumque pervertunt, aut quando orificia vasorum penitus occludendo motum sanguinis vitalem omnino tollunt. Quamdiu enim coagulatæ ejusmodi massæ tantum tenuiores cordis aliorumque vasorum lateribus adhærent, sanguinis circuitum non adeo vehementer impediunt, nec inde functiones manifesto lèdunt. In quo quidem & experientiam habemus suffragantem, utpote quæ optime docet, concreta ejusmodi corpora in cordis auriculis & sinibus ob multiplices anfractus fibrillasque carneas, & circa vasorum dilatationes in aliis quoque partibus hærere, at nihilominus adhuc liberum sanguini concedere posse iter. Cujus insignem fidem facit memorabilis & fere admirabilis observatio VESALII, quæ exstat lib. I. cap. 5. de corporis humani fabrica, ubi probatissimus hic auctor commemorat, se quondam in sinistro cordis ventriculo glandulosæ, sed subnigricantis car-

nis reperisse libras propemodum duas, corde instar uteri extenso; & addit: ægrum, licet pulsus miris modis suis, set inæqualis & varius, nihilominus multis ante mortem mensibus veluti sanum obambulasse; donec tandem postremis vita hebdomadibus pulsuum tantæ accidissent intermissiones, ut ex novem ictaum intervallo tres, vel duos solum tactui occurserint.

§. V.

Proximum nunc est, ut per singulos morbos eundo fusius explicemus, *Polypi* *disponi* *ut be-* *quiam ex illis sint, quos polypofa *nunt ad* concreta progignunt, vel pertinaciter *peccoris* *fovent, vel etiam ad malum dispo-* *morbos,* *ut be-* *nunt exitum. Hec dum meditamus, *mopi;* primo se nobis offerunt variæ *peccoris* *sin.* affectiones, inter quas præcipue reperi merentur, ex acutis pleuritides & peripneumonia, ex chronicis omnis generis asthmata & ipse catarrhus suffocatus, tussis convulsiva, phthisis & hæmoptysis &c. Hæmoptysin quod attinet, crebrior nos docet observatio, hanc æque facile ob sanguinis viscidi nimium congesti stagnationem ad polypos disponere, atque ab his iterum progigni. Quodsi enim polypofis istis repagulis æquabilis ac liberior sanguinis per vasa pulmonalia progressus ac transitus turbatur, sit omnino, ut sanguis in capillaribus arterie pulmonalis vasculis accumuletur, tandemque, maxime in dispositis, rupto quadam ramulo, excernatur. Et ideo quoque plane non insolitum est, in hæmoptycis post mortem dissecatis ejusmodi concretiones deprehendi, quod optime confirmat historia in *consultationibus nostris medicis*, Tom. I. Sect. 2. casu 73. p. 346. allata: Laboraverat scilicet juvenis, septendecim annorum, hæmoptysi cum febre lenta, in quo post obitum in arteria pulmonali visui se obtulit callosum concretum. Simili ratione BONETUS anatom. practic. Tom. I. lib. 2. Sect. 5. p. 654. de sputo sanguinis recenset sectionem cadaveris hæmoptyci a Sylvio in ipso noso- *comio***

comio Leydensi ann. 1664. administratam, in cuius utroque cordis ventriculo deprehenderunt materiam crassam, fibrosam & quasi carneam, quæ in omnia vasa ex corde excurrentia extendebatur. Præcipue vero talem massam ex jugulari sinistra eduxerunt tres spithamas longitudine saperantem. Erat autem ista materia, cui multum grumosi adhærebat sanguinis, in ipsis cordis ventriculis crassitie sat insigni carneisque cordis fibris, quas suis fibrillis amplectebatur, singulari modo annexa. Ceterum in medio apparuit sanguis grumosus videbaturque minuscula vasa habere. Idem valet de phthisi, teste nostra & BAVHINI experientia, qui apud Gregor. HORSTIUM in opp. Tom. I. pag. 134. se in phthisicis & hydropicis tempore fere polypos annotasse, expressis verbis meminit. Plura qui desiderat, consulere potest NEDHAMIUM de formatione foetus cap. 2. & MALPIGHIIUM de polypo cordis, item HARDERUM obs. 45. 46. 47. &c.

§. VI.

Asthma, maximeque illud quod mata & immicabile existit, & qui abhinc pectoris dependet pectoris hydrops, tantum hydro- non semper a polypis generatur & su- pem. stentatur. Hinc nos ipsi plena fide te- stari possumus, aliquoties nobis obti- gisse occasionem hoc morbo defunctorum corpora dissecandi, ubi in corde pulmonumque vasibus polypos, vel ser- rum fecidum in thoracis cavo extra- vasatum deprehendimus. Nec desunt, quæ idem confirmant, auctorum me- dicorum hac de re observations. Ita Cl. D. GRÆVIUS, castrensis Medicus, qui ante viginti circiter annos, me præside, dissertationem de asthmate convulsivo habuit, se in quinqua- ginta militibus, quos incidit, asthmate & hydrope pectoris exstinctis poly- pos, cordis ventriculos obsidentes in- venisse testatur. LANCISIUS quo- que libro suo de motu cordis p. 38. nota- bilem refert casum, qui ita se habet: Juvenis viginti quatuor annorum,

Tom. IV. Pars IV.

gracillimus, pravoque aere & victu usus crebrioribus cordis apprehensio- nibus & lipothymiis, cum gravi an- helitu extremorumque refrigeratione junctis corripiebatur. Arteriae exiguis & inæqualibus pulsabant ictibus & ve- nae jugulares una cum abdomen mi- rum intumescebant; donec tandem miser lenta febre decedebat. Dissecto cadavere cor mirum in modum repe- riebatur flaccidum exiguæque molis, cum polypis utrumque ventriculum opplentibus & pericardium tenaciter annexum. Plures observationes nota- tu dignissimas de asthmate, cui ple- rumque pectoris hydrops junctus fuit, legere licet in DIEMERBROECKII anatom. lib. II. cap. IX. pag. 401. BAR- THOLINI epist. 2. cent. IV. & epist. 56. cent. II. nec non in HARDERO obs. 56. seqq. LOWERO de corde cap. 2. PEZOLDO obser. 58. 61. RUY- SCHIO obs. 19. item in M.N.C. Dec. II. ann. IX. obs. 174. & Dec. III. ann. 2. obs. 185.

§. VII.

Neque vero solum pericardii & tho- racis hydrops asthmatis a polypis indu- ^{Et alias} hydrops. Et frequenter jungitur, verum etiam ^{pis spes} aliorum corporis partium hydropicae ^{clles.} intumentæ exinde suos repetunt natales. Hinc in artis exercitio nihil occurrit frequentius, quam ut asth- mati spasmodico - convulsivo, a di- eta causa orto, status cachecticus, tumores pedum cedematosi, imo ipse ascites superveniant. Quando enim cumque sanguinis ex dextro cordis ventriculo per pulmones in sinistrum progressus, objecto ejusmodi repagulo impeditur, fieri non potest, quin universa sanguinis per venam cavam circulatio tardior, sentior impeditior- que fiat, & magna hinc inde stagna- tiones in locis inferioribus, maxime- que in hepate oriuntur; quo dein ob- structio, vel plane indurato sanguis subsistere incipit in mesenterio omnibusque venæ portæ ramis: unde serum sedens ad vasa regurgitat lymphati- ca, quæ nimium distensa in hyda-

tides diducuntur, quibus disruptis exsternalis seri contingit extra vasorum alveos effusio. Qua de re dignæ sunt quæ evolvantur observationes apud RHO-DIUM Cent. III. obs. IV. PEYERUM in hist. anatom. cap. VI. Speciatim vero WEPFERUS in cachecticis diu & frequentius ex morbis decumbentibus corpora fibrosa & pituitosa annotavit. Vid. ejus exercit. de apoplexia pag. 196. & 200. & SMETIUS in miscell. medic. lib. X. pag. 537. singularem allegat casum de cedemate in utroque crure, a polypo tenuo & subduro, quod ad femora usque protensum tumorem plenum & durum in imo ventre, umbilicum inter & pubem effecit, qui tandem totam abdominis regionem occupavit. Ratione haud dissimili BONE-TUS ex BOYLEI tractat. de apoplexia obs. IX. polypos refert in cordis ventriculis duarum mulierum, quarum altera hydrope, altera cachexia obiit, & ALBINUS diss. de polypis thes. V. notabilem affert hydropis speciem, quam observavit in viro per aliquod tempus dispnceis cordisque palpitationibus & anxietatibus afflito, qui tumores in brachiis, venasque valde tumoribus & in nodos protuberantes, a polypo sat magno, ex auricula dextra in truncum venæ cavæ adscendente ramisque emittente, habuit. His vero ita constitutis hydropem lethalem esse, pro certo habendum est.

§. VIII.

*Catar-
rum
suffoca-
tum*. Sed missa ulteriori asthmatis &, qui hoc sæpenumero comitatur, hydropis consideratione, reliquos pectoris morbos ex polypis oriundos dispiciamus. Ex his vero præcipue hoc referendus est catarrhus suffocativus. Quæ enim anatomen hoc morbo defunctorum siunt observationes, plerumque polyposas concretiones, ceu præcipuas mortis caussas repertas fuisse confirmant. Testantur vero id maxime BARTHOLINUS cent. II. 86. GREISELIUS in M. N. C. ann. 1670. obs. 74. & MALPIGHIUS de polypo cordis pag. 170, quippe qui in omnibus apo-

plecticorum, vel catarrho suffocativo existentiorum apertioribus tam in corde, quam in cerebro, imo non raro in utroque simul, corpora callosa, viscida & glutinosa observavit. Neque sicco, ut ajunt, pede transversa est cordis palpitation, quæ ut plurimum, &, si chronica est, tantum non semper polyposis coagulis in acceptis renda est. De qua tamen quum jam in priori Tomo Med. nostr. systemat. ejusque Sect. II. cap. I. §. 9. seqq. prolixius egimus, B. lectorem eo remittimus, Pleur- transituri ad inflammatorios illos ac stide & valde acutos pectoris morbos, pleuritidem veram & peripneumoniam, qui perip- neumoniam, ex industa sanguinis, propter polyposas concretiones, stagnatione saepe sa- pius suam mutuantur originem. Id quod satis superque testantur peritissimi in arte medica viri, quos inter nominare placet MALPIGHIUM, qui loc. cit. affirmat, pleuriticorum ca- daveria non in præcordiis tantum, sed & in hepate & venoso genere frustula alba copiose continere. WILLISIUS de febrib. cap. XI. pag. 130. apertis pleuritide mortuis corporibus in cordis si- nibus & vasorum circa circum cava- tibus sanguinem in frustula & glo- meros longos concretum fuisse memorat. PEYERUS quoque exercit. anatom. memoria prodidit casum sexagenarii, qui pleuritide in peripneumoniam mu- tata obiit. Facta cadaveris incisione, in corde magni ac tenaces apparuerunt polypi, adipis frusta mentientes.

§. IX.

Sed non modo in corde & annexis pulmonum vasis, verum etiam in aliis, maximeque venosis canalibus polypos ceu immedicabilium morborum cau- sas generari, demortuorum sectionibus & autopsia satis superque constat. Ita gravissimas & pertinaces cephalal- gias, apoplexiam & deliria quoque a polypis intra venas jugulares & in ce- rebri sinibus repertis concitata fuisse, observations a WEPFERO, PEYE- RO, WILLISIO, BLASIO, item in M. N. C. descriptæ abinde docent. Si

Eru-
Si qua vero corporis nostri pars ad polyporum generationem præ ceteris apta est atque disposita, certe uterus hoc referri debet, in cuius vasis venosis, ob miram & tortuosam complicacionem & abhinc dependentem impeditiorem sanguinis circuitum corpora ejusmodi polyposa ex sanguine viscido concrescunt facilime; quæ postea frequentioribus abortionibus, immodicis uteri hæmorrhagiis, copiosis lymphæ & seri per uterum effusionibus, ipsique hydropi & sterilitati caussam præbent amplissimam.

§. X.

*Signa
polypo-
rum.* Consideratis itaque insanabilibus curatuque difficillimis, quæ ex polypis pronascuntur, ægritudinibus, non alienum esse judico, quædam suppeditare phœnomena, ex quibus cognoscere liceat, an polyposa ejusmodi concreta in præcordiis, ubi præcipuum sedem obtinent, lateant recondita. Sunt vero ex omnibus, quæ id testatum faciunt, signis præcipua 1.) diuturnior cordis palpitatio, eaque ex leví sæpius caussa, ut animi affectibus & a cibis flatulentis alvumque constipantibus recurrens. Harum enim rerum ea est natura atque conditio, ut æquabilem sanguinis circuitum perturbando majorem ejus ad cor impetum efficiant, ubi supra modum congestus & accumulatus quum, propter positum a polypo obstatulum, haud amplum satis semet expandendi invenit spatiū, cor æque ac vasa ipsius violenter distendit, & hinc insignem anxiatem & convulsivum cordis motum, quem palpitationem dicunt, inducit. Ex quo mox alterum emergit indicium, pulsum scilicet inæqualitas & cum lipothymis sæpe juncta intermissio. Pulsus enim sicut generatim cordis motum & universum sanguinis per singulas corporis partes progressum testatum facit quam optime; ita si irregularis, vel plane intermittens est, ceteris paribus, justam injicit suspicionem concrementi cuiusdam polyposi, quod mole sua obstruente

debitam cordis aliorumque vasorum constrictionem & abhinc dependentem sanguinis per ea transstum valde perturbet, aut ad tempus prorsus intercipiat. Nec denique ex signis polypum denotantibus excludi debet frequentius spirationis, sine causa manifesta, impedimentum, præcordiorum, ob spasticam pectoris strictroram compressio, &, qui huic plerumque jungitur, dolor circa cor fixus; ut potest hæc singula, si fere perpetua sunt, de impedito sanguinis a corpore quodam peregrino circuitu testantur luculentissime.

§. XI.

Sequitur nunc, ut missis generali- *differ-*
ribus, de polypis paulo pressius aga- *rentia-*
mus, ipsumque generationis modum subiungamus. Tenendum autem primo omnium est, non omnes polypos unius ejusdemque esse texturæ, coloris & magnitudinis. Nonnulli equidem satis observantur solidi, duri & ex fibris ita compacti, ut tendines firmiores referre videantur; alii contra sunt moliores, ex pelliculis mucilaginosis & minus crassioribus coagmentati, membranaque exterius involuti. Quidam, si magnitudinem spectemus, mole sunt satis grandes, ut aliquot uncias pondere æquent; quidam minores & multas interdum partes adiposas immixtas habent. Colorem dein polyporum valde esse differentem, fidem nobis faciunt variæ iporum apud auctores, maxime antiquiores, obviae denominationes; siquidem mox sub idea pinguedinis, quam alii albam & candelæ sebaceæ similem, alii ex albo flavescientem & medullam ossium calefactam æmulantem perhibent; mox sub specie carnis, mox vero aliis designati veniunt vocabulis, quorum hic numerum inire nimis prolixum foret. Differant porro quoque in eo, quod nonnulli in dextro, nonnulli in sinistro cordis ventriculo radicati vel plures, vel pauciores in adhærentes arterias & venas emittant ramos; nec non quod alii per se, mole sua sat ma-

gna, alii vero nonnisi vi quadam e loco suo dimoti, vasorum ostia occludendo, feralem corpori humano inferrant noxam.

§. XII.

Gesta- Modum autem, quo polyposa ejusmodi corpuscula generantur, sat gravibus inducti rationibus talem concipi-
mus, ut existimemus: materiam ipsius præbere particulas chyli & lymphæ graviiores, viscidioresque & fixiores, utpote quæ motu facile coeunt & in unam compinguntur massam, ut fibroso-membranaceum corpus consti-
tuant. Quod quidem abunde satis confirmant tot physica circa polyporum generationem suscepta experimenta. Instar vero omnium optime erudire nos potest RVYSCHIUS, vir de re anatomica meritissimus, qui in *thes. anat. VI.* fidem facit, se ex sui ipsius sanguinis sero, sola conquassatione pseudo-membranam, uti loqui amat, confecisse, quæ plurimis statinibus seu fibris fuisset pertexta veramque membranam ita repræsentasset, ut eandem a natura productam omnes crediderint. Id quod & alio loco asserit, quando *thes. anat. I. n. III. p. 14.* sola fortiori conquassatione, per horæ spatium continuata se polyposam materiam ex cruento suis recenter mactati fecisse refert. His ita demonstratis in promtu nunc est distinctam polypi suppeditare ideam ipsumque definire, quod sit concretum quoddam solidum, fibrosum, ex viscidiori lymphæ parte per fortiorem motum sive impulsum factum.

§. XIII.

Polypt Polypi licet in utroque cordis sinu, facile & tam venosis quam arteriosi gene-
ratur in cordis ductibus; attenuiori tamen ob-
servacione cognitum exploratumque
habemus, eisdem facilius & frequen-
tius in ventriculo & auricula cordis
dextra, quam sinistra, & in venis
magis proligi, quam arteriis. Nec
adeo obscura est hujus rei ratio: chy-
lus enim, qui mediante vena subcla-
via in venam cavam & ventriculum

cordis dextum fertur, crassioribus re-
fertus particulis, motu accidente len-
tiori, facilius partes deponit gravio-
res, quarum amplexu complicatis cor-
dis trabibus, unum quasi corpus effi-
citur. Dein, qui venis vehitur, san-
guis, ob vim venarum contractilem
nimis debilem tardiori procedit gradu
consistentiaque crassior existit & pon-
derosior arterioso, unde facile dimittit
partes crassiores, quæ, ubi præ-
fertim non intime mixtæ leviter cohæ-
rent, vi gravitatis suæ, ad fundum
lateraque magis tendunt. Alter vero
res sese habet cum sanguine arterioso.
Hic enim, quum non modo ab elasti-
co arteriarum motu insigniter in cursu
suo promovetur, verum etiam in pul-
monibus subtilissima aereo-atherea
materia imbutus & per minima vascu-
la transpressus intime miscetur; ideo-
que & pondere levior, & colore rubi-
cundior redditur: facile patet, quare
hic præ venoso ad polyporum genera-
tionem minus sit dispositus.

§. XIV.

Aetatem si spectamus, non ii so-
lum, qui proiectoris, sed & qui *Polyp*
inseuntis & non adeo maturæ *atatis ganan-*
tiæ sunt, polyposis concretionibus depre-
henduntur obnoxii. De adultioribus *nis ato-*
equidem id mihi facile concepsum iri *min-*
confido. Placet igitur nonnulla ex *bis*.
auctoriis anatomæ practicæ afferre
exempla, quæ certiores nos reddere
possunt, infantes quoque monstrare
ejusmodi polyposa inclusa sapissime
gerere. Ita de concretione polyposa,
in puerulo, aditum in cordis auricu-
lam obturante conferatur ALBINUS,
dissert. de polypo cordis pag. 16. & BO-
NETUS *sepulchret. anatom. libr. II.*
Sect. XI. obs. VI. ubi de polypis sat ma-
gnis, in sinibus cordis filioli repertis
eleganter agit. Haud dissimili modo
in juvenis sexennis, atrophia consum-
ti utroque cordis sinu adnotavit poly-
pum D. SNELL. *Vid. ejus dissert. de*
cordis polypo pag. 18. & DORSTE-
NIUS in *E. A. C. Dec. II. ann. 3.*
obs. CLIII. de quatuor corporibus *in*
finis

sinistro cordis ventriculo puelli cuiusdam inventis per pulcre differit. Portentosum quoque polypum in adolescente describunt E. A. C. Dec. III. ann. 2. obser. 18. quod & multis aliis exemplis probari posset, si his jam immorari licet. Interim non negandum esse censemus, consistentis ætatis homines natuque paulo maiores, ad polypos generandos, præ reliquis esse proclives. Facilius enim, peracto jam nutritionis negotio, quam eodem adhuc vigente, sanguis & copia & temperie excedens accumulatur; idque eo magis, si quis, ob copiosa amplioraque vasa, & imminutum solidorum elaterem, ad plethoram producendam dispositus, vitæque sine motu desidi & diætæ minus convenienti deditus fuerit.

§. XV.

In usi- li positi- guam sequi- ficiu- . Respectu sexus, nunquam fere non viros magis, quam feminas, polypis sequiori & morbis inde oriundis viderius expositos. Cujus quidem rei hanc subesse puto rationem; quod in sequiori se- xu, sub debito menstruæ purgationis successu, non adeo facile sanguinis increscit copia, & ob fibrarum laxitatem majoremque humorum fluiditatem, sive sanguinem multo sero imbutum, ægrius fit, ut crassiores particulae invicem coeundo concrecant. *In re- gionibus ipse- marina- libus magis, que- calidis- ibus.* Præterea & hocce momentum singularem meretur animadversionem, in regionibus maritimis & septentrionalibus longe plures, quam in calidioribus terris observari polypis mortuos; quod, meo quidem judicio, præter aerem frigidum & impeditius perspirationis negotium, præcipue victui crassiori, ut piscibus marinis, panis grossiori & carnibus fumo induratis atque salitis; ex quibus tenacior multisque particulis terrestribus refertus chylus & abhinc quoque sanguis spissior ingeneratur, tribuendum erit.

§. XVI.

Causa polypo- rum in- dia- tare- sunt i- pli- bo- 20. Progredimur ad alias, quas procastaneas dicunt, causas pensitandas. Ex his vero principem suo jure obtinet

locum, nimia sanguinis redundantia. Etenim, propter auctam, sub plethorico statu, vasorum diastolen fibræ suum amittunt elaterem; unde eorum minuitur systole sanguinisque progressus mirum in modum sit retardatus & per facilis particularum terrestrium datur cohæsio. Emergit porro exinde vasorum obstructio; quæ quantum polyporum generationi faveat, vel unicum illud confirmat experimentum, a LANCISIO in cane vivo institutum. Constrictus scilicet laudatissimus hic vir filo cerato ramum quendam arteria iliacæ, in quo, elapsis 15. aut 20. diebus, secato citra ligamen polyposam invenit concretionem. *Vid. libr. de aneurismatibus propos. XXXVIII. p. 124.* Nec adeo difficile est, hujus phænomeni veram eruere rationem, utpote cum, facta ejusmodi compressione, tenaciores & ad reflexionem minus mobiles sanguinis partes invicem adglomeratae lateribus vasorum sensim paullatimque adhærere incipiunt; donec aucta earum mole densum & fibrosum, quod polypi nomine venit, constituant corpus. *Et san- guinis de- fensio-* Vérum enim vero, non minus nimia sanguinis abundantia, quam ingens ejus inopia ad obstructiones & concretiones polyposas viam pandit faciliter. Hinc mihi a magnis crebrisque repetitis hemorrhagiis sapissime morbos, ex polypis ortos advertere licuit. Dumi enim fibræ, ob nimiam distensionem laxiores porique redditæ sunt ampliores; omnis generis crassos viscidosque humores, transmittunt qui polypis progignendis apprime existunt idonei.

§. XVII.

Proceritas corporis nimia sicut ad variii generis morbos; ita præcipue ad polyporum generationem & omnia, *Piace- rati cor- poris.* quæ hanc excipiunt mala disponit. In excelsis enim, seu longæ staturæ corporibus difficilior fluidorum ad perpendicularum est adscensus; hinc circulatio per totum corpus sit tardior & facile stagnationes obstructionesque oriuntur viscerum, maxime vero

vero pulmonum ; ubi sanguis difficilius progrediens in minimis vasculis subsistit & secedentes ponderosiores partes successu temporis in densam compinguntur massam . Si cui haec non sufficiunt , quantumvis clara satis & certa ; hunc plenius convincere potest tum mea , tum aliorum hac de experientia , quae optime testatur , arduæ proceritatis corpora humilioribus ut plurimum alacritate viriumque robore multum cedere atque morbis ex lentiori sanguinis circuitu & stagnatione oriundis , ut polyposis concretionibus , phthisi , asthamati & dispnoeis , aliisque , longe magis patere .

§. XVIII.

Frigidus posse. Nihil autem prope magis corpus nostrum adeo laedere tantasque eidem noxas & ipsam prematuram mortem inducere valet , quam frigidus potus , post intensam corporis commotionem & incalcentiam largiter & celeriter ingestus , de quo GALENUS , lib. de sanitate tuenda , præclare non minus quam vere ira sentit : quod spirandi difficultatem & tussim inducat , cerebrum debilitet & fluxiones inde concitet , ventriculum imbecillum reddat nervosque laedat . Ea namque pernicialis frigoris est potentia , ut non modo intellitum fluiditatis motum fistendo sanguinem coagulet , verum etiam partes terrestres & gelatinosas præcipitet ; unde non mirum esse debet , si obstructions , inflammations , &c , quod in rem nostram dictum sit , humorum concretiones oriuntur ; quas quotidiano quisque experimento conspicere potest , si sanguis calidus e vena sedata profluens in aquam frigidam immittitur , vel quando aqua calida , in quam sanguis missus fuit , interjecta mora , refrigeratur . Tum quippe , fibrosam & graviorem partem decedere ac præcipitari , jucundo comparebit spectaculo . Possem nunc quoque plura , eaque tragica proferre exempla , quae exitialem frigidus potus noxam luce clarius demonstrarent . At quem multa jam sint alio loco a

me & viris doctissimis studiose tradita , nolo his tempus consumere .

§. XIX.

Quantum ex censu cauſarum ad *Acido nocias humorum coagulationes aci-*
& spirituorum abusus contri-
buat , quotidiana proh ! dolor expe-
riencia loquitur , ipsaque confirmat
ratio ; quidem certo constat experi-
mento , sanguinem fluidorem e vena
emissum , assuso acido quodam liquo-
re , vel spiritu vini rectificato in du-
ram mox coalescere massam . Jam
quidem facile nemo , qui rem accur-
tius examinat , dubitat , haec pariter
in corpore humano , licet non eodem
plane modo & tempore , posse contingere :
si quis tamen dubitet , memor
modo sit , in quam graves & diuturnas
ex viscerum obstructione pullulan-
tes morbos , quales sunt phthisis , ca-
chexia , hydrops , asthma convulsi-
vum & nimia hemorrhagia , strenui
spiritus vini potatores sua ipsius culpa
incurrant .

§. XX.

Nec reticere licet animi affectus , maximeque iram , terrorem & tristitiam ; utpote qui polyporum & abhinc dependentium morborum generationi sat gravem suppeditant cauſam . Nolumus jam curiosius inquire in abditas tam peculiaris effectus rationes , sed potius memorabiles quaedam in hujus rei fidem adducere historias . Ex his vero notatu digna mihi videtur obſervatio MALPIGHII , qua refert : ægrum , alioquin fatis robustum , extimore in magnam pulsus inæqualitatem & obscuritatem , præcipue in sinistro carpo incidisse , absque febre & recurrente spirandi difficultate ; sed brevi tandem post , per sputa , quandoque rubicundi sanguinis portionem , quandoque copiosa alba quaedam frustula , polypis haud dissimilia excrevisse ; postremo vero , turgentibus superioribus , ex coercita sanguinis copia suffocatum interiisse . RIVERIUS quoque Cent. IV. obs. XXI. notabilem recenset casum cuiusdam nobilis ,

bilis, qui quum graviori quondam & inopinato percelleretur terrore, de summo conquestus est cordis tremore, spirandi difficultate pulsusque intermitte-
tente & inæquali, donec non adeo multo post suffocatione interierit. Aper-
to post mortem pectoris cavo cor cum
vasis majoribus oppleta fuere & in si-
nistro cordis ventriculo inventæ sunt
carunculae rotundæ, substantiam pul-
monis æmulantes; quarum major ad
avellanæ magnitudinem accedens ar-
teria aortæ præcludebat ostium.

§. XXI.

*In casu ad
fringē, morsu.* Ultimo loco non prætereundum vi-
detur, præposteras illas in nimis hæ-
morrhagiis & intermittentibus febri-
bus, per adstringentia, opiata, mar-
tialia & peruvianum quoque corticem
&c. curationes ad difficiles chronicas
& plane immedicabiles ægritudines,
quaæ a concretis polyposis nascuntur &
foventur, non parum conferre. Et
profecto certa adleverare fide possum,
me in praxi mea medica quinquaginta
& aliquot annorum, nullum majus ab
ullo remediiorum genere, quam ab his
ipsis, intempestive & improvide ad-
hibitis observasse damnum, ita ut non
modo celeres & lethales morbos, qua-
les sunt apoplexiæ, epilepsiaæ, catar-
rhi suffocativi; sed & diuturnas &
chronicas passiones, ut phthisis, ast-
hma convulsivum, malum hypochon-
driacum & hystericum, enormes hæ-
morrhagias, lentasque & hecticæ fe-
bres hac ratione productas neverim.
Si rationem querimus, unde tanto-
rum malorum origo; sciendum ante
omnia est, morbi carum affectionum
causam in impeditiori ac retardato
sanguinis & humorum per minima &
capillaria corporis vasa circuitu potissimum
querendam esse. Tali enim
ratione naturales se- & excretiones,
quaæ itidem per minima & ex subtilissi-
mis vasibus conflata emunctoria fiunt,
mirum quantum retardantur & variæ
hinc inde stagnationes, viscerumque
infarctus & indurations cum mille
aliis symptomatibus propullulant.

Jam, si quis in tali rerum statu, ubi
jam sanguinis & humorum crassities
lentiorque fluidorum per canales cor-
poris circulatio præsto est, vel ubi gra-
viores, qui vasa fortiter angustant,
spasmi adfunt, medicamenta adstrin-
gentia & humores magis incrassantia,
vel etiam sedativa propinare velit;
non poterit non insigniter nocere, &
leve tantum malum longe gravius ef-
ficere. Id quod eo magis certiusque
evenit, si perversus horum remedia-
rum usus diutius justo protrahitur;
nihilque superest dubii, quin polypi,
ceu immedicabilium morborum cau-
sæ, hac ratione sat commode possint
produciri, quos etiam in permultis
morbis ab empirica hac & detestabili
curandi methodo subortis partim ex
signis haud incertis augurari & prædi-
cere, partim ex corporum post mor-
tem institutis sectionibus ob oculos po-
nere mihi licuit.

§. XXII.

Et sic causarum, quaæ ad ingene-
randos polypos concurrunt, vidimus
potissimas; omnibus enim seorsim ex-
plicandis diutius immorari, non adeo
necessarium putavi, tum quod rarior
occurrent, tum vero maxime, quod
ad dicta a nobis perfacile possiat re-
ferri.

CURA PRÆSERVATORIA.

§. I. -

EA est perversa mortalium indoles, *Tolypt*
ut raro principiis morborum ob-*magis*
stare cogitent, sed tum demum medi-*præca-*
cum & medicinam anxie querant, *venturæ*
quam mala per longas moras aucta &*curan-*
mortem in propinquo vident; unde
vero nihil aliud efficiunt, quam ut fa-
talem sibi diem, quem tempestivo re-
mediorum usu avertere potuissent,
maturius accersant. Peccant sane in
hac re eo gravius ægroti nostri polypo-
si, quo certius & multa experientia
testatus est, nonnisi difficilera ac du-
biæ, imo, ubi longius malum inva-
luit,

luit, plane nullam ipsis contingere generationem. Si quid enim in hujus generis morbis, qui impedito sanguinis ob polyposum repagulum circuitu nituntur, auxiliū, si quid opis exspectare licet, maturatu opus, eoque a medico respiciendum est, ut concrementorum istorum generationem in tempore impedit, vel eorum, si jam adiunt, augmenta & noxios effectus præscindat. Evidem jam, qua ratione hoc perfici debeat & quid utilissime hoc fine suaderi possit, candide proponam.

§. II.

Polyporum generationis præventionis convenientia dicta. Et primo quidem, ut polyporum generationem prohibeamus, omnis cura eo dirigenda erit, ut sanguis spissior diluatur & resolvatur, commodeque in iis, qui ejus copia abundant, imminuatur. Ad quod præstandum præ ceteris ineunda est recta vivendi ratio, quæ his fere momentis absolvitur: Vixtus eligator parciōr, tenuis atque humectans, remotis cibis, duris, acidis, salitis multumque alimenti præbentibus. Potus sit naturæ conveniens & bene dilutus. Quo fine commendanda est cerevisia levis & probe defæcata, vel pura aqua fontana, tum sola, tum ad vinum temperandum adhibita, vel etiam decoctum ex speciebus blanda aperitiva virtute præditis confectum, quas inter præcipue radices chinæ, scorzonerae, salsaparillæ & cortices ligni sassafras &c. referre lubet; tali enim ratione effectus diluens & resolutorius belle impletabitur. His jungantur labores & frequentia corporis exercitia, quibus sanguinis fluiditas & æquabilis per singulas partes circuitus egregie juvatur. Sed probe sibi omnes, maximeque plethorici & obesi vitæ oriose dediti cavere debent, ne motum repentina initio vehementiusque instituant. Nimirum enim exinde sanguis ad pulmones propellitur, ubi progressu suo impeditus facile coagulum subit. Ad quod impediendum, mox aliquid calidi bibere præstat; quod eo magis ne-

cessarium est, si corpus ab intensioni commotione calidum postea refrigeratur, vel, quod pessimum est, frigidus potus in copia ingurgitatur. Aer præterea sit purus, serenus ac temperatus, isque nec nimis calidus, nec nimis frigidus & humidus. Hic tamen si vitari nequit, itidem consultum erit, infusa theiformia nonnunquam calide adsumere, quæ transpirationis negotium promovendo egregium attenuatum moleculasque coeientes disiungent spondent effectum.

§. III.

Exultent dein graviores animi affectus, maximeque mœror, ira atque ^{Animi affectus} terror. Si quando vero ab ipsis alteratum corpus fuerit, mature in usum vocentur, quæ effrenes motus compescant & valde turbatum sanguinis circuitum æquabilem denuo reddant. Ita, si contra subiti terroris noxas pugnandum est, maximam merentur commendationem medicinæ resolventes blandamque perspirationem mouentes, quia hac ratione id, quod forte in humorum massa coagulari cœpit, optime resolvitur. In hunc finem summocum fructu semper a me datum fuisse memini pulverem marchionis, sive solum, sive cum aliquot liquoris mei anodynī guttulis ex aqua cinnamomi, vel melissæ citratæ vinose sumptum, cui non male aliquot infusi calidi patellas superbibere jussi; quam methodum etiam in iis, quos diutinus mœroris effectus confecit, utilissimam deprehendi. Præter hæc in vehementiori terroris effectu summoperare commendanda est moderatior corporis exercitatio, qua cor adjutum se facilius a sanguinis nimium congesti mole liberare poterit, ut eo minus dein mali quicquam timeri debeat. Pessime itaque sibi consulunt, qui statim a terrore quieti se tradunt vel somnum profundum capiunt.

§. IV.

Prospiciatur dein, ut alvus bene ^{Se & Gen.} respondeat, quæ si forte obstructa est, libero clysteribus mature applicatis, vel piñ ^{creationis} lulis

Ielis balsamicis solvenda est. Nec minori prudentia opus est, ut & reliquæ humoribus tam fecernendis, quam excernendis dicatæ viæ apertæ liberæque serventur, ne, quod facile evenit, his occlusis sanguinis massa impura reddatur. In primis autem curæ sit, ne qua excretio sanguinis naturalis, ut in viris hæmorrhoidum, in feminis mensium, supprimatur, aut retentio longior insuper habeatur. Tunc enim per facile periculosa sanguinis ad alia loca fiant congettiones, quas providus artis peritus convenientiæ venæ sectio-ne, pilulis & aliis medicamentis blande balsamicis ac temperantibus quam optime poterit avertire. Nec denique artificiales sanguinis evacuationes sunt negligendæ, quæ eo strictius debent observari, si quis multo sanguine turgeat ipsaque diuturna consuetudine quasi naturales reddiderit.

§. V.

Medicamen-tis conve-nienti-bus. Præmissis hisce diætæ regulis, ex remediorum classe, ad sanguinem spissum incidentum ac resolvendum, subjungenda sunt salia mediæ & alcalinæ naturæ, ut arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, nitrum, sal digessivum Sylvii, sal aperitivum nostrum, oleum tartari per deliquium, terra foliata tartari & liquor nitri fixi &c. Ex spirituosis hue pertinent essentia pimpinellæ albæ, timetura antimonii acris, & id genus alia. Nullum autem, quod scio, ex toto medicamentorum penu datur remedium, quod in dissolvendis fibrosis & ad concretionem pronis in sanguine partibus tantam præstaret efficaciam, quam aquæ minerales, præsertim illæ, quæ alcalino sale imbutæ temperatiorisque indolis sunt; quo nomine laudem merentur acidula Emsenses ac Selterianæ, thermae Aquisgranaeæ præcipue vero Carolinæ, quæ sale suo omnia corporis emunctoria aperiunt, impuras fordes abluunt & evacuant, sanguinemque crassum & viscidum resolvunt ac diluunt utilissime.

§. VI.

Hactenus quidem modum, quo polypi præcavenda sit polyporum generatio, ^{jam va-} satis, ut arbitror, dilucide monstrati-^{sus inha-} vimus. Videamus nunc, quid facien-^{entes} dum sit, si jam signa quædam emi-^{quomo-} cant, quæ polypum cordi vasique ma-^{do tra-} joribus inhærentem testantur & qua ratione præcaveri debeat, ne majora capiat incrementa. Sciendum itaque est: ubi polypus adhuc incipiens est ac pituitosus, non omnem abjiciendam esse spem ejus resolvendi: quod salibus alcalinis & duplicatis, quæ exopta-tenaces humores resolvendi vi pol-^{lent}, diæta tenui, sufficienti & san-guinem diluente potu, omniumque maxime aquis Carolinis poterit præstari, quarum usu prudenter adminis-trato ego perplures, qui non vanam polypi intus latentis suspicionem incutiebant, sanatos novi. Quodsi vero jam in fibrosam & duriorem abiit sub-stantiam polypus, omni studio contendendum erit, ne aut majora su-mens augmenta, aut e loco suo dimotu vasa penitus obstruat citoque ho-mines interimat. Ad quod efficien-dum opus maxime omnium est, ut sanguinis nimia abundantia impediatur, ejusque fluiditas iis rebus probe conservetur, quibus id commode fieri posse superiori loco diximus. Sed ca-vendum, ne ubi spirandi a polypo dif-ficultas est, vena in brachio fecetur, quia tum major, imo suffocatoria fit congettio. Fugiantur præterea omnia spirituosa, nimius motus animique perturbationes, quæ singula sanguinem partim coagulando, partim nimis cōmovendo malum deterius reddunt.

§. VII.

Ultimo loco non inutile erit, quædam *Cautio-* *nes* *circa cu-* *ram ha-* *morrhagi-* *am* *giam* *proh-* *biuum*. *Fe-* Ultimo loco non inutile erit, quædam cautiones, quæ sanguinis fluxus & motuum febrilium tractationem con-cernunt, subjungere. In utroq; casu quā-giam proh- biuum. dolor exemplis comprobatū & a nobis jam supra fusius evictū est. Quapropter sincere moneo, ne forte medicus in hæ-morrhagijs sistendis curationem solis adstrin-

adstringentibus absolvere satagat, sed potius convenienti sanguinis detractio-
ne, & temperantibus leniterque ano-
dynis medicamentis, nec non inferio-
rum partium frictionibus æquabile
sanguinis iter restituere labore. Fe-
brum curationem quod attinet, sum-
ma adhibenda est cautio, ne nimis ci-
to supprimantur. Quo scopo tutissi-
mum erit, blandis aperitivis & eva-
cuantibus remedis decenter uti; qui-
bus dein medicinae resolventes ac tem-
perantes cum roborantibus commode
possunt interponi atque subjungi.

dimus constructam, ut usque eo non
mirum esse debeat, si ob tot minimorum
vasculorum myriades frequentes
inibi sanguinis congestiones, stagna-
tiones & obstructions, ex his vero
varii generis oriantur ægritudines.
Has inter præcipue referenda est pessi-
ma ista affectio, quæ in medicorum
scholis dicitur phthisica, de cuius ori-
gine, progressu & curatione in præ-
fenti hoc capite strictem sed utiliter
differere proposuimus.

§. II.

Est autem phthisis, corporis conta-
bescens, cum lenta febre, spirandi <sup>Phthi-
s. febr. &c.</sup> difficultate, molesta & continua tussi
atque copioso phlegmatis materiae que
corruptæ ac purulentæ sputo juncta;
ab insigni pulmonalis substantia la-
sione, per scirrhosam vel ulcerosam cor-
ruptionem, vel abscessum inducta,
ortum ducens.

§. III.

Equidem dantur variae, quæ itidem ^{Diffr. et.}
cum febre & nonnunquam molesta tussi ^{tua ab}
si ac vitiosæ materiæ rejectione stipatae ^{alii}
sunt, tabis species, quas tamen ob morbi
prognosin & curationem multum dif-
ferentem cum vera phthisi non con-
fundere debet medicus, utpote sine
notabili pulmonum labore contingunt.
Ita, certa observationum fide constat,
non raro tabem ex gonorrhœa simpli-
ci & pollutione nocturna diutius infe-
stante suam mutuare originem, de
qua jam olim HIPPOCRATES lib.
VI. epidem. Sect. VIII. Text. 47. mentio-
nem fecit. Neque plane insolitum est,
a nimio veneris uisu, a cacockymia &
depravata fucci nutritiæ indole in scor-
buticis corporibus contabescientiam
oriri; salvo tamen adhuc & integro
pulmonum parenchymate. Idem fere
animadvertisimus in morbo isto infanti-
bus tam infesto, atrophia, ubi ob-
scirrhosam glandularum mesaraicarum
indurationem succis chylosis & nutri-
tioni interventibus liberum ad sanguinem
iter prohibetur; unde superiores
partes marcescunt, venter inflatur,
lenta adest febris, difficilis cum tussi
spira-

Pulmo. **N**ulla, si cordis machinam exce-
num, ne- stituta, pars est, quæ ad vitam & tuen-
stifas, dam & sustinendam præstantioris sit
Cuſus, usus, quam ipsi pulmones. Hi quippe sunt genuina sanguinis fabrica, in
qua lympha chyloſa & nutritia cum
sanguine intime miscetur ipsique affi-
milatur; hi sunt egregium illud viscus, quo spiritum vitalem, seu fluidum ae-
reo æthereo elasticum, quod cordi sol-
idisque partibus omnibus suum robur
& vim systolicam præstat, intus hau-
rimus. Quanta autem pulmones præ-
reliquis partibus utilitate gaudent &
prærogativa, tanta e contrario, imo
tere graviora sunt, quibus hinc inde
patent, mala, quæ ego quidem a pe-
culiari eorum textura deducere minus
dubito. Hanc enim, ubi rite dispici-
mus, ex meris vesiculis membrana-
ceis, quæ aerem recipiunt, ex nefvis,
qui subtilissimum fluidum recondunt,
& diversi generis vasis, quæ sanguinem & lympham vehunt, deprehen-

Spiratio urget & alvus nimis fluida existit. Nec deinceps pro phthisi semper habenda est illa morbi species, ubi cum corporis extenuatione lentaque febre tussis & dejectio plus minus saniosa adest. Sæpiissime enim accidit, ut salva pulmonum compage, ex remotoribus partibus, ut mesenterio, utero, vel renibus, abscessu vel ulcerre obcessis sanies ad pectus transferatur. Denique etiam probe distinguenda est phthisis a tussi valde chronica cum ejetione copiosi phlegmatis juncta, sequente tabe viriumque prostratione & calore præternaturali; quæ quidem mala autumnali & vernali tempore subjecta ad catarrhales morbos proclivia sæpe sæpius corripiunt diutiusque vexant, sed nihilominus naturæ & beneficio feliciter cedunt.

§. IV.

Signa. Ne cui vero vel minima in cognoscenda phthiseos ab aliis morbis differentia super sit delinquendi occasio, opera pretium arbitror, certa quædam signa, ex quibus vera phthisis cognosci possit ac debeat, hoc loco recensere. Placet autem ex veteribus, qui in historiis morborum conscribendis longe sæpe accuriores esse solent recentioribus, locum Cælii AURELIA-
NI, qui lib. II. cap. XIV. legitur, huc transferre, qui ita se habet: *Phthisica passio fit frequentius antecedente sanguinis fluore, aliquando etiam longi temporis tussicula, sive catarro, quo pulmonum profunda & intime partes lacerantur & primo levius tunc ulcerata. Sequitur agrotantes febricula latens, que initium, inclinante die, accipit, atque veniente luce levigatur, adjuncta tussicula plurima initio noctis atque fine, cum sputis saniosis ac parvulis quidem, deinde autem plurimis. Iis vero, qui ex fluore sanguinis in istam veniunt passionem, primo sanguinolenta sputa efficiuntur, tum sœculenta, tum livida, vel prasina & in ultimo alba atque purulenta, dulcia vel salsa, cum vocer a rauca aut clangosa & difficultate spirandi atque generum*

*rubore, & ceteri corporis cinereo colore. Cibi fastidium sequitur & major sitis; quibusdam gravis doloris sensus est vulnerati pulmonis, ut etiam ejus fibras expuane pulsus debilis, durus ac deinformicularis. Sequitur præterea inflatio pedum & pejorante passione ventris efficitur fluor & phlegmata carbonibus injecta tetri sunt odoris. Merentur dein hic adduci HIPPOCRA-TIS verba, quibus imminentis phthiseos signa eleganter tradit. Sunt autem in lib. I. de morbis text. 9. fere hæc: *Fit phthisicus, si pituita a capite in pulmonem destillat, & primum quidem ut plurimum latentes defluit tussimque tenuem exhibet, & sputum paullo amarius solito & aliquando tenuis adest calor; temporis autem progressu exulceratur pulmo & intus ulceratur a pituita inharente & putrescente & gravitatem exhibet pectori & dolorem acutum ante & retro, caloresque acutiores in corpus incident. Quanto vero majus tempus progreditur, tanto magis pectoris sincerum efficitur & febres acutiores fiunt & tussis fortis ac continua, & media vexat & tamen alvus inferne turbatur.**

§. V.

Propositis itaque genuinis nostri affectus characteribus, videamus nunc, *anato-*
quasnam tantorum malorum causas *somita-*
in dissectis phthisi defunctorum corpo- *phthisi-*
ribus reperire liceat. Quo sine potissi-
ma, quæ mihi ex innumeris auctorum *corum.*
observationibus & autopsia anatomica
innovuerunt momenta paucis suppeditabo. Primo autem in omnium fere,
qui phthisi decedunt, pulmonibus lobum vel dextrum, vel sinistrum, vel utrumque simul pleura & costis, vel etiam in dorso vertebris adeo firmiter adnatum deprehendimus, ut cultro difficillime possit separari, plerumque etiam locus iste putrido fero, sive ichore scatet. Deinde in nonnullis,
præsertim empyematicis, unum lo-
bum a prægresso longo abhinc tempo-
re pectoris morbo, penitus absorptum,
alterum inflamatum fuisse observa-
vimus,

vimus, qui mortis cauſsam constituit. Tum quoque ut plurimum in altero pulmonum lobo vomicas, ſive ulcera clauſa, diuersae magnitudinis & numeri, adnotavi, quæ diſecta partim pus crasum, partim fluidum continebant. Ubi in eodem vel altero lobo, maximeque superiori ejus parte inciſio facta fuit, cavitates ſat amplæ pure & phlegmate, ejusdem fere generis ac coloris, quod per os antea reiectum fuit, repletæ in conſpectum venerunt. Fit porro nonnunquam, ut in pulmonibus nodos & ſcirrhos ulcera ſerpentia, fistulosa & instar cancri vici-
nas partes exedentia, quæ ichor foetidum & ſanguinem recondunt, offendantur. Nec defunt exempla, ubi tubercula ſcirrhosa & instar acinorum dura reperiuntur, quæ materia topacea, calculosa & putrida ſcarent. Post ea non prætereundum eſe existimo, quod cor plerumque flacidum ejusque vasa polypolis concrementis ſint infarcta, de quo phœnomeno memorabilis exstat observatio in M. N. C. Dec. II. obs. 35. In pericardio quoque, imo non raro in ipſo pectoris cavo ingens ſeri impuri & foetidi diffilit copia. Quod denique ad abdominis aliasque partes attinet, vasa ut plurimum ſunt exfanguia, hepar magna molis & pallidum, mesenterii glandulae tumefactæ, omentum abſumtum & omnis pinguedo tam internarum quam exteriarum partium conſpectui ſe offert. Qui paulo curiosior plura de phthisico-rum ſectionibus exempla legere cupit, consulat modo M. N. C. Dec. I. ann. 1. pag. 62. 63. item ann. 2. pag. 235. ann. 3. pag. 190. Dec. II. ann. 4. obs. 35. & 118. ann. 8. pag. 214. ann. 9. 245. Cent. III. & IV. obs. 118. Cent. VIII. obſer. 105. Cent. IX. obs. 16. 26. Cent. X. obs. 143. VERZASCHAM obſer. 100. LOS-
SIUM obs. 11. PAWIUM obſer. 22. PLATERUM lib. III. obs. 189. 690. PEZOLDUM obſ. 63. 64. 74. & 92.

§. VI.

Ex hiſce ſatis appetet, quam gravis & demum exitialis pulmonum, ceu-
dante &

viſceris vitalis, ſit laſio, quæ mortem induxit. Nunc erit inquirendum, quænam cauſæ ad tantam laſionem in exquita phthisi contribuant. Has inter primo omnium referri debent ſtales ſcirrhosæ, ſubſtantiam pulmo-
num mere vaſculosam, veſiculosam & membranaceam obſidentes, quæ, ſi invaleſcent, ob continuum & reciprocum aeris tranſitum aliasque cauſas, diſcilllime tolluntur. Qua de-
re dignus eſt, qui hic inſeratur, locus HIPPOCRATIS, qui exſtat in lib.
de intern. affect. cap. IV. in hunc mo-
dum: *Quum pulmo ſanguinem in ſe-
ipſum traxerit, aut pituitam ſalfam,
& non rufus dimiſerit, ſed in ipſo
coadū & compacta fuerint, ab hiſ tu-
bercula ſunt in pulmone & ſuppuran-
tur: ab initio & per totum morbum tuſ-
ſis acuta ſicca obtinet, & rigor & fe-
bris, & dolor in pectore & in dorſo in-
cumbit, aliquando etiam in latere &
erecta cervice spiratio vehemens inci-
dit, deinde corrumpit pus & multum
expuit. Non possum quin hiſce HIP-
POCRATIS verbiſ comparem fere
ſimilia ARETÆI, quæ in lib. III.
cap. VIII. exſtant; phthiſici, inquit,
ante quam maniſtis ſignis praesertim
ſputo putrido & puruleato ſe prodiſ
morbus, in pulmonibus forent tubercu-
la, ſive nodos ſcirrhosos, a materia
viſcoſa lenteſcente atque in duritiem
abeunte, & ita tabidi per plures annos
vivunt, ante quam in aetum corruptio-
nis vel abſeffus tranſeunt. Hæc ſi
adſunt, in pulmonibus tuſſis ſicca, va-
lidia, ſonora cum acuto vel pungitivo
ſenſu in pectore ſpirandique diſſulta-
te indicium faciunt, & a profundiori
aeris attractione & inspiratione angu-
ſtia quædam & reniſus in pectore
perciptitur tuſſisque vehementior fit,
maxime etiam poſt validam corporis
exercitationem.*

§. VII.

De biſec-
Veriſſima quidem ſunt allata Hip-
pocratis & ARETÆI verba: nobis
tamen nonnulla, quæ forte meliori
iſtigationi inſerviunt, adjicere li-
cet.

bit. Tuberula ista materia viscida re-plera plerumque initium constituant vomicarum, quæ nil nisi diversæ magnitudinis ulceræ sunt, membrana ambiente cincta. Eiusmodi vomice, si adhuc minores sunt, tussi interdum ejiciuntur. Quodsi vero mole sua in-crescunt interiusque rumpuntur, ab-scissus inde fiunt & cavitates cum spu-to purulento copioso phlegmate mix-to, & tunc vera adest phthisis. At ve-ro quandoque ipsi hi nodi scirrhosi, qui diutius se celarunt, ut præter sic-cam tussiculam vix ulla præbuerint indicia, ob materiam intus retentam & acrem factam in ulcus abeunt cancro-sum & fistulosum serpens ac foetidum, quod ita vicinas partes consumit & in putrilaginem convertit, ut teste FOLESTO lib. XVI. obs. 14. & 53. asperg arteriæ frustula ejecta, & juxta SYL-VIUM in obs. lib. II. cap. XII. venæ pulmonalis sureuli tussi excreti fuerint.

§. VIII.

Verum adhuc sunt alia phthiseos ^{2) hæmo-}initia, maximeque hæmoptysis, ubi ^{3) dñ-}incaute a medentibus tractatur, aut si paullo major crux portio est, quæ sputo ejicitur. Tum enim facile san-guis ex pulmonum vasculis intra ves-iculas aeras extravasatur & stasi con-cepta putreficit, partes vicinas corro-dit ac demum sinuositates efformat, vel in nodos & tubercula coit. Et pro-fecto, si vel meam unius hac de re ex-perientiam adducere licet, certa asse-verare fide possum, dimidiā fere partem phthisicorum, qui se curæ meæ tradiderunt, ab hæmoptysi prægressa & male curata primam mali sui origi-nem accepisse. Quibus dein quoque ^{4) dñ-}turnus annumerari debet secundum veteres pectoris catarrhus salsus longo tempore pectus infestans, quem prepresso, ut ajunt-, pede, phthisica affectio non raro ex-cipere solet. De quo in sequentibus plura dicemus.

§. IX.

Jam vero non immerito quæri posse ^{5) Orgo} caufarū video, unde caußæ jam propositæ ori-suntur.

Tom. IV. Pars IV.

ginem suam habeant: Nostra hac de-re sententia hæc esto: sanguinis & hu-morum in vasis stagnationes, ubi fir-miter iis insistant, sicut plurimorum morborum, ita etiam phthiseos sunt genetrices. Fluida enim quando extra motum progressivum constituta in cir-culum non aguntur, pristinam suam temperatam naturam mora amittunt, & valde alienam, impuram, falsam-que & acrem induunt; vel etiam mi-nima vascula nimium opplendo ob-strunctiones, indurations atque scir-rhescentias efficiunt. Pernicioſas vero hasce sanguinis & humorum in pul-monum vasculis stagnationes non ali-unde fieri deprehendimus, ac si fluida in nimia copia & cum impetu ad par-tem per se valde languidam & a tone dejectam compulsa congeruntur, ut, quantum venæ ab arteriis reepperunt, non possint reddere.

§. X.

Verum quamplurimæ dantur cauſæ, quæ pernicialem sanguinis & hu-morum in pulmonibus stagnationem inducere & ad phthisin remote conser-re valent. Inter eas præcipua debetur animadversio hereditariae dispositio-ni, qua liberi a parentibus phthisicis progeniti, dara occasione, in eandem labem incurrint facillime. Consen-tientem haec in re habemus tam ex-pe-rientiam, fidissimam rerum testem, tum auditores probatissimos. Ex his audiamus saltim doctissimum FER-NELIUM, qui in patholog. lib. 5. cap. X. hæc eleganter prodit: qui rabida de stirpe sati sunt quasi hereditario jure omnes necessario tabe marcescunt; hoc-que malum sepius vidimus in ejusmodi familiis ordine grassari. Et ratio quo-que in promptu eit. Etenim, quum illa a parentibus accepta ad morbos proclivitas potissimum in prava par-tium solidarum conformatione, sive tali fibrarum ac vasorum laxitate con-fistat, qua humores appulsi non debi-to modo ac nisu ulterius possunt pro-moveri; in aprico eit, cur ii, quo-rum pulmones natura debiles exi-stunt

Causæ
mediæ
sunt
disposi-
tio her-
editatis
via.

Sunt & flaccidi, præ ceteris in varios pectoris morbos maximeque phthisin sint propensi, Quibus dein, teste gravissimo HIPPOCRATE, adhuc ii debent adnumerari, qui pectus a natura depresso & angustum obtinent, qui scapulas instar alarum prominentes costasque in thorace protuberantes habent, nec non qui oblongi colli vel etiam gibbosi sunt.

§. XI.

Deinceps certa constat experientia & vel solius HIPPOCRATIS consumsan. probatur testimonio apb. IX. Sect. V. guine homines, qui habitus corporis gracilioris ac tenerioris, statura proceræ atque ætate juvenes sunt, a XVIII. bns. ad XXXV. ætatis annum hæmoptysi æque ac phthisi valde esse obnoxios, vix aliam ob rationem, quam quod in hacce ætate vasa sint teneriora longe que facilius, quam quidem in proveftioribus, expansa dissolvantur. Ut plurimum vero omniumque facilime hæmoptysica & phthisifica accidit affectio viris & juvenibus, qui tempamento prædicti sanguineo cholericico facile animo commoventur & in pueritia frequentes narium hæmorrhagias perpeſſi sunt, præsertim si nimio motu incalescunt. Tum enim sanguis magna in copia & impetuosis ad superiora & pectus compulſus per minima arteriæ ac venæ pulmonalis vascula libero itinere ad cor redire nequit; unde ramorum majorum a subsidente sanguine nimiae expansiones, disruptio-nes & denique extravasationes fiant necesse est.

§. XII.

D'æta perversa cauſam hic præbet antecedentem intempestivus potuum spirituorum usus. Quod quidem non adeo difficulti indiget probatione, quum satis cuique spectatum sit in regionibus vitiferis sicut omnes pectoris morbos ita maxime hæmoptysin ac phthisin longe esse frequenteriores, quam in aliis. Hinc etiam HOEFERUS in Hercule med. lib. I. cap. III. rectissime arguit, phthisicam

affectionem in Austria inferiori non aliam ob cauſam endemicæ grassari & tam innumerous rapere, quam ob vini generosioris, præsertim matutino tem- pore, abusum.

§. XIII.

Progredimur nunc ad eas cauſas Ad pe- considerandas, quæ ſalſi humoris in etiis pectori decubitum procurant, quem catarr- antiquissimi medicorum promiscue ex diſponit capite deduxerunt, quæſi paſſim ab eo ſanguini humoris in pectus delapsus fieret. Sed nis- ſi con- non ſatis perſpicuum & in experientia geſtitum eſt hocce judicium. Multo magis nimia ſanguinis feroci ad pectus, præcipue vero ad fauces totumque ca- nalemasperæ arteriæ, quæ tunica glandulosa interna obſita eſt, conge- litio accusanda videtur; idque eo ma- gis in ſubjectis ferocioribus & gravedi- ne, coryzæ crebrisque catarrhis per omnem ætatem obnoxiis. Quidſi enim plus ſanguinis & ſeri ad glandu- losas partes per arterias appellitur, quam per vasa venosa potest regredi, ingens feroci laticis contingit ſecretio, qui copia increſcens, admisso aere fri- gido, coagulatur & tandem magna ſape copia ejicitur. Procedente tem- pore & malo diutius perseverante, ac- cedentibus adhuc aliis cauſis, ut cruditatis ex prava diæta & digestionis vitio collectis, transpiratione impedi- ta, vel profundo animi mœrore &c. ſerum induit naturam ſalsam & corro- ſivam adeoque ſuccellu temporis veſi- culas pulmonales & vasa tenerrima corrodit.

§. XIV.

Ex dictis & adductis jam facili nego- tio poterit perſpicere, quantopere rigidæ midas & septentrionales venti ac tempeſtates & ſtr. pluviosæ, nebulosæ ac frigidæ, quæ gemitum vasorum pulmonalium rela- xando, ſordes in iis accumulant, adeoque malum adaugent, tabidis ac phthisicis ſint infenſa, ut propterea aphor. HIPPOCRATIS. X. Sect. III. veritati omnino æstimemus conſentaneum, qui autumnum expressis ver- bis tabidis declarat noxiū. Et pro- feſto,

fecto, si ullo in morbo ingignendo magna aeris est potentia, est sane in pectoris affectionibus maximeque phthisi; unde etiam TULPIUS *in obs. med. lib. II. cap. X.* caussam, quod in Hollandia tam frequentes sint vomicæ & phthyses, locis uliginosis & aeri continuis vaporibus putridis referto tribuit rectissime.

§. XV.

Ad phthisin- Transimus nunc ad eos morbos inquirendos, qui ad phthisin disponere contrahuntur. inter hos vero primo loco reperi debent variolæ. Hinc ego per plures novi pueros & adolescentes qui superata variolosa febre variis subinde variolæ & pectoris molestiis per multos annos durantibus, ut tussi sicca, sensu doloris acuto, spirandi difficultate, tabe & lenta febre infestati & accidente demum abscessu mortui fuerunt, quos inter præfertim serenissimum Saxoniam Principem referre lugemus. Eadem fere scena luditur post morbillos. Nam in hisce exanthematicis affectionibus magna seri peccat acrimonia, quæ non modo in principio horum morborum nervosis pulmonum membranis firmius inhærens tussim siccum & sat molestam concitat, verum etiam, expulsione materia ad corporis superficiem facta, insignem in hoc viscere debilitatem relinquit. Jam si ægroti forte maturius, quam quidem materia vitiosa omnis transpiravit, liberiori, maximeq; vernali & autumnali aere se exponunt, perfacile evenit, ut restitans malæ indolis materia ad interiora recedens ut plurimum pulmones debiles perat, irriter, exulceret. De quo legi meretur Thomas. BARTHOLINUS *Cent. IV. bistor. 43.* & MICHAELIS *praxi clinica part. I. lib. III. cap. V.*

§. XVI.

Aller- Neque plane insolens & ab experientia alienum est, ex aliis pariter cutis efflorescentiis, ut scabie, guttae rosacea, maculis scorbuticis & purpurea retropulsis phthisicam labem sæpius *externa* fuisse subortam. Quod idem fieri ob-

servamus post suppressos copiosos sudores, post intempestive tractata capitibus vel pedum ulcera, veletiam post fonticulos præmature consolidatos. Nec defunt exempla, quæ etiam ab erysipelate, doloribus podagrī & arthriticis repressis, & incautius tractatis phthisicam affectionem docent prognatam. Etenim quum acris & caustica materia hac ratione intus retinetur & per venas ad sanguinem reforbetur, fit inde, ut ad nervosas easque tenerrimas pulmonum membranas delata firmius ipsi inhæreat easque irritando constringat; unde vasa coarcta obstruantur & demum corrodantur necesse est. Memini quoque, a curato tumore scirrhoso sub axillis & pone aures phthisicam affectionem inductam, ut nihil denique dicam de frequenti phthiseos ab hæmorrhoidibus vel mensibus suppressis generatione.

§. XVII.

Denique non prætermittendum esse arbitror, dari exempla, licet non adeo frequenter obvia, quæ optime nos *Nimis* convincunt, phthisicam tabem, *hæmoptysin* et *hæmagglutinatio* supra dictam hæmoptysin etiam ab aliis fortioribus hæmorrhagiis commode posse induci. Quod quidem potissimum valet de ejusmodi subjectis, quæ vel per nativitatem, vel ob contractam ab aliis caussis pulmonum atoniam ad hunc morbum disposita existunt. Cujus adserti sanam quoque rationem habemus suffragantem, quæ non minus superabundantem, quam deficientem sanguinis copiam stolidibus producendis nos docet aptissimam. Unde videant, qui phthiseos proximam caussam in sola plèthora repositam sentiunt, quantum sibi & experientiæ contradicant.

§. XVIII.

Singularis superest quæstio, quæ intramque partem a medicis agitatur, utrum phthisis sit contagiosa? Ego vero nequitiam vereor hoc afferere, vel *an son-* saltim eo restringere, ut ejusmodi *tagio/a?* miasma, si non ad phthisin inducen-

dam, tamen, si dispositio jam adsit, ad promovendam existimem idoneum. Nam mirabilis certe & valde multiplicativa indolis est omnis materia ulcerosa & corrupta, ita prorsus, ut plurimi morbi maligni & per contagium grassantes, quales sunt scabies, lepra, variola, ulcera antiqua sordida, in peste carbunculi, imo quoque dysenteria &c. exinde deducendi veniant. Neque tamen tam malignam nostri miasmatis naturam esse censeo, ut e longinquo & subitaneo quasi impetu homines inficiant, sed tum demum, si quando propinquius & continuo cum phthisicis convergentur. Confirmant nos in tali iudicio ferendo celeberrimi in arte medica viri. Ita RIVERIUS Cent. I. obs. 99. notabilem refert casum ancillæ, quæ per contagium heræ suæ, cui diu noctuque ministravit, in phthisin incidit, & Cent. IV. obs. 92. mentionem injicit puellæ, quæ a sorore phthisico cuidam mammas præbente phthisin incurrit. Aliud exemplum nobis afferit SCHENCKIUS, qui in obs. lib. II. obs. 133. memorat, ita contagiosa esse confirmatorum phthisicorum spuma, ut medicus illa olfaciens factus inde sit phthisicus. De quo etiam consuli potest obs. de phthisi & contagio in M. N. C. Cent. IX. obs. 62. descripta.

§. XIX.

Progredivendum nunc est, ad pro-
Phthisicis nostri mali suppeditandam.
inver- Veram phthisin inter graves & curatu-
rata cu- ratione difficultimos morbos vel primo loco
non ad- esse collocandam, non modo in vul-
mitis. gus tot tristibus exemplis cognitum
exstat, verum etiam a medicis longa
experiencia est comprobatum. Ipse
HIPPOCRATES lib. I. de morb. Sect.
II. ita judicat: tabes cum fiunt, ne-
cessitatem habent, ut interimant. Cui
adsentitur GALENUS lib. IV. de loc.
affect. cap. VIII. & V. method. med.
cap. I. & VIII. & CELSUS lib. III.
cap. 22. quod si vera phthisis est, in-
quit, inter initia protinus occurrere ne-
cessarium est, nec facile hic morbus, cum

inveteravit, evincitur. Ex recentioribus de insigni phthisin sanandi difficultate vid. FORESTUS obser. 45. lib. XVI. & Rodericus a FONSECA Tom. I. consult. 58. & Tom. II. consult. 48. nec non Timæus a GULDEN-KLEE in epist. lib. III. epist. 2. ubi hæc habet: ingenue fateor, in tota mea praxi, quam 37. annis exerceo, neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerunt, integræ sanitati restituere potui, etiam si nihil intentatum reliquerim, quod ad curationem hujus malorum modo facere poterat, neque ab aliis celeberrimis medicis quempiam restitutum vidi.

§. XX.

Verum enim vero, licet phthiseos curatio sit difficilima, imo, si ad tantum fastigium pervenerit, ut a vulgo quoque signis manifestis cognoscatur, supra omnem humanam artem posita, nolim tamen facile idem de omni, præfertim in incunabulis quasi suis adhuc hærente prædicare. Namque plura mihi cognita sunt exempla eorum, qui a vulnere pulmonibus inficto, vel a præcedente hæmoptysi & ruptione vasorum minimorum, nec non post pleuritidem & peripneumoniam pectoris abscessu & vomicis laborarunt, sed nihilominus tempestiva medicatione a malo suo penitus fuerunt liberati. Pari ratione mihi & aliis observare licuit, perplures a phthisicis parentibus genitos, qui pectus interius depresso & scapulas instar alarum prominentes habuerunt, qui ad iram valde proclives sanguinem in pueritia ex naribus, citra ullam causam externam, frequentius stillarunt, falsasque ad fauces & pectus defluxiones cum tussi sicca & ferina, astivo etiam tempore infestante passi sunt carnemque mirum amiserunt & non longe post pastum calorem volarum percepérunt, florido adhuc generum colore existente, in integrum congrua medicina & diæta fuisse restitutos. Imo denique pulmonum abscessus, ubi ingenti in copia pus album,

album, æquale & unius coloris fuit ejetum, reliqua tamen pulmonum substantia nondum corrupta, nec scirrhosis indurationibus, vel fistulis ulcerosis obessa, neque cordis & pulmonum vasa concretis polyposis infarcta fuerunt, convenienti methodo tam diæterica quam pharmaceutica feliciter vidi sanatos. Id quod innumeris aliis exemplis confirmare possemus, si ad longius excurrentem tempus nobis suppetaret.

§. XXI.

Cur tam raro his, ex positur. Jam prævideo, quid objici mibi hic posset: Scilicet, qui fiat, ut tam raro phthisi, vel tantum incipienti obtingat curatio. At vero, quæ id multo sèp[er]ius prohibent, variae dantur caussæ, quas inter hæc mihi potissima esse videtur, quod non satis evidenter signa diagnostica semper suppetant, quibus de veræ phthiseos præsentia ejusque genuinis caussis certiores reddatur. Quam in rem egregia sunt verba FERNELII, qui in *patholog. lib. 5. cap. X. latens abscessus*, inquit, *seu vomica*, *vitium imprimis abditum*, *sepe nec laboranti*, *nec medico notum*, *quo laborans ipse nec consueta munia intermitit*, *nec se morbo teneri putat*, *caussamque interitus nesciens intus gerit sub pectori*: non pauci tamen inopinato e vivis horæ quadrante erupti sunt, *in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit*, quam repentina vomie & *in pulmonibus disruptio*, qua per suffocationem fit vita extincta. *Omnibus* *samen sic affectis nullo non tempore ante*, quam vomica rumperetur, *adfuit cruenta cum tussi exscreatio*, corporis gravitas, pectoris levis oppressio & spiritus difficultas, quibus tabes raro comes. Sed hæc signa aliis quoque affectibus communia sunt. Prater hæc vero de admodum difficili phthiseos diagnosis plenius nos convincere possunt frequentes medicorum, etiam sèp[er]ius clarissimorum, circa eandem errores. Ita enim complures phthisici habentur, qui tussi chronica cum catarrhali defluxione affecti materiam

Tom. IV. Part IV.

paullo crassiore, coloris ex albo viridis rejiciunt, aut qui tussim stomachalem hypochondriacam ex vitiola primarum viarum faburra ad pulmones delabente subortam diutius experiuntur. Fit quoque, ut asthma humidum, præsertim ubi post suppressas hæmorrhoidum vel mensura excretiones, factamque inde in dispositis humorum ad pectus regurgitationem & congestionem originem lumserit, pro phthisica affectione non raro venditetur. Nec denique obscurum esse poterit, lentam febrem cum tussi & repentina corporis extenuatione & colliquativis sudoribus junctam, quæ arthritide, podagra vel scorbuto affectis nonnunquam supervenit, ad phthisis sèp[er]issime referri, cum tamen nulla in pulmonibus continuui solutio reperiatur. His vero ita constitutis, quum tam anceps, tamque difficilis veræ tabis pulmonalis sit cognitio; facile poterit colligi, quam incerta sit curatio, quæ illi debet esse superstructa.

§. XXII.

Sed accedit adhuc alia non minoris momenti caussa, quæ phthiseos & interies de subortæ hectice sanationem impe ostendit: quod scilicet per pauci medentum sint, qui idonei ad hoc negotium pertinentibus medicamentis recte & circumspecte uti norunt. Nam siullo modo, certe in phthisi curanda, ob tantam remediorum contraindicacionem medicus opus est prudenter. Postulat enim phthisis laxantia & humectantia, postulat leniora traumatica & adstringentia, imo postulat nonnunquam blanda anodyna &c. quæ nisi debita cautione justoque tempore & exacta circumstantiarum habita ratione adhibentur, longe gravius malum efficiunt, tantum abeunt, ut levaminis quicquam afferant.

§. XXIII.

Præmissis hisce generalioribus ad *Prognos.* *prognosias* spectantibus, nunc de *si finit.* eventu morbi nostri tam salutari *ffas.* quam perniciali pauca erunt sub jungenda. Sciendum itaque,

L 3 spem

spem in angusto esse positam, si hecilius calor magis magisque increscit & pulsus etiam primo mane fertur citior, si caro cum viribus consumitur, neque haec aliquo modo per somnum reficiuntur. Quod quidem plerumque evenit, si, quo plus puris adest, eo minus expectoratur. Tum enim acrius illud fit & foedius carbonibusque injectum tetro odore nares ferit, & eo magis quoque febris augetur. Si porro accedit summa spirationis cum metu suffocationis difficultas, si ægri in eo latere, ubi læsio lobii est, non possunt jacere, si odorem cadaverosum ex ore spirant, si vox rauclida, sudores colliquati, diarrhoea & pedum cum dolore quandoque juncta intumescentia supervenient, capillique defluunt, mortem in propinquuo esse certissimum est. Quod si denique expectoratio prorsus supprimitur, ægri sensim paullatimque, maxime sub situ capitidis elati, mentis satis compotes spiritum emittunt.

§. XXIV.

Prognosticatio, si vires adhuc constant & respiratio est liberior, si appetentia ciborum ac digestio falva, si sputum, quod ejicitur, album & æquale est, nec febris hectica urget. Major tamen sanacionis spes apparet, si æger est boni corporis habitus, si pectus habet amplum & si deest hæreditaria dispositio, calor fit mitior & alvus compacta depositus. Hac enim ratione phthisici, præsertim convenienti diaœta & medicamentorum usu adjuti per longos annos vitam sèpe possunt protrahere, quam in rem magni momenti sunt verba WILLISII, quæ lib. de medicament. operat. Sect. I. cap. VI. de tabes seu phthisi in hunc modum prodidit: Accedit interdum, inquit, foveam quandam, aut forsan binas in pulmonibus eformari easque circum circa parietes callosos obtinere, ita ut materies ibi collecta in massam sanguineam minime transferatur, sed quotidie tota, copia licet ingenti expectoretur. Taliter affecti,

quasi tantummodo fontanellam in pulmone haberent, spuum et si multum & crassum, imo flavum & quasi purulentum omni mane, aliquantulum in toto die rejiciunt, tamen alias satis sani degunt, bene respirant, comedunt & dormiunt, evapores, ant saltet bono corporis habitu persistant & non raro persahescunt. Hinc nonnulli dicuntur phthisin per 30. 40. annos habuisse & morbum eum usque ad vita terminum, haud proinde abbreviatum, protractisse. Et profecto notabile est circa pulmonum ulcera, quod salvis reliquis visceribus sine notabili corporis contabescientia per plures annos possint durare. De quo videri potest KER-KRINGIUS in spicilegio anatom. obs. 72. & BARTHOLINUS Cent. II. hist. 14. Nec adeo conceptu est difficile. Ut enim natura interdum vitiosa excrementa per ulcus extremarum partium, vel etiam artificiale, ut fontanellam insigni cum emolumento expellit; ita cur idem non possit locum quandoque habere in pulmonum ulceribus equidem non video.

§. XXV.

Sed demum non parum periti medici interest, specialiora illa, quæ phthisicorum convalescentiam manifestant, signa probe nosse. Haec quidem optime tradita legimus apud ARETÆUM lib. III. cap. I. quare digna censemus, quæ hoc transferamus: Si vertantur in melius phthisici laborantes, tuffis longior & rarius fit, plura excernuntur sañiosa sputa & humidiora, multa per ventrem aquæ exturbantur, urina copiosa excernitur, licet nondum quicquam in ea subsidat, vox sonantior clariorque redditur, somni longiores, quantura satis est, efficiuntur, praecordia remittuntur, dolor interdum ad scapulas in remissione transit, anhelitus rarus, lenis, sed cum vocis asperitate fit: & ita sane mortem effugiunt;

CURATIO.

§. I.

Melbo- **P**ro diversa mali phthisici statu at-
dus pb- que conditione tam ratione tem-
sbiſi me- poris & cauſarum, quam respectu vi-
pendit triplex, rium ægrotantis medendi methodus
curativa curativa & apta remediorum appropriatorum
mitiga- applicatio multum omnino differt.
mitiga- Nobis eam in curativam, in mitiga-
prefer- tivam & præservativam dispescere pla-
varia. cet. Prior locum habet, ubi talis cauſarum status & circumſtantiarum ratio
est, ut ſpes reſtitutionis in integrum
affulgeat & idoneus medicamentorum
uſus ſanationem adhuc promittat. Mi-
tigativa vero ea eſt, ubi tanta viſ mor-
bi eſt, ut ejus expugnatio nec ab optimis
remediis ſit obtinenda, ſed in id
potius debeat incumbi, ut urgentia
ſymptomata mitigando pejorative ac
funesta avertendo vitam ad longius
tempus prolongemus. Tertia denique
præſervatoria ſicut in universum ad
morbos graves præcavendos omnium
eſt optima, facillima & ſecuriflma;
ita etiam in noſtro affectu, ubi adhuc
eſt in incunabulis, principem ſuo me-
rito locum tueretur.

§. II.

Curatio- Accedimus jam ad methodum me-
na ubi dendi curativam. Hrc locum maxi-
locum me invenit, ubi a vomica rupta abſces-
babat. ſus apertus oritur & magna puris ejici-
tur copia, quod ſæpiſſime evenit post pleuritidem & peripneumoniam male terminatam, post hæmoptysin & vulnera pulmonibus inflicta, ſalva reliqua pulmonali ſubſtantia eaque nec erosa, nec ſcirrhosa. Quo in caſu nec rectius nec melius datur præſidium, quam lactis cura decenter uſurpata, qua ego perplures phthisicos, in cym-
ba charontis quaſi hærentes ſanatos pristinæque redditos valetudini novi. Nam ſi ullum eſt remedium, quod non heri aut nudius tertius natum, vel quatuor tantum experimentis comprobatum, ſed quod triginta fe-

citorum omniumque inter omnes na-
tiones medicorum jugi & constanti ex-
perientia ſaluberrimum & præclarum in
phthiſi curanda uſus eſt deprehēſum,
certe eſt lac & cum hoc prudenter in-
ſtituta curatio, de qua utilia quædam
hoc loco tradere opera erit preſtum.

§. III.

Lactis Et primo quidem ut certiores fa-
mus, lactis uſum eſſe vetuſiſſimum
primis mox temporibus, quo ſalutari-
arti majus ſtatuerē preſtum coepe-
runt homines, ab optimis medicis, ceu
ſummum phthiſeos remedium eſſe
commendatum, e re erit, certa,
quæ id comprobent, teſtimonia ex ve-
terum monumentis in medium affer-
re. Primus itaque, qui lacti pluri-
mum in ſanando tribuit, ſuo jure di-
cendus eſt HIPPOCRATES, quem
poſtea fecutus eſt GALENUS, qui
multus in commendando lactis ad
phthiſin uſu, & lib. V. meth. med. cap.
12. mentionem inſicit loci, quem vo-
cat Stabias, aeris puritate, pecudum
pabulo & lactis ibi emulcti ſalubritate
celeberrimi, ad quem frequentiſſime
confluxerit, ad ſanitatem recuperan-
dam elumbis phthiſicorum cohors;
non ſecus, ac noſtris temporibus ad
acidulas & thermas, recuperandæ per
aquaſ ſanitatis gratia, convenire quo-
tannis ægri ſolent. Qui moſ & curan-
di methodus, teſte Andrea BACCIO,
Romanorum doctiſſimo medico, et
iam ante centum annos Italæ viguit.
Nam lib. IV. de thermis egregius hic au-
tor ita ſcribit: Neapolitani medici
pro ultimo refugio ægros phthiſicos, &
qui ſanguinem exſpuunt, vel ejusmodi
thoracis ulcera & alia vitia patiuntur,
ad Taberas mittunt, cum ſuccetu adeo
ſalubri, ut ſint, qui totam in iis degant
vitam.

§. IV.

Est quoque inter veteres eosque pe-
ritiſſimos medicos ARETÆUS, qui terius
lib. VII. de morb. chron. non dubitavit
afferere, phthiſicos, ſi multum laſtis
potent, nullo alio egere auxilio. Præ-
cipue vero huic referri debet TRAL-

LIANUS, qui in omnibus prope pectoris morbis lactis usum in suis de re medica libris summopere suadet. Ita memorabilis exstat locus in lib. VII. pag. 309, ita se habens: *quod si corpus totum alimentum non sentiens contabescere manifesto incepit, neque thorax multum puris continueat, etiam solum lac ipsius dari debet: & asinum omnia alia antecellit, quod probe purgat.* Alio loco commemorat: *agre spirantes asinino lacte adjutos subinde consperxi, quum opportune esset datum: omnia enim, quae pulmonum cavernis infixa sint, refectione reddit morigera.* Et de hæmoptysi loc. cit. pag. 304, hæc habet: *omnes hæmoptyici lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam adeo accommodum ipsius ac utile, quam lac: & qui per initia solo ipso constanter, longiori tempore usi sunt, omnes in totum consanuerunt.* Porro addit: *norsi quendam, qui cum toto anno lac bibisset & comedisset, & a vino abstinuissest, ab hæmoptysi & puris sputo liberatus fuit, ut nec postea in phthisin incederit.*

§. V.

Verum enim vero, demonstrandum etiam a priori est, quare lac tam celebre tamque incomparabile in pectoris morbis sit præsidium. Primum vero scire licet, lac nec unius esse generis, nec ejusdem quoad omnia virtutis, sed pro diversitate animantium, & pabuli peculiares quasdam possidere facultates, quæ seroflum sunt ex pendendæ. Primo omnium se nobis offert lac asinum, quod summo in pretio semper a veteribus habitum fuit, multumque habet seri dulcis, sed parum terreæ caseosæ & pinguioris substantiæ, quare nec facile coagulatur & ad conficiendum cafeum & butyrum minus aptum existit. Serum ejus abstergentem & laxantem, humectantem & acrimoniam temperantem possidet facultatem. Hoc sequitur caprillum, quod non tam seroflum est, quam asinum, neque tam bene laxat & ab-

stergit, sed consistentia est crassioris; & quia frondibus arborum, quæ aliquid resinosi continent, vescuntur capræ, ad consolidationem partium suppuratarum plurimum valet. Lac bubulum pinguius est, multumque teræ, sed minus seri habet; unde etiam multum ex eo butyri & casei confici solet. Habet virtutem temperantem, nutrientem & consolidantem. Humanum lac ad usum medicum præ aliis videtur præstantissimum. Nam dulcissimum omnium est ejusque nutriendi vis insignis abunde appetet in infantibus. Differt vero etiam lactis virtus pro diversitate pabuli & herbarum, quibus animantia vescuntur. Hinc vernale salubre admodum est, quia tunc vegetabilia multis succis temperatis turgent, cum contra hibernum, quia tum animantia foeno & stramine vescuntur, minus salubritatis habeat.

§. VI.

Hicce expositis facile nunc judicatur, lac ideo in omni pectoris affectu & tabescentia universale remedium dicci & haberri posse, quod omnibus mendendi indicationibus satisfacit. Primo enim, ad acrimoniæ humorum, quæ irritationis, vehementioris tussis & corrosionis præcipua causa est, insigne temperandam, mitigandam & demulcendam, lacte præcipue vaccino nihil deprehendimus efficacius. Nam uti veneni corrosivi arsenicalis vim noxiam infringere valet; ita multo magis spicula salium corporis nostri involvere poterit atque obtundere. Ubi porro scopus & intentio est, viscidos & crassos humores detergendi, ulceræ purgandi, alvum laxandi urinamque movendi & affluxum humorum a partibus affectis divertendi, asinum reliquis omnibus, propter copiosum serum dulce abstergens, est præferendum. Ubi virtus consolidandi & conglutinandi sauciatae partes expeditur, caprillum satisfaciet. Ad partes vero vero tæbe consumtas nutriendas & ad vires deperditas restaurandas nec salubrius nec valentius datur humano latte,

Et, præsertim, quando ex matrimis mulierum, nullo accidente aere, quo spiritu osum elementum avolat, hauriatur. Quam in rem memorabile est, quod doctissimus WEPFERUS in epist. ad Verzaschum scribit. Certe divini quid tam in humano, quam asinino lacte latet, quod antebas nunquam credidisse, nisi id sensibus compressem. Vidi his meis oculis, quasi novos homines inde factos fuisse. Nam legitimo ejus usu habitum firmorem, colorum nitidorem & vires robustiores plarimi acquisiverunt.

§. VII.

Uſus ſer. iſi laetiſi. Sed non modo in lacte, verum etiam in ejus ſero, ſi rite paratum fuerit, magna & efficax & interdum quoque potentior ad chronicas pulmonum & aliorum viscerum passiones sanandas virtus reſidet quam in laete ipſo. Nam, ſi vasculorum in visceribus obſtructio-nes, quæ ſere initium dant longis morbis, referandæ ſunt atque expedien- dæ, ſi lenti ac tenaces humores diſolvendi, ſi emunctoria aperta fervanda & partes calore torridæ ſunt hume-standæ, ſerum laetiſi, ex quoconque animali ſit petitum, ipſi laeti anteferri debet. Legi de hoc argumento fuſius potest noſtra diſſertatio de mirabili ſeri laetiſi virtute.

§. VIII.

Laetiſi in uſus ad- in diſſicillimis morbis sanandis non ſi- ne ratione, ſed conſentiente experien- tia ab antiquiſſimis & peritiōribus noſtri temporis medicis lac maxi- mi ſemper habitum fuſſe. Totum vero arca- num in recto & prudenti ejus uſu ad morbos tum curandoſ tum mitigan- dos, unice conſiſtit. Quodſi enim quis & ali mentis & medicamentis minus reſte uti callet, plus detri menti affert quam emolumenti. Quam regulam ii in primis ex recentioribus tenere de- bent, qui, neſcio ex qua cauſa vel quo affectu, laetiſi uſum medicum pe- nitus reji cere, damnare & infamare omnibus viri bus contendunt.

§. IX.

Quamvis vero per ſe ſatis eximius sit *Laetiſi* *virtus* *augetur* *pabulo* *medica-* *to-* uſus laetiſi ejusque ſeri ad multas indica- tiones in phthifeos curatione ador- nanda abſolvendas; negari tamen mi- nime potest, ſalutarem ejus energiam pro di ver ſo ſcopo obtinendo di ver ſis modis & rationibus ſecundari poſſe & exaltari: quod ſequentiibus demonstra- tum dabimus. Et primo quidem, la- etis viſ mirum intenditur ac vere me- dicinalis redditus, ſi animalibus, quo- rum laete frui mur, pabulum medendi ſcopo accommodatum & quod ammo- do medicatum exhibemus. Etenim, a di ver ſa alimenti, quo animalia & homines vefcuntur, indole, lac etiam, quod præbent, di feren tem acquirere facultatem, non eſt quod dubitemus, præpertim quum vel quotidiano con- ſtet exemplio, medicamentum pur- gans nutrī oblatum, per lac quoque infanti ſurgenti communicari. Lau- dandi igitur ſunt antiquiores artis no- ſtræ antiftites, qui ut lac meliorem obtineat efficiaciam asinis vel capris in- ter pabulum ejusmodi obtulerunt her- bas, quæ ad morbum, quem curan- dum ſuſcep terunt, virtute apprime ſpe- cifica ſplenduerunt. Hinc eſt, quod GALENUS loc. cit. memorat, her- bas in Stabiis naſcentes, quales ſunt gramen, polygonum, meliſophyl- lum, rubus, hedera, cytisus, lenti- ſcus &c. lac animantium, ſi hiſce veſcantur, efficere faluberrimum. Quem eximium morem & nos uſque eo felici- cum ſuccuſ ſequuti, quando partis afiectæ abſtencionem, vel depurati- nem moliti ſumus, hordeum, ſcabi- ſam, foſdium, chærefolium, arni- cam, hyſſopum, veronicam, mar- rub. album cum pabulo miſceri juſſi- mus; ſi vero conſolidandi fuſt inten- tio, plantaginis ſpecies, hederam terrefreſtem, agrimoniam, millefolium, ſaniculam, conſolidam ma- jorem, pulmonariam &c. paſcui loco obſienda curavimus.

§. X.

§. X.

Admixtione a- Verum, adhuc sunt alii modi lactis
quarum, virtutem medicamentosam pro varia
salubritate intentione augendi, scilicet per varias
& appropriatas admixtiones, quas in-
ter præcipue eminet, miscela lactis
cum aquis mineralibus, de qua ego,
sine omni ostentationis nota, vere af-
ferere possum, quod primus fuerim,
qui ipsam in Germania introduxit.
Nam quum ante triginta & plures ab-
hinc annos aquarum salubrium, in
nostris regionibus saturientia, tam
calidarum, quam frigidarum ingre-
dientia encheiresi chymica scrutatus
nullum sal acidum & vere vitriolicum,
sed potius alcalicum & medium, cum
subtiliori terra & tenuioribus martis
particulis in ipsis deprehenderim, ex-
perimentum feci, lac cum ejusmodi
aquis remiscendi, idque tam felici cum
succesu, ut exinde in compluribus
chronicis, maximeque pulmonum af-
fectibus vel tollendis vel leniendis tam
admirabiles viderim effectus, qui nec
a solo lacte, nec a thermis vel acidulis
seorsim adhibitis potuissent exspectari.
Unde mirandum, imo plane dolen-
dum est, plurimos antea fuisse &
adhuc esse, qui in phthisi & pulmonum
exulceratione acidulas existimant no-
centissimas easque nec per se, nec cum
lacte mixtas adhibere audent. Duos
tantum ante nostram statem excipi-
mus celeberrimi nominis medicos,
quorum alter ex majoribus est *Ray-
mundus Joannes FORTIS*, qui Cent.
II. Confil. 20. 27. 28. 30. & maxime 34.
acidularum usum commendat adven-
tans inquit, tempore, quo aquæ aci-
dulae in valle solis enascentur opportune
sunt, quæ pulmonum ulceribus saluber-
rims ac prestantissimæ a nobis quando-
que fuerunt expertæ, ad easdem tan-
quam ad unicam sacram anchoram con-
fugiendum consulimus, cui remedio,
si malum non cesserit, minus decoctis,
lacti aliisque ejusdem, facultatis ces-
surum fore arbitramur. Alter ex re-
centioribus est *MORTONIUS*, qui
medicatas aquas in pulmonum morbis

salubres esse perhibet, *phthisiol. p. m.*
68. si pulmones tumoribus steatomati-
cos cum calore miti hectico obsessi
atque hoc pacto, scribit, plurimos
phthisicos multos annos harum aquarum
usu, cum appetitus & virium restitu-
tione, caloris hectici & tussis minora-
tione, atque majori respirationis liber-
tate restitutor & sine ulla recidivatione
sanos redditos vidi.

§. XI.

Ego autem licet in morbis, qui ex *Quænam
acidulae
hoc fine
proficit.*
pulmonum substantia soluta, præser-
tim graviori pendent, non facile aquas
minerales, quæ validioris indolis sunt,
suaserim; multiplici tamen experien-
tia confirmatus testor, illas ipsas,
quæ mihiorem obtinrent genium sale-
que alcalino valde turgent, ut sunt
fontes Selterani vel Carolina therme,
cum lacte sive asinino sive caprillo de-
centi proportione mixtas non modo in
tussi chronicâ rebelli, cum dolore
thoracis compressorio, spirandi angu-
stia, lento calore & tabe juncta, ve-
rum etiam in profunda pulmonum sup-
puratione & vera phthisi exoptatissi-
mum præstis levamen. Hac enim
ratione ad lentam, viscidam mate-
riam dissolvendam, ad obstructions
capillarium vasorum reserandas, &
ulcera detergenda ac depuranda lac
majorem & præstabiliorum acquirit
virtutem. Multo vero magis lactis
cum aquis mineralibus potus indica-
tur, quando hæc pulmonum vitia ab
affectione hypochondriaca, scorbutica,
arthritica, vel etiam calculosa,
quod non raro evenit, foventur. Plu-
ra de conubio illo lactis & aquarum
saluberrimo legis possunt in dissert.
quam ex professo de hac materia pro-
didi.

§. XII.

Fuit autem hæc methodus, lac per *Lac min-*
varias admixtiones corrigendi jam sciri po-
reptis medicorum cognita atque con-
stituta . Hinc plura in HIPPOCRA-
TIS, TRALLIANI, AETII & secundū
ARETÆI monumentis consignata vise eti-
existant exempla, ubi lac aquæ per-
mixtum

mixtum phthisi laborantibus praeceperunt, vel etiam in primis hydromel lati additum exhibuerunt, cui miram Hippocrates tribuit efficaciam, dum lib. II. de diata illud ipsum pulmonem emollire, tussim sedare, sputum educere & urinam movere perhibet. Hæc dum meditamus, insignis occurrit locus apud Cl. SPONIUM in aphorism. novis Sect. V. aph. 99. qui non modo externum & vulnerarium, verum etiam internum aquæ calcis usum in impetigine & lepra curanda summis effert encomiis atque dein miscelam hujus aquæ cum lacte egregie commendat, his verbis: Quinimo, inquit, quod magis mirum, in ulceribus internis, diarrœa, dysenteria &c. hæc aqua cum lacte, aut sero lactis posa mira præstat, ut ex Dno de Closure, celeberrimo inter Santones & Vascones pratico addidici. Nec ego quidem hanc methodum facile improbare, siquidem in dysenteria cum intestinorum exultatione juncta lac cum fonte Selterano mixtum incomparabilis semper deprehenderim effacie.

§. XIII.

Cum in-
fusis & decoctis. Sed ulterius progrediamur ac quibus nam aliis remedii lac commode possit jungi inquiramus. Ad pulmonum via graviora in proprio sic dicta phthisi emendanda infusa & decocta ex herbis vulnerariis & pectoralibus concocta non modo a medicis, sed etiam a vulgo omni tempore summo in pretio habita fuisse, res in artis exercitio notissima est. Herbae autem, quæ huic usui potissimum accommodatae laudantur, sunt speciatim consolida major cum radice, consolida saracenica, russilago, plantago acuta, pulmonaria maculosa, sanicula, scolopendrium, scabiosa, veronica, agrimonia, hedera terrestris, marrubium album, millefolium cum summitate hypericum cum floribus, flores rosar. & id genus alia, quæ vel cum cerevisia, vel cum aqua, adjectis ficubus, melle, semineque scenicali & anisi stellati coquuntur. Neque defunt

exempla, quæ insigni cum phthisicorum emolumento hæc ipsa adhibita testantur, quum si simplex saltem abscessus vel ulcus, sine induratione scirrhosa, sine concretione polyposa adsit, multum utique ad partes laeas consolidandas possint conferre. Nihilominus non inficiandum est, ejusmodi decocta non raro propter vim suam adstringentem magno fuisse damno; maxime ubi duris tuberculis pulmones inter initia sunt obseSSI, vel si quando ad haemoptysin intempestive sistendam adhibentur. Sanguis enim extravasatus hac ratione facile subit coagulum, minimaque vascula obstruuntur, ut hinc longe major sanguinis & humorum in pulmonibus fiat stagnatio, ad producendam veram phthisin aptissima. Quod in periculum ne incurramus, ejusmodi infusa vel decocta cum portione vel æquali vel dimidia lactis miscere præstat, unde vis eorum adstringens ex parte infringitur & simul acrimonie humorum temperande propicitur utilissime.

§. XIV.

Quodsi deinceps primæ via ab humorum vitiosorum colluvie sunt re-purgandæ, folia sennæ, rhubarbarum & manna cum lacte vel solo, vel aquato & acidulis temperatoribus diluto, vel etiam cum sero lactis commode possunt infundi leniterque decoqui, quum alias phthisici sensibiliorisque naturæ homines facile a purgantibus, etiam tritioribus laudantur. Vidi quoque, ubi in primis luxurians acidæ sa-burræ in primis viis progenies fuit, magnesiæ, quæ nonnihil subtilissimus calcis vivæ elutriatus flös est, ad draconiam unam vel duas cum aliquot lactis caprini uncis datam egregie al-vum subduxisse.

§. XV.

Ad tussim ferinam omnesque vires cum somno eripientem demulcendam, Cū ad.
dyni & ad acrimoniam temperandam partes que constrictas relaxandas veteres olim insigni cum utilitate diæcordia, quorum præcipua ex succis & semine dlureat,
cit.
papa-

papaveris sunt composita, adhibuerunt, recentiores vero massas pilularum de cynoglossa & de styrace, que justa & refractiori dosi propribata fructu suo non destituuntur, praescribere solent. Nihilo tamen minus hæc singula magis proficiunt, quando cum haustu lactis circa somni tempus offerruntur. Expedit quoque nonnunquam, ubi magnus humorum ad pectus afflatus & major in tussi diuturna & phthisica corruptio metuenda est, ad divertendum humorum impetum, que urinam carent remedia modeste in usum trahere. Cui scopo itidem lac & ejus serum in usum potest vocari ejusque vis diuretica aliquo modo augeri, si cum semine selleri, petroselini, dauci cretici, milii solis, violarom &c. invicem probe conquaſatis infusum porrigitur.

§. XVI.

Pebileni Præter jam dicta supersunt adhuc alia remedia in laſione pulmonum phthisica tam ad depurationem, quam balsamis ad consolidationem summe proficia. *Ioto da-* *peſtora-* *libri.* Quo nomine maxime splendent & efferuntur balsama sic dicta pectoralia & vulneraria; quorum licet in medicorum libris multæ ac variae exstant formulae, nobis tamen probatissimas tantum & a peritissimis in arte viris inventas hic recensere placet. Primum vero locum merito obtinet celebratissimum illud MEUBOMII, Professoris medici experientissimi, balsamum, quod ita componitur: Recipe olei hyperici antiqui uncias duas, sperm. ceti drachmas sex, terebinth. Venet. puriss. drachm. tres, sanguin. dracon. drachmam unam, laudani opiat. grana sex. M. detur a drachma una ad duas. Nec minoris efficacia esse apprehendi, quod in hunc modum paratur: Recipe ol. amygd. dulc. uncias duas, florum sulph. a calce viva sublimat. drachm. duas. Coque leni calore. Adde balsami de Copaiwa drachm. unam, sperm. ceti, cerae flavæ ana pnc. dimidiad, extract. croci drachm. dimidiad, ol. anisi, foenicul. macis

ana guttas X. Quibus succedit tertium hac ratione conficiendum: Recipe mellis optim. Prussici, diacon. Montani ana unciam unam, effent. myrrh. aquosæ & inspissat. unciam dimidiad, flor. sulph. extr. summitat. millefol. drachmas duas, croci liquidi drachm. dimidiad, ol. macis, lign. sassafr. ana gutt. VIII. Hæcce nobilissimæ virtutis balsama, quando iis utendi indicatio est, non meliori vehiculo, quam cum lacte asinino, caprino, vel vacino, convenienti quantitate possunt exhiberi.

§. XVII.

His ita excusis quæ ad methodum medendi curativam pertinere visa sunt, accedimus jam ad curam palliativam seu mitigativam, qua phthisi affectos a gravioribus & vita infestis accidentibus immunes reddere ipsius vitam, licet valetudinariam diutius protrahere allaboramus. Hocce curationis genus in iis potissimum locum invenit, ubi intenſior carnemque & vires sensim depascens calor urget, qui plerumque ob materiae purulentæ cum sanguine mixtionem accedere solet, qua vitalis crux inquinatus per motum intestinum ebullit, acriorque & salior evadit. Ad restinguendum igitur hunc æstum & acrimoniam humorum temperandam, remedium non datur lacte præstantius, tunique lac vel asinum, vel humanum convenienti dosi & sub justa dieta exhibitum omne absolvit punctum. Eodem quoque fine emulsiones, quæ semina IV. frigida mai. papav. albi, decoctum hordei, vel C.C. aquam rosarum, lilior. convallium, cerasorum nigror. julepum rosar. &c. habent, frequenter possunt propinari. Horum lacticiniorum virtus mirum adjuvatur, si cum polveribus temperantibus nitroſis, quorum magna, etiam in incipiente hecita, vis est, exhibentur. Possunt autem hi pulveres in hunc modum componi: Recipe matris perlar. lap. canceror. ana drachmas duas, nitri purif. drachm. unam, olei destill. macis

macis gutt. IV. M. detur ad drachmam unam.

§. XIX.

Balnea aquæ dulcis. Nec, ad mitigandam symptomatum atrociam, negligenda sunt balnea aquæ dulcis cum decenti quantitate lactis vaccini & nitri purif. portione remixta, quorum beneficio partes strictæ, tensæ & aridæ humectantur & relaxantur, tussisque calor ac somnus placidiores redduntur. Quamobrem etiam in ipsa curativa methodo nonnunquam locum habere possunt apertissimum.

§. XX.

Infusa & decocta. Ubi calloso & inveterato ulcere pulmo est obsitus ac quotidie sputum pure mixtum, non sine notabili corporis viriumque decremente ejicitur, unice providendum est, ut acrem salfamque sanguinis & humorum dyscrasiam depurando ulteriore pulmonum exulcerationem avertamus; quo sine temperatiora infusa, quæ ex hedera terrestri, herba costi, chærefol. veron. scabiosæ, tussilaginis & pulmonar. optime conficiuntur summam merentur commendationem. Sed ut crebris & satis longo tempore adhibeantur necesse est. In subjectis ferosioribus & catarrhis obnoxiiis ubi a magna humoris impuri ac ferosi ad pulmones decumbentis colluvie malum inductum & sustentatum fuerit, ad inhibendam majorem ad pectus confectionem pro potu ordinario decoctum rad. chinæ & lign. santali rubri cum passulis, quod ab auctoribus summopere laudatur, cum bonis ægrorum rebus poterit substitui.

§. XXI.

Sacchar. 10 assar. Tandem quoque in tali rerum statu curandum est, ut tonum pulmonum, quantum quidem fieri potest, conservemus. Cui scopo obtinendo facchrum rosaceum cum præscripto decocto sæpius assutum insigniter velificatur; quod simplex remedii genus non modo olim Arabum doctissimi medici, & inter hos maxime AVICENNA maximopere commendarunt, verum

etiam recentiorum nonnulli vel solum ad phthisin tollendam & mitigandam æstimant idoneum. Vid. ZACUTUS LUSITANUS in prax. admir. lib. I. obs. 139. & M. N. C. Dec. II. ann. IV. observ. 19. & SYLVATICUS in consil.

§. XXII.

Transimus nunc ad curam præservatoriam, cuius ratio in eo consistit, ut truculentum hunc morbum ab iis, qui vel natura, ætate, corporisque habitu, vel ex commissis in diæta erroribus ad ipsum proclives existunt, tempestive occurrente cauissis avertamus, aut ubi jam adsit quædam in pulmonibus læsio, eam convenienti remediorum usu vel plane tollamus, vel ne ulteriorius progrediatur, impediamus. Jam vero superiori loco abunde satis evictum credo, in subjectis temperamento sanguineo cholericico, corporisque habitu graciliori præditis, ab anno ætatis XVIII. ad XXXVI. phthisin, seu sputum purulentum cum magna tussi & spirandi angustia junctum ex hæmoptysi non modo plerumque nasci, verum etiam frequenter repetere; quare præcipuus medicis labor esse debet, ut cruenta hæc dejectio, ceu gravissima & sottica causa perite omnibusque modis abigatur, vel ita saltem moderetur, ut ne exinde ad phthisin fiat transitus.

§. XXIII.

Ad quod quidem ex voto exsequendum matura & sufficienti, imo non nunquam repetita sanguinis missione, nec certius nec securius datur remedium. Qua in re consentientem habeo orani tempore experientiam & peritissimorum medicorum auctoritatem. Sufficiat tantummodo ex celeberrimi nostri ævi medicorum BOERHAAVII, praximedica, quam, ipso invito, anonymous quidam editit, dignum attentione locum hic inserere, qui ita se habet: *Si quis hominem ex phthisica familia natum velit curare, tunc summa ope est anitendum, ne hæmoptoen accipiat,*

si hoc efficies, tunc curabis, aliter non. Hinc circa decimum septimum annum venæctio bis terve instituenda, simul vectiones adhibendæ sunt. Et in hac curatione usque ad vigesimum quintum annum continuandum. Nota mihi fuit familia, ubi pater materque & omnes liberi phthisi mortui sunt, unico filio superstite, quem hac ratione curavi; & jam plus quam 50. annos natus vivit, & phthiseos tempus secundum Hippocratem supervixit, nullaque malitia signa habet.

§. XXIV.

Etsi res temporis etibus. Præter sanguinis missionem in rerum non naturalium usu summa tenenda est moderatio; quare ut ejusmodi ægroti a vehementiori animi corporisque commotione, potu spirituoso, & omnibus, quæ sanguinem ullo modo in orgasnum abripere valent, probe abstineant, necesse est. Et quum ab hæmoptysi per medicamenta, quæ validiori adstringendi facultate pollent, imprudenter tractata prona ad phthisin via sit, illa ipsa cane pepus & angue esse fugienda per se liquet. Convenit tunc magis lac cum aqua pura mixtum pro potu adhibere, leniora ex manna & follis sennæ laxantia, & pulveres sanguinis ebullitionem competentes ex conchis, matre perlari lap. canceror. & nitro in usum vocare hisque singulis decocta vel infusa superius descripta, ape subjun gere.

§. XXV.

Dietæ, a Celso, p. 22. p. 18. Nihil vero est, quod corpus a vera phthisi immune reddere, vel incipienti possit occurtere, quam recta vivendi ratio, quam optime inter veteres præscriptis disertissimus CELSUS, qui in lib. III. cap. 22. hæc habet: Inter initia protinus occurtere necessarium. Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, celi mutatione, sic, ut densius quam id est, ex quo discedit ager, petatur; ideoque aptissime in Alexandriam ex Italia itur. Si navigationem aliquares prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est,

tum a negotiis abstinendum est, omnibusque rebus, quæ sollicitare animum possunt, somno indulgendum, cavedæ distillationes, ne si quid cura levaret, exasperetur; & ob id vitanda cruditas, simulque sol & frigus. Observandum, sauces velandas, tussicula suis remedii finienda. Eoque tempore bibenda aqua, lac quoque rediari potest.

§. XXVI.

Recte omnino CELSUS in regimine diætæto præscribendo potissimum *Aeris usq.* urget motum corporis & aeris selectum. Cum quo fere concinit experientissimus Angliae Medicus Sydenhamius, qui equitatione se multos a phthisi præservasse & liberasse testatur. Neque parum interesse putat, quo quis aere utatur, dum phthisici, inquit, ruri versantes ab aere longe melius sanantur, quam urbani: nam aer valde purgas pulmones, & plus quam ultum remedium curat. Qua quidem in re plenius confirmamur, si ritè perpendimus, ob quas caussas præcipue fiat, ut in Belgio & Anglia tam innumerí phthisi persant & hiorum diætæ fere pars ex hæmoptysi in truculentum hunc morbum incidat. Nam certe non modo crassior vistus hic accusandus venit, quum ejusmodi gentes meracissimos cibos, multam carnem & pisces marinos cum spiritu vini confectos assumunt; unde chylus & sanguis ingeneratur crudus, qui in pulmonibus facile stagnans ad phthisis disponit; verum etiam, omniumque maxime aer impurus & carbonum fumo valde refertus huc debet referri, quo bronchiales glandulæ & membranæ cum extremis & capillaribus arteriæ pulmonalis vasculis exsiccantur & hinc successu temporis vitalis hujus visceris tabescens inducitur. Eadem noxam inferunt tempestates frigidæ & venti aquilonares, qui nunquam fere non pulmonibus, maximeque senum & ad phthisin proclivium sunt, infessissimi, ita prorsus, ut non exigua pars hominum inde succumbat. Nihil vero.

vero pejus est, quam aduersus ejusmodi ventum vel ambulando, vel currendo, vel alio quocunque modo se acris mouere. Non raro enim hac ratione homines, imo & animantia, ut equos, in pulmonum abscessus incidisse memini.

CAUTELÆ ET MONITA PRACTICA.

§. II.

Cantio **S**ullus est morbus, qui non modo accuratam diæta observationem, est sed præcipue circum spectum ac providetur remedium remediorum postulat usum, certe truculentus iste pectoris affectus phindicathesis est; in qua se tanta saepe meditatione medicamentorum adhibendorum objicit contraindicatio, ut, nisi omnibus probe consideratis, facile possit errare juvandoque nocere. Ita ad expectorationem promovendam requiruntur bechica dulcia, pingua, syrupi, incrassantia & mellita, quorum tamen immodico uisu non modo tonum pulmonum, sed & ipsius ventriculi destruimus, adeoque copiam crudidatum & majorem humorum in pectori decubitus arcessimus. Calor latus exsiccans desiderat diluentia, humida ipsamque lactis potationem, quæ vero in tussi humida affluxum humorum, quibus pectus obsitum est, adaugent. Ulcera dein sordida putrida postulant balsamica resinosa, cuius generis sunt myrrha, terebinthina veneta, balsamum de Copaiava, Peruvianum aliaque balsama consolidantia vulneraria, quæ tamen motum intestinum & calorem augendo detimentum afferre solent.

§. II.

Quid amplius, candem difficultatem deprehendimus illistrati in molestis iisis ac pene convulsivis, quæ in tussi ferina diuturna ab humorum acrimonia concitantur, pectoris commotionibus. Haec ipsæ enim anomalis, papaveraceis, oleosis & som-

niferis volunt levari, quæ tamet paullo frequentius adhibita vires mirum prosternunt. Exesa, dissoluta & aperta pulmonum vasculosa substantia vulnerariis & leniter adstringentibus debet consolidari; ast humores extravasatos, qui excerni deberent, quum intus retinent atque expectorationem supprimunt, corruptionem magis adaugent. Ulcera quoque si quis velit ad consolidationem perducere, affluxum humorum debet impeditre, quod tum vulnerariis & lignorum decoctis, tum pulveribus ex bolo arimena, terra sigillata, hæmatitide &c. compositis perficitur; si quando vero tophi, tubercula, & indurations adsunt, ut hæc majora sumant incrementa, efficiet. Ad calorem hecticum competendum, nihil est utilius, nihil efficacius pulveribus nitrosis. Sed nec hinc omni tempore exoptatum præstant effectum, dum alvum facile irritant, systalticamque ventriculi & intestinorum vim imminuunt. Lactis denique cura eximium in hisce affectibus assert levamen. Nihilominus tamen in statu plethorico & juvenili, ubi phthisis incipiens & multa acidæ cruditatis progenies cum lenta febre est, ipsam saepe observavi nocentissimam.

§. III.

Sanguinis per venam sectam missio sicut in phthisi incipiente & ad hanc ^{Cautelæ circa V.} præcavendam, in juvenili ætate, est ^{sænam} purgativa, per morbum & calorem vires valde ^{fusa} consumta sunt, minus quadrat; nisi forte ad unciam tantum unicam aut dimidiad pro ventilatione sanguinis admittatur. Purgantia paullo validiora, ut aloetica, scammoniata, eleborata, multo magis emetica, tum vires infringendo, tum temperatum humidum educendo, mirum in modum nocent. Hinc ubi humores a pectori derivandi leniterque per alvum evanquandi indicatio est, hoc sine manata, tamarindinata & quæ ex rhabarbaro, agarico & sennæ foliis confluunt laxantia, omnium sunt commode diffi-

dissima. Quodsi vero nimiae humorum copiae imminuenda parva dosi data non sufficiunt, aut si humores nimis crassi & viscidii, qui minima vascula obstruunt, resolvendi & educendi sunt, pilulae de succino Cratonis, aut quæ ex gummi ammoniaco, croco, mercurio dulc. extracto rhabar. aloes &c. conficiuntur, aptissime possunt substitui.

§. IV.

Circa agnum. Motus & corporis exercitatio, maximeque equitatio a peritissimis tum pristinæ tum nostræ ætatis Medicis in hectica & phthisi curanda mirum laudatur. Sed inter initia morbi & ubi ætas juvenilis corporisque habitus plethoricus est, hæmoptysin sæpe revocando plus mali arcessit. Neque etiam utilis est, ubi ingens pulmonum læsio & vomicarum præsentia metuenda est: nimio enim corporis motu, qui curru & equo absolvitur, quam facile funesta inducitur inflammatio. Longe tamen aliter res se habet cum tabe hypochondriaca, in qua moderata sæpius que repetita corporis exercitia locum inveniunt aptissimum.

§. V.

Circa aeris aëris aësum. Aer quo temperior, quo purior & serenor est, eo magis phthisicis prehenditur proficuus. Quodsi itaque nimis humida ejus intemperies est, quæ relaxato & ab infarctu tumido pulmonum visceri mirum quantum nocet; convenient omnino, atmosphoram corpus ambientem per suffumigia ex mastiche & succino particulis balsamicis imbuere, vel per myrrham electam in ore detentam & saliva solutam aerem inspiratum balsamicum reddere.

§. VI.

Circa curam pectoris a catarro. Quum sæpius a catarro falso, vel acri quadam caustica materia ex aliis locis ad pulmones per metastasis translatæ exulcerationis phthisicæ fiat initium, ad affluxum hinc derivandum & evacuandum, tutus non minus quam utilis esse poterit caustici usus, quo inter scapulas & in cervice adhibi-

to imminentem phthisin feliciter sublatam legimus apud RIVERIUM in obs. Cen. II. obs. 61. 78. Cent. obs. 92. & SCHENCKIUM obs. 56.

§. VII.

Ad curam cum lacte vel solo, vel *Circa aqua mineralibus nupto* secure & effi- *caciter instituendam*, sequentes ne- *lactis &* *aqnari* *minera-* *lum.* cessario tenenda sunt cautiones:

I. Considerate debet inquiri, an ventriculus ejusmodi polleat robore, ut digerere iterumque expellere hoc medicamenti genus possit.

II. Consultum est, ut ante, quam ipsa potatio suscipiatur, prima regio a viscidorum & acidorum humorum colluvie probe depuretur. Ad quod quidem perficiendum commodissimum est, infusum laxans mannatum stimulo tartareo exaltatum propinare.

III. Præstat primis diebus lac vel asinum vel humanum mane hora VI. aut VII. & a meridie hora V. ad sex vel octo uncias haurire, & dein per gradus ad copiam paullo liberaliore adscendere.

IV. Quando per sex vel octo dies æger potationi indulxit, remedium leniter laxans & collectas interea fordes blande educens est interponendum, idque quovis sexto die repetendum.

V. Pro potu vinum & cerevisia exulet & potius prisana ex hordeo, C. C. & corticibus citri eligatur. A cibis quoque, qui concoctu sunt difficiles & pravos ingenerant succos, serio est abstinentum; contra vero juscula ex testutinibus, cancris fluvialibus, carne vitulina & gallina cum herb. lactuc. & cichor. hortensi confecta eximiæ sunt utilitatis.

VI. Denique ad vim ventriculi concoctricem, quæ semper fere languet, promovendam elixir quoddam balsamicum pectorale & stomachicum, quod myrrham elect. crocum, nucifam, cort. aurant. trifol. fibrin. radicem glycirrhizæ habet, inter epulas assumere expediet.

§. VIII.

§. VIII.

*Cura
sudores
collig-
quati-
bus.* In nimiis & colliquatibus sudoribus, qui in phthisi & hectica vires mirum exhauiunt, præter serum lactis & emulsiones, species de hyacintho, si cum refracta portione nitri & dimidio laudani opati grano pro dosi miscentur, eximum afferunt solamen. Quodsi vero a vehementia tussis, qua valde exagitatur sanguinis & humorum massa, nima sudoris contingit profusio, tene & correctum opium, quale est massa pilular. de flyrace, vel Wildegansii cum pulvere temperante optime datur, utpote quod tussim sedando sudorem compescit. Si vero præter tussim colliquans massæ sanguineæ æstus sudoris caufa existit, clarissimi viri MORTONIUS & PITCARNIUS corticem peruvianum cum grano laudani opati præscribere non verentur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Tussis
phthisi.
rum, nati-
onate Frisia-
corporis, ob inordinatum
vitæ genus, maximeque frequentio-
tate res a vino & spiritu vini crapulas
fragiles ac detestandum veneris abusum, ver-
sus febrilis superioris anni tempore incide-
bat in tussim, cum febre catarrhalis,
tam vehementem & continuam, ut
omni somno privatus vires mirum
amiserit. Tussim siccum excipiebat
valde humida, qua ingentem lenti
& viscidi phlegmatis, variegati col-
oris, rejiciebat copiam. Aderat si-
mul magna pectoris angustia cum
spirandi difficultate, atque invale-
scens febrilis æstus non modo car-
nem penitus absumebat, ut instar
sceleti æger appareret, verum etiam
vires ita prorsus enervabat, ut
movendi potentia, imo ipsi sensus im-
minui viderentur. Plures ex medi-*

Tom. IV. Part. IV.

corum numero consuluit, qui pecto-
ralibus, analepticis, sero lactis &
pulveribus temperantibus nitrofis tan-
ti morbi pertinaciam oppugnarunt
& nihil penitus, quod levamen ullo
modo ferre posset, intentatum reli-
querunt: sed quum ex omnium sen-
tentia nihil spei ad salutem reliqua
videretur, evenit, ut fragis hortensi-
bus vescendi appetitu flagraret. Ad-
sumsit ex permissione nostra quædam
& succum luxit ac deglutivit, idque
crebrius repetiit, nihil inde turbarum
in prima regione, sed vires potius quo-
dammodo relevatas sentiens. Quod
quum animadverterem, diutius ho-
rum fructuum usum protrahere jussi.
Paruit æger consilio & per diem ma-
gnam quantitatem cum appetentia de-
voravit. Et en! prodigio similis con-
spiciebatur effectus. Elaphis enim tri-
bus hebdomadibus quum pro quindecim
imperialibus æger, comedisset vi-
res, quæ antea prorsus dejectæ erant,
magis magisque se erigebant, ardens
calor defervescebat, noctes erant pla-
cidiores, tussis mitior, respiratio fa-
cilior & sic contra spem omnium eve-
nit, ut intra duorum mensium spa-
tium optime convalesceret.

EPICRISIS.

Instar miraculi certe hæc cura in
hac urbe habita fuit, quum ceteris,
etiam probatissimis remediis, nihil
juvantibus a fructibus succo refrige-
rante turgidis natura optimum leva-
men accepere. Ex quo discimus, la-
titare interdum in vegetabilibus &
fructibus specificam quandam adversus
graves & diurnos morbos efficaciam,
ita, ut esu malorum chinensium satis
diu continuato pertinacem icterum
sublatum, & largiori malorum persi-
corum usu affectionem melancholicam
noverim sedatam. Temperati quippe
& fermentescibiles ejusmodi succi
egregia pravam humorum dyscrasiam
immutandi vi pollut.

M

OB.

OBSERVATIO II.

Tuffis pbris. Studiosus Hallensis viginti & alii quot annorum, qui per annum, & ea in iu-^{ea} quod excurrit, otio, veneri & Bac-^{veneris} cho multum litaverat, a parentibus rata, adjustam temeritatis poenam luendam in carcerem traditur. Sed inde ira valde commotus non multo post affligitur truculentis imi ventris forminibus & spasmis, pereunte simul ciborum appetentia. Accedebat tussis sicca convulsiva, qua noctu maxime infestans omnem fere somnum adimebat. Jungebatur ægra spiratio & incendium carnem cum viribus mirum consumens. Sub tali rerum statu, quum æger omnia fere medicamina respueret, pro potu ordinario ptisanam ex hordeo & C. C. paratam & mane ac vesperi serum laetis acidulum, adjectis cancrorum lapidibus temperatum, cum syrupo papaveris albi assumendum commendavi. Tussim siccarn sucedebat valde humida, qua miram phlegmatis purulenti cum striis sanguineis mixti reddebat copiam, tanquam spirandi angustia vexabatur, ut in momenta suffocatio instare videtur. Ordinavi igitur lac asinimum mane & vesperi ad libram unam & ultra bibendum; & ut alternis diebus manne pinguedinis caninæ recentis uncia dimidia, circa decubitus vero pulvere temperante cum duobus massæ pilularum de styrace granis maritato ute-
retur, suafor fui; unde æstus paullo mitior, somnusque placidior fieri coepit. Absoluta post aliquot hec domades hac lactis cura accessimus ad decoctorum, ex speciebus vulnerariis & pectoralibus concinnatorum usum, qualia composuitmus ex herbis veronicæ, scabiol. sanicul. agrimon. hederæ terrestr. scolopendr. plantag. acut. quas invicem cum cerevilia secundaria, adjectis ficubus & melle, decoqui jussimus. Inter alimenta præcipue lac cum amylo & oryza mixtam, nec non placentas ex farina triticea tenuissima,

laete, butyro & vitello ovi cum passulis minoribus & concisis pomis Borsdorffianis confectas commendavi. Quorum remediorum ope, absoluto duorum mensium spatio, integre convalescuit.

EPICRISIS.

Plura mihi in memoriam incident exempla juvenum, qui ex immoderato vini & spiritus vini usu in phthisicam affectionem prolapso ejusmodi remediis, contra spem omnium pristinæ sanitati fuerunt restituti. Nec adeo obscura est hujus rei ratio. Etenim in juvenili & vegeta adhuc etate, ubi reliquis visceribus salvis, humores a nimio spirituorum potu valde exagitati per externam refrigerationem, aut aliud affectum in pectus decumbentem subsistunt, indeque inflammationem & abscessum formant; omnino temperantia & consolidantia remedia plus salutis afferre solent, quam ubi abdominis viscera obstructione alioque virtus laborant, vel ipsi pulmones a longo tempore labem contrarerant, vel etiam concretionibus polyposis sunt referti.

OBSERVATIO III.

Vir quadraginta annorum, sanguineus, ad iram valde proclivis, olim ^{inipi-} militæ mobilique & inordinato vita ^{ensi a} generi deditus, nunc in otio & quiete ^{materie} vivens, neglecta, cui antea sueverat, venæ sectione, varia ad fluxum hemorrhoidalem sensit molimina; qui cum minus succederet, venæ sedales crux inibi stagnante fastigio cum dolore & ardore valde intumuerunt. Acerbitus chirurgus huncce tumorem externe corrosivis tractavit remediis; unde ulcus prodiit mali moris fistulosum, quod latius serpēdo vicinas partes ^{retract-} exedit, nostrumque per annum & ultra pessimis cruciavit incommodis. Consulti itaque sunt alii rei medicæ & chirurgicæ magis periti, qui per sectionem &

& remedia convenientia interna consolidationem ulceris procurarunt. Sed elapsa mensis spatio vehementi æger corripiebatur tussi, qua ingravescente non modo multam & viscidæ & purulentæ materiae expuebat quantitatem, verum etiam quæ adsumebat alimenta, ob vehementem ventriculi irritationem, sere omnia reddere cogebatur. Aderat simul magna spirandi difficultas; corpus, quod antea sat pingue & robustum erat, tabe consumi, vires cum appetitu prosterni & alvus supra modum fluida fieri incipiebant. Medicamentis contra hæc mala præscriptis nihil proficiensibus, ego tandem vocatus ægrum accessi, & quum pulsum non adeo celerem, nec calorem, nisi post iracundiae effectum, in quem vel levissima data caussa facile incidebat, magnum deprehenderem, sequentem ingressus sum medendi methodum.

1.) Pro potu ordinario commendavi decoctum ex radice chinæ, sarsaparilla, scorzonera, lign.sassafras & herbis sanicula, pulmonar. & marrub. albo, additis passulis & ficubus, conflatum.

2.) Ad sedandum vomitum & ventriculum roborandum exhibui elixirum nostrum viscerale, cum dimidia liquoris anodynæ mineralis & essentiæ corticum aurant. portione remixtum.

3.) Cremor hordei cum amygdalis dulcibus, vitello ovi & saccharo cando, adjecto quandoque olei amygdalarum dulc.cochleari, aut pinguedinis caninæ recentis portione, sèpius fuit oblatus.

4.) Bolum armeniæ cum extracto millefolii & florum chamomill.vulgar. æquali pondere in pilularum formam redactum circa horam decubitus, singulis fere diebus, ad drachmam unam assumere soavi.

5.) Fonticuli utrique brachio fuerunt inusti, qui magnam ichoris fecundi quotidie fundebant copiam. Nec denique sanguinem e vena tali tusa parciori quantitate dstrahere negleximus.

Quibus remediis intra sex circiter hebdomadum spatium id per Dei gratiam consequuti sumus, ut æger a molestis, quæ antea valde urgebant, symptomatibus liberatus, pristinæ integrati fuerit redditus.

E P I C R I S I S.

Phthisica hæc affectio a metastasis seu, ut *Hippocrati* dicendi mos fuit, palindrome, tum sanguinis per haemorrhoides exitum non invenientis, tum materie ulcerosæ ob fistulam consolidatam intus retentæ suam traxisse originem videtur. Neque ignorum, sed in re medica satis obvium est, ab antiquis ulceribus fistulosis, & fonticulis quoque præmatre consolidatis, a tumoribus glandularum scirrhosis, ut colli & parotidum resolutis, a gutta rosacea, scabie & aliis cutis defecationibus per topica imprudenter cohibitis, materiam vitiosam excrementitiam, per metastasis ad mollem & spongiosam pulmonum substantiam translatam ibi per moram ulcus formasse. Quæ cum ita sint, ad derivandum ejusmodi decubitum haud sine ratione fonticulos brachiis admovere jussimus, & reliquam curationem non validis, & humores multum exagitantibus remediis, sed potius lenissimis temperantibus, demulcentibus & roborantibus perficiendam judicavimus.

O B S E R V A T I O IV.

Femina viginti annos nata, de morte sinistri hypochondrii dolore, alvo adstrictiori & contumaci tussi humida diu conquesta incidit ante bennium, prægressa fortiori corporis commotione, in haemoptysin, ad quam sedandam a medicis pariter ac vulgo varia & sine dubio adstrictivæ indolis oblatæ fuerunt remedia. Cefavitis fluxus, nec postea rediit, sed simul menstrua purgatio, quæ fatis antea liberalis fuit, emanxit, & tum protinus angusta cum pectoris oppresione

fione & insigni virium decremente succedit spiratio. Ante anni spatum modesta eaque continua tussi elidebatur materia purulenta, cum striis sanguineis & muco viscidio sat copioso mixta, corpus magis magisque ob depressam ciborum appetentiam contabescet, virium indies major erat lapsus, augebatur calor, pulsuumque a sumto cibo celeritas. In tam miserabili statu posita a me petit consilium ægra. Ego itaque curam lactis asinini cum tertia parte fontis Selterani mixti, & cerebriorem facchari rosacei usum per mensem & ultra continuandum suasi, interposito circa vesperam pulvere temperante ex conchis præparatis, lapid. cancerorum focco citri imbutis & pauxillo nitri composito, quem cum emulsione seminaum IV. frigidorum adsumere debuit. Cerevisiam quoque pro potu interdixi, & denique ad ventilationem sanguinis parciorem venæ sectionem circa solstitia & æquinoctia commendavi. Qua methodo probe observata, quum insigne virium allevamentum perciperet ægra, per litteras mihi magnas egit gratias pro consilio & auxilio non sine fructu suppeditato.

E P I C R I S I S.

Si ullo in morbo medici perversa medicamentorum applicatione misericægrotantibus multum afferunt damni, certe in nimis sanguinis excretionibus per adstringentia id fieri certissimum est, ut ideo non modo de adstrictivis validioribus præpostere usurpati, verum etiam de mitioribus, quæ innocentis alias indolis sunt, vulnerariis & pulmonariis, imo ipso Peruviano cortice tristes quotidie casus attentiori medico in artis exercitio observare licet. Et hinc nihil prope frequentius occurrit, quam quod ab hæmoptysi, per ejusmodi adstringentia perperam tractata phthisica affectio suam trahat originem, de quo quidem optime præmissa morbi historia convincere

nos poterit. Quod vero si incidit, statim inter initia morbi, quæ potissimum in humoris corrupti & putrefacti stagnatione vasculorumque pulmonalium infarctu consistunt, succurrendum est; quo fine nec securius nec præsentius datur remedium asinino-lacte, cum fonte Selterano, vel Carolinis thermis ad dimidiā vel tertiam partem permixto: cuius remedij ope obstructions & stagnationes dissolvuntur, acres & falsi humores temperantur, ac denique per alvum & urinam educuntur utilissime. Præter hæc vero quum simplicissimum hocce remedium laudabili exsuccas partes nutriti vi polleat, nihil dubii est, quin simul viribus insigne accedat augmentum. Nec quidquam exinde detrimenti in corpus redundant, si modo secundum regulas, quas supra præscripsimus, rite usurpetur.

O B S E R V A T I O N E V.

Ego, quum non ita pridem in aula ^{Singula} vicina Martisburgensi versarer, a do-^{de subi-}
ctissimo Archiatro Dno Claudero re-^{tesca}
latum audivi singularem casum, qui ^{pulmo-}
ita se habet. Vir aliquot supra triginta ^{num}
annos natus, boni & pleni corporis ^{corrup-}
habitū, robusta natura & integra ^{tione.}
sempre valetudine gavisus ante duos
circiter annos in dextro thoracis late-
re dolorem persensit pressorium cum
spirandi quadam angustia, maxime
sub ascensu scalarum, junctam, ni-
nihilominus amplissimum, quo funge-
batur, munus aulicum sine ulla mole-
stia obicit. Sed accidit, ut in natali-
tis Principis a frigido potu in corpus
saltando commotum & calefactum li-
beralius immisso protinus de insigni
corporis viriumque languore conque-
stus per universum corpus horrorem
tantamque peitoris compressionem
perciperet, quæ omnem spiratio-
nem adimere videbatur. Seque-
batur postea intensus febrilis calor
& ingens cum tremore artuum tuf-
siendi conatus, sed sine omni
expe-

expectoratione, noctes transigebat æger insomnes & elapsis septem diebus suffocatus animam expirabat. Corpus dissecandum iussit Dux Serenissimus, & ecce pinguedine, quæ duos pollices latitudine æquabat, totum corpus erat obductum. Omentum apparebat multa pinguedine instructum & reliqua imi ventris viscera, hepar,lien, pancreas, renes sana erant & integra. Aperto pectoris cavo primo omnium in conspectum veniebat pericardium, quod præter multam pinguedinem nihil ostendebat præternaturale. Incisione facta in dextrum cordis ventriculum conspiciebatur concrementum crassioris substantiae polyposum, quod in venam cavam tam adscendentem quam descendenter protensum harum capacitatem valde arctabat. Inspectis pulmonibus lobus dexter, qui costis veris æstissime accretus difficillime poterat separari, materiæ innatabat foetidæ & purulenta, libras propemodum duas pondere æquantis, in qua complures corruptæ pleuræ partes hinc inde hærebant dispersæ. Diaphragma quoque in superiori parte ab incumbente putrida materia valde corrosum & sinister pulmonum lobus, qui aspectu fanus adaptabat, cultro dissectus totus materia corrupta purulenta erat refertus.

EPICRISIS.

Licet morbus, quo vir generosissimus periit, non proprie ad phthisin referri possit; eum tamen in hunc finem potissimum hoc loco inferere lübuit, ut evidenter adpareat, quam brevi tempore & quamfacile vitale pulmonum viscus in fano & integro corpore possit lædi atque lethaliter corrumpi. Caussam tam atrocis & subitanæ catastrophes jure meritoque rejiciendam puto in subitam inflammationem, quæ in corpore plethorico & vasis cordis majoribus polypo obsessis liberioremque sanguini motum prohibentibus per potum frigidum ca-

Tom. IV. Pars IV.

lenti corpori ingurgitatum inducta in magnum abscessum degeneravit, qui cessante expectoratione celeriter increvens totamque pulmonum substantiam depascens brevi spatio vitales extinxit motus.

OBSERVATIO IV.

Studioſus juris viginti quatuor annos habens, corporis tenuioris ac striatioris, staturæ mediocris, ex liberaliori vini potu & paullo vehementiori corporis sub pilâ ſu exercitatione incidit ante biennium in hæmoptoen crebrius recurrentem. Sedata hac sanguinis rejectione, dolorem in pectori pressorum cum spirandi augustia corporisque marcore retinuit. Sequebatur postea immanis tuffis circa decubitum maxime, ob molestam muci in laryngem destillationem infestans, qua magnam sputi mucosil & quandoque purulenti reddebat copiam. Interim adhuc ſalva gaudebat appetentia, nec quidquam a summis cibis molestia, niſi quandoque, quum mediocritatis regulam neglexerat, prefforium in ventriculi regione dolorem sentiebat. Non multo poſt accidit, ut ob contumeliosum comilitone contentionem gravi percelleretur iracundia, unde mox impetus converſis omnibus, de ciborum faſtidio, majori præcordiorum anxietate & ſomno inquieto conqueri cœpit. His tandem, prævia horripilatione, jungebatur febris continua, tantaque spirandi & expectorandi difficultas, quæ, omnem adimento spiritum, perpetuam minabatur suffocationem. Adhibebantur optima, quæ in hoc caſu commendari ſolent, remedia, ſed in caſum datis omnibus, æger brevi poſt animam afflabat. Dissecto cadavere mesenterium, omentum omnesque reliquæ interiores partes pinguedine fere carebant. Ventriculus cugi duodeno rubicundis maculis erat obſeffus & pulmones, qui bruni erant coloris, pleuræ fere undique & in utroque latere tenacissime

M 3 adnati

adnati inveniebantur. Dexter pulmonum lobus scirrhosis tuberculis & parvis vomicis obsefus sanguineque extravasato repletus videbatur. In sinistro conspiciebatur cavitas contenta materia purulenta turgida; cuius quantitas non minoris astimari posse videbatur, quam quinque unciarum. Denique dextrum cordis ventriculum occupabat polypus, ramum sat magnum in arteriam pulmonalem emitens.

E P I C R I S I S.

Quod hic juvenis diu admodum ab hæmoptysi sibi ingentem pulmonum labem, quæ sine dubio in scirrhosis tuberculis posita fuit, contraxerit & nihilominus sua subire munia rite potuerit, non adeo mirandum est; quum per experientiam abunde constet, magnas tenerimo huic visceri lœsiones induci & tamen vitam ad seros usque annos nonnunquam posse protrahi. Interim discimus ex hoc casu, ad via pulmonum exacerbanda & inflammationem lethalemque abscessum in generandum nihil fere potentius esse, præter febrem, vel acutam, vel intermittente & in primis vehementem animi commotionem. Quare quibus pectori laborantibus longius vivere voluere est, commendandum arbitror, ut ab omni tum animi tum corporis excessu abstinentendo moderatisime vivant.

OBSERVATIO VII.

Phthisis hereditaria, a parentibus phthisi demortuis varia progenita, quarto puerperio exacto febre tertiana in violentam incidit tussim cum serosis sputis. defluxionibus ultra dimidium anni major graviter infestantem. Quatuor abhinc annis mensibus febre correpta fuit tertiana male morata, quæ spasmodicis pedum sub frigore & declinatione tractionibus copiosisque sudoribus mirum fatigavit. Varia hinc inde prescripta medicamenti-

na quom nihil tolerant opis, tandem ad corticis chinæ in electuario usum perventum est. Conquievit inde febris, sed longe graviora accesserunt pathemata; liquidem glandulæ colli intumuerunt, dolores pungitivi & pressorii in sinistro pectoris laterè, cui ægre incumbebat ægra, cum anxia spiratione & calore vespertino coeperrunt ingravescere, menstrua purgatio immixti viriumque robur magis labefactari. Ego igitur in consilium adscitus non dubitavi ratione & experientia suffultus, præmissa ventris per potionem mannatam expurgatione, præscribere usum acidularum Egranarum cum tertia lactis caprini vel asinini parte remixtarum, quas tepefactas per integrum mensem mane ad mensuram unam, sub convenienti diætæ regimine, bibere jussi. Pro potu ordinario decoctum radicis chinæ cum passulis & inter epulas, ad stomachum roborandum, elixir nostrum balsamicum viscerale sumendum; lateri vero thoracis sinistro dolenti glandulisque colli tumidis imponendum suasi sequens emplastrum: Recipe gummi bdell. myrrh. sagapeni, animæ singulorum unciam dimidiā, sperm. ceti, ceræ ana unciam unam cum dimidiâ flor. sulph. drachmas duas, polv. croci drachm. dimidiā, olei anisi, camphoræ ana drachm. unam. M. f. l. a Emplastrum. Neque vero spem fecelit hæc curatio; quippe qua finita insigne symptomatum levamen percepit ægra, tantum quod in integrum, ob inordinatum mensum successum non fuerit restituta. Suasi igitur, ut elæosacharum myrratum in frequentiorem usum ducat, quod ita paratur: myrræ optimæ uncia una ex libra una aquæ, adjecta salis tartari drachma una, coquitur; quod remanet a coctione, est magma gummoso resinum temperatus, myrræ saporem & odorem adhuc referens, cuius drachma una cum uncia una sacchari canariensis mixta vel singulis diebus, vel quam maxime circa instantem mensum

sium periodum cum infuso Thee vel Coffee sumitur utilissime. Est enim hoc remedii genus & pectori & utero amicum atque a me per aliquot annos summa cum euphoria saepius commendatum.

EPICRISIS.

Ex phthisicis parentibus natæ feminæ nisi a puerperio exactam diætæ habent rationem & sibi ab aere frigido animique affectibus carent, perfacile, si præsertim lochia non rite fluxerunt, latentem refuscitare morbum solent, quod & ante aliquot annos in persona Serenissima annotare mihi licuit. Deinde in naturali ad phthisin dispositione, quid? quod in omni prava viscerum constitutione febris tertiana & biliosa, tam acuta, quam chronica superveniens mali est ominis, dum malum non modo exacerbat, sed & immediabile reddit. Multo vero adhuc magis periculum ostendit, si adstringentibus præmature supprimitur. Tum enim plerumque mensium fluxus valde turbatur atque pervertitur, ut postea ejusmodi morbi curatio medenti multum faceat negotii, nec nisi convenientibus & generosioribus cesseret remediis.

OBSERVATIO VIII.

*Phthisis
habituata
sive pt.
rictio.* Studiofus medicinæ industrius, qui mihi quondam a manibus fuit, virginis aliquot annos natus, temperamento sanguineo-cholerici, ad impatiens tiam & iram valde proclivis, ob hæreditariam, quam a parente phthisico acceperat, dispositionem vernali & autumnali tempore crebrius laborabat tussi, raucedine & interdum cruento, licet parciori sputo; quæ deinde, initio matrimonio & physici munere obtento, ita increaserant symptomata, ut materiam purulentam saepius rejiceret corporeaque fere penitus contabesceret. Sed nihilominus infusi herbae veronica cum lacte caprino mixti & conser-

væ rosarum continuo usu, nec non venæctione ter in anno administrata per triginta adhuc annos, quæ Dei gratia est, servatus est felicissime.

EPICRISIS.

Cognita mihi sunt adhuc alia exempla juvenum, qui vel a parentibus, vel ex inordinata academica vita phthisicam pulmonum dispositionem obtinuerunt similibusque correpti symptomatis vitam satis diu protraherunt. Ita memini Doctoris medicinæ Silesiaci, qui tali labore affectus in nostra academia, præter accuratam vietas observationem, solo frequentiori infusi theiformis ex veronica & pulmonaria cum lacte temperari usu, adjectis nonnunquam olei tartari per diliquum XX. guttulis vitam ad multos annos prolongavit. Quod vero, si evenit, indicio est, ulcera quædam aperata callositate superinducta in aliqua pulmonum parte, salva reliqua eorum substantia, latere. Quamdiu itaque per congrua remedia tum motuum & humorum temperatura conservatur, tum obstructio & inflammatio in hoc viscere avertitur, nihil metuendum periculi est. Hæc scribenti in mentem incidit summe Reverendus Theologus Helmstadiensis Calixtus junior, qui olim superstes mihi retulit, se per triginta fere annos quotidie, sine ullo respirationis detimento expusse pus album foetidum, & nihil adhibuisse præter venæctionem bis quovis anno iteratam & decoctum rad.chinæ & safra cum passulis, quo ad mensuram dimidiata continuo uteretur.

OBSERVATIO IX.

Quum Mindæ Westphalorum, ante Empyreum quinquaginta & quinque annos, ^{ma & pe.} provincialis medici munere fungens <sup>ripens
monte</sup>, degrem, sequens mihi obtigit notabilis casus, quem hic inserere placet: <sup>extra
tboracta
cavita-
sem dif.
ruptum.</sup> Consiliarius regius, vir floridi & sanguinei habitus, ea tempestate, quum

peripneumonia populares habebat circuitus, vehementi febre, cum sputo sanguineo & ingenti spirandi difficultate juncta corripiebatur. Decrebat eisdem morbi & febris vehementia, sed elapo mensis spatio invadebat tussis, pectoris oppressionem gravitatemque inducens, calor circa vesperam latus affligebat, appetitus sequebatur prostratio, & corpus, valde antea obesum, consumta pinguedine, mirum emaciatum apparebat. Tandem quadragesimo ab accessione febris die simul & semel cum maximo impetu tanta puris flavi ex ore ferebatur copia, ut aliquot libras pondere aquaret. Excipiebat mox respiratio facilior, unde ego accessitus miratus sum & summas divinas benignitati gratias habendas esse edixi, quod tanti periculi abscessus non intra thoracis cavitatem ruptus & æger, ut subinde usu veniret, ob nimiam materię ad asperam arteriam congestionem suffocatus fuerit. Et quum vires non adeo multum dejectas deprehenderem, de salute quidem recuperanda non desperandum, ipsam tamen curationem paulo longius protrahendam esse nunciavi, quam in hunc, qui sequitur, modum institui. Primo laxante manato & rhabarbarino primam regionem a foribus deplendam & dein dimidiā lactis vaccini tepefacti mensuram, instillata balsami cuiusdam pectoralis drachma una, singulis diebus mane bibendam suasi. Balsamum autem ita erat confectum: Recipe olei hyperic. vetusti uncias duas, flor. sulphur. drachmas duas, coque leni calore. Colaturae adde terebinth. venet. drachmas duas, croci drachm. dimidiā, ol. anisi, uincitæ destillat. ana guttas XII. M. Inter cibos quam maxime jusecula avenacea & hordeacea cum jure carnis vitulinæ, gallinæ & cancerorum auviatilium succo parata, & loco potus mox ptisanam, mox decostum chinæ & herbae pulmonar. cum passulis commendavi. Quarta a prandio hora iterandum jussi lactis tepidi

usum cum electuario, quod ex conservæ rosar. unciis duabus, hæmatitidis præp. boli armen. ana drachmis duabus & convenienti syrapi papav. albi portione compositum ad drachmas duas devorare æger debuit. Ad flatus, quibus venter fere perpetuo erat turgidus, discutiendos injici jussi clysteres emollientes & carminativos. Tandem vero, ut externis pariter succurratur remediis, pectoris tam anteriori quam posteriori parti impositum fuit emplastrum ex gummi bdell. sperm. ceti, axung. humana, cera, flor. sulph. croco & oleo anisi conflatum. Qua methodo tantum, per Dei clementiam profeci, ut intra binos menses integre vir amplissimus convaluerit & ego non exiguum inde famam in juventute mea retulerim.

E P I C R I S I S.

Abscessum, seu empyema a peripneumonia & que ac pleuritide male progressa facile posse enasci non modo gravissimo Hippocratis testimonio, sed & certa longe experientiæ fide constat. Neque minus in eo concors est medicorum sententia, permagnum & vix medicabile hoc malum esse habendum: nam si intra thoracis cavum rumpitur ejusmodi empyema, raro evadunt ægri: si intra pulmonum substantiam contingit disruptio atque pus ad asperam arteriam magna in copia congeritur, perquam facile suffocatione jugulantur. Dei itaque & naturæ benignitati in nostro ægrotante jure meritoque est tribuendum, quod medicamina, in juvenili aetate a me commendata tam felicem habuerint successum. Ceterum quoad curandi methodum hoc potissimum debet animadvertisi, magnam sepe quorundam remediorum in longis morbis sanandis esse efficaciam, si convenienti dosi, ordine, &, quod præcipuum est, satis longo tempore usurpentur. Multa enim medicamentorum varietas crebriorque mutatio tantum abest ut ægrum juvet, ut ipsum potius in deteriorem & lethalem sepe statum præcipiter.

O B.

OBSERVATIO X.

Tbribis. Haud ita pridē Serenissimus quidam animis Princeps Lutetiis Parisiorum meum sanguinis supra singularem casum requisivit iuris facti dicium & consilium, quem hoc loco recensere operae arbitror pretium: illustrissimi stemmatis femina, duo deviginti annos nata, quæ tum obtexturam corporis teneram aptamque membrorum figuram, tum ob eximiam ingenii animique alacritatem cuique se commendat intuenti, iam inde ab octavo ætatis anno multis catarrhalibus per Etoris fauiciumque defluxionibus, coryzā, tussim, raucedinem inducentibus tentata fuit, quæ licet a febre cum alvi dejectione subsecuta solutæ remiserunt, tussis tamen cum vocis quadam alperitate sèpius recrudescens pertinaciis inhæsit. Decimum supergressa annum crebra multaque saltatione, nulla tamen subsecuente aut lassitudine, aut anhela spiratione, corpus strenue exercuit. Quindecim annos habenti exire primum recto ordine cœperunt mulieres purgationes, quæ non multo post, initis matrimonii legibus, ipsi gravidæ subliterunt, & quam octimestre absolvisset gestationis tempus, primo noni mensis die parturire cœpit enormi conatu, per duodecim horas durante; ad quem allevandum quater medici detrahi jusserunt sanguinem: & sic tandem infans prodiit enecatus. Lochia quoque dein rite fluxerunt, nihilominus decimo a partu die sollicitabatur tussi sicca, cum enormi capitidis dolore astuque febrili stipata, qua parcam pittuitæ non adeo viscidæ exscrebat copiam, remanente oris quadam ariditate febreque quotidie recurrente. Hæc contra mala varia remedia nihil tulerunt levaminis, ut potius lentescens ille viresque & carnosam corporis substantiam depascens calor, quia pastu major sit, cum largo sudore quotidie affligat, nec non tussiculosa pectoris conusso, cum crebra pittuitæ ad puris indolem nunc accendentis exscreatione vehementer urgeat; licet ceterum res-

piratio sine raucedine facilis sit, alviq; beneficium optime semper constet.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Exhibit hic casus exemplar veræ phthiseos, seu pulmonum exhalationis, cum febre lenta ad hæsticam inclinante; id quod multa validaque tussis, cerebri mucidæ cum pure mixta materiæ rejectio, sudores colliquativi, tabida corporis viriumque consumptio, aestus volatius & pulsus a summis cibis celerios testatum faciunt luculentissime. Quodsi autem hujus mali veram professam originem, dubitare non licet, illud ipsum a nimia sanguinis, ob cerebriores venæficationes, jactura proxime esse deducendum. Etenim hac ratione humorum per omnes corporis, maximeque excretionibus inservientes partes mirum fuit turbatus; unde non modo vitalis ille crux naturali temperie sua immutatus ac seriosus factus formandis hinc inde flagrationibus opportunitissimus exstitit, verum etiam pulmonibus a perpetuis catarrhis cerebriisque tussi jam antea debilitatis eo facilius labem inducere potuit. Digna enim est, quæ probe teneatur observatio, phthisis æque facile a nimia sanguinis abundantia oriri prudentique ejusdem per V. Snem imminutione averti, ac a boni crux defectu ejusq; inconsulta detractione, maxime in corporibus tenera & vasorum & fibrarum constitutione præditis, posse generari; quale quid in pueris a nimio lochiorum fluxu exhaustis sèpe iterumq; observare mihi licuit. In prognosi nostrâ malâ suppeditanda statim in apercitur rem esse prædicti, nihilominus curacionem, si ipsi adhuc locus superasset, in hunc modum putavi instituendam. Primo consului, ut lac asinum ad tertiam partem cum Selterana, vel alia ejusmodi principio alcalino imbuta aqua remixtum quater de die ad octo unciarum pondus bibatur. Quodsi vero harum aquarum deesset copia, seri laetis dulcis libram medicam, addita nitri

nitri purificati & salis tartari portione, mane & a meridie potandam commendavi. Deinceps hora quarta vespertina & ante decubitum adsumi debuit pulvis, sequentis compositionis: Recipe cornu cervi sine igne præparati, mandib. lucii pīcīs, boli armen. spec. de hyacinthro, nitri purif. solutionis oculor. cancr. succin. præp. ana drachmam unam M.F. pulvis, div. in XII. partes. Tandem commendata fuit recta vivendi ratio, ut nimirum ægra lectissimis ex carne caponis elixa ac vitulina paratis utatur jūsculis, quibus herbae plantaginis acutæ, scabios. pulmonar. maculosæ, agrimoniar. hederæ terestr. card. bened. cum canceris fluviatilibus contusis inter decoquendum fuerint adiectæ. Et quum magna vis in potu sita sit, ab omni alio abstinerre & pro potu ordinario hoc sanguinem purificans decoctum eligere consultum duxi: Rec. cornu cervi raspati, rad. scorzoneræ, chinæ, singulorum uncias IV. rasuræ lign. fantal. rubri, rad. cichorei ana unciam unam cum dimidia. Concisa d.s. species, quarum duæ unciaæ in tribus aquæ mensuris per tres horæ quadrantes coquendæ.

Et hæc fuerunt, quæ proponenda duxi remedia. Sed non multo post nunciatum mihi fuit, illustriss. ægrotam, ante consilii mei adventum plāide expirasse.

OBSERVATIO XI.

Observatio XI. Circa generaliorem affectionis phthisicæ tractationem utilem hoc loco inserere placet observationem; quod corporis abestia sem ad pectoris morbos disponentem videlicet in longævo artis exercitio annotaverim, homines proceræ admodum staturæ, vegetos & robustos, in optimo ætatis flore constitutos pessimis istis, qui ex pulmonum labefactantur ægritudinibus, quales sunt hæmoptysis, asthma, tussis chronicæ & convulsiva, empyema, febres peripneumonicaæ & pleuriticæ ipsaque phthisis & hectica, frequentius esse

obnoxios, & apertis eorum post mortem cadaveribus plerumque concretiones polyposas in cordis cavitatibus atque pulmonum vasis deprehendi. Causas tam peculiaris phœnomeni si paulo curatius inquirimus, has observamus portissimas. In celsis ejusmodi corporibus, testante pulsu debiliore & tardiori, sanguinis progressus atque circuitus nunquam fere non tardior est ac impeditior, quam in personis mediocri statura præditis; quippe tum difficilis admodum est sanguinis ex inferioribus & tam remotis a corde partibus, propter perpendiculararem situum, ad pectus & caput adscensus: gravia enim, per leges motuum, natura deorsum tendunt & guttæ sanguinis retardantur ab aliis, in quas allidunt. Accedit dein, quod proceræ hæcce corpora plerumque sint pinguiora & ad subeundos strenuos labores minus apta: vitaque desidi magis dedita; unde circulari humorum motu retardato, ut spissiores & crassiores evadant succi necesse est. Jam, si forte talismodi ad ostentationem natu homines paullo vehementius & diutius, e.g. armis bellicis exercentur, massa sanguinis & humorum, ob validiorem musculorum motum, magno cum impetu ad cor & pulmones compellitur, & quum æquali tenore ac nisu per minima pulmonum vascula non possit ferri, fiunt inde omnipotentes humorum in vasis stagnationes, fiunt distensiones, disruptiones & extravasationes, quæ ad recensitos pectoris morbos aditum parant amplissimum. Ob eandem quoque stagnationem accidit, ut fecidentes solidæ & crassiores sanguinis partes invicem cum coenant temporisque progressu in majorē compactæ molem vasorum alveis æctissime adhærescant & hac ratione æquabilem sanguinis per cor & pulmonum viscus circuitum impediendo morbos istas pectoris affectiones magis obſeruant contumacioresque reddant.

EPICRISIS.

Quanto difficilior est morborum, qui firmam in pulmonibus sedem & caussam obtinent, sanatio; tanto facilius & tutior est ab hisce præservatio. Igitur præter ea, quæ jam superiori capite hoc fine commendata sunt, suadeo 1.) ut proceri ejusmodi homines a vita motus experte abstinentia corpus perpetuo exerceant; hac tamen observata cautela, ne motum paullo validiorem & nimis laboriosum instituant. Namque hæc major motus species sicut in morbis, qui a viscerum, maximeque hepatis prava constitutio-ⁿe & impeditiori sanguinis per ipsa circuitu proficiscuntur, summum tam præservandi quam curandi scopo fert auxilium; ita econtrario pulmonibus & morbis abhinc prodeuntibus valde est infensa, ut usque eo non modo ad hos ingignendos, verum etiam exacerbandos multum conferat momenti 2.) ut misso omni potu spirituosisori, ut spiritu vini & cerevisia crassiori, potum tenuorem, eumque nec nimis calidum, nec nimis frigidum assumant, nec in victu cibis nutrientibus plus justo indulgeant 3.) ut circa æquinoctialis tempora secta vena redundantem sanguinis copiam imminuendam current 4.) ut sibi caveant, ne post longioriem quietem motionem vehementius & repentina quas initio instituant; quod autem si fecerint, mox infusum veronicae & flor. bellidis in largiori quantitate hauriant. Et hæc est facilis & genuina gravissimos & fere immedicabiles hos morbos mature averteri methodus, quam, si rite adhibetur, non sine fructu fore confido.

OBSERVATIO XII.

Pervulgata est opinio, iis plerumque omnibus, qui viscera non habent cœta a. integra, maximeque gravem in pulmonibus læsionem soventes phthisica mineralia passione laborant, aquarum mineralium;

lium usum esse infensissimum. At vero hoc assertum non universale, sed cum grano salis esse intelligentum, ego quidem multiplici edoctus experientia bona adseverare fide possum. Novi enim nonnullos, qui ulcere pulmonum, sine febri tamen æstu, affecti insignem purulentæ & ichorosæ materiae quotidie rejecerunt copiam & a moderato Carolinarum usu, ob liberiorem inde redditam respirationem faciliorernque materiae vitiosæ expunctionem, ob ciborum adpetitum totiusque corporis vigorem restauratum optime habuerunt, licet in totum sanitati non fuerint restituti. Nec dissimili ratione novi alios, qui tussi valde humida & pertinaci per aliquot annorum decursum graviter afficti, frustra datis omnibus alias expertis contra tussim remediis, a Carolinis cum justo regimine potatis egregie sunt allevati, aut a molestissimo hoc affectu penitus liberati. Ita mihi in memoriam venit femina generosa, temperamenti sanguineo-phlegmatici, laxiorisque corporis habitus, quæ ex inordinato vita genere & potissimum immoderata ciborum incongruorum adpetentia, ante octo circiter annos, in tussim incidit valde contumacem humidam, quæ per multos annos laborioso ac vehementi pectoris non minus ac abdominis conatu ingentem viscidi phlegmatis, varii coloris, per vices ejicit quantitatem, quæ intra nycthemeron collectim integrum adæquabat libram. Jungebatur simul, absque tamen febri calore, angusta spiratio corporis que universi languor, cum pallore faciei multaque & crebriori vomitione. Hæc contra mala quum ab omnibus, quæ magna in copia devoraverat, medicaminibus, nihil retulerit levannis, ego consultus prudentem & moderatum Carolinarum usum suasi. Renuebant quidem consilio tum medicum ægrotantis amici; malo autem ingravescente ægra per excelsos montes salutares hos fontes adiit eosque per mensem & ultra secundum methodum

a me

a me præscriptam babit, tam felici successu, ut non modo tussis vehementia cum nimia muci viscidi ejectione remiserit, verum somnus etiam placidior & respiratio liberior redditam inde fuerit. Sequenti anno eandem curam non minori fructu iteravit; & licet malum exinde non prorsus cessaverit, longe tamen mitius factum fuisse agra mihi leta nuntiavit.

EPICRISIS.

Id omnino firmissimum & in experientia satis fundatum esse largior, morbos, qui ob nimiam viscerum, maximeque pulmonum lesionem, ob æstum febrilem & præsentem virium lapsum lethales habendi sunt, a potu fontium salubrium minus sanari, sed potius ad funestum perduci exitum. Tali enim ratione ob stagnationem & extravasationem aquarum in corrupto viscere magnamque in eodem continui solutionem longe major infertur putredo. Id quod eo magis evenit, ubi humor vel in cerebro, vel in thoracis & abdominis cavitate extra vas a effunditur, vel etiam polyposa in cordis & pulmonum vasis hærent concrementa, quæ liberum fluidorum circuitum impediunt. Contra vero, ubi non tanta viscerum laesio humorumque corruptio, quæ ex viribus dijudicari debet, nec febrilis calor adeat, optime sane haæque, dum aperientem, abstergit, viscidosque humores per omnia emunctoria, & præcipue per alvum evacuantem ac simul roborantem possident virtutem, fructum ferunt præstantissimum. Sed ut convenienti regimine, ordine ac dosi adhibeantur, necesse est.

Plures de phthisi observationes reperire licet in Consult. & Respons. med. Tom. I. Sect. II. casu LXXV. LXXVIII. LXXIX. XCIX. &c.

CAPUT XII.

DE CACHEXIA ICTERICA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

QUAMVIS plures sint cachexia³, Diffl. sive depravati corporis habitus stolidi, species, nobis tamen jamjam de ea speciatim agere animus est, quæ flavescente & nigricante corporis colore sece prodit, & icteri, seu morbi arquati & regii nomine in scholis medicis insignitur, nihilque aliud est, quam vitiatus & corruptus sanguinis & humorum, ab admixta bile excrementitia, propter vitium in biliferis ductibus, status, functiones universi corporis multum laedens cutimque externam flavo vel livido colore deturpans.

§. II.

Signa, quibus se manifestat hic morbus, sunt præcipue sequentia: Primo in tunica oculi albuginea flavedo conspicitur, qua demum universa cutis imbuitur; urina crassa & obscure rubra mingitur, linteamina instar croci tingens, fæces vero alvinæ coloris sunt pallidi. In pejori statu saliva quoque flava exspuitur & omnia adsumta saporis sunt amaricantis. Præterea affecti de sensu quodam violentæ stridæ, pressionis & tensionis in dextro hypochondrio, neque minus de angustia circa præcordia, respirandi difficultate, totiusque corporis conqueruntur lassitudine.

§. III.

Longe adhuc prolixius & accuratius Historia hujus morbi historia & progressus a ab Aret. medicorum antiquissimis, maxime secundum tra- que ARETÆO in lib. III. cap. XV. de- scribitur, sequentem in modum: *Icterus universi habitus ægritudo est, & membrorum singula indicia apparet, perspicua vero sunt & ea, quæ in albissimis oculis cernuntur & frontis secun-*

secundum tempora color flavus exquisitior efflorescit. Quicunque nigro arato laborant, in his ater color viridi commixtus appareat. Idem frigent, imbecilli, desides, tristes atque demissi animo sunt, tetrum odorem exhalant, gustatum amarum habent, spiritum non facile ducunt, in ventriculo morsus percipiunt, alvi excrements porracea, subnigra, arida sunt, agreque descendunt; urina valde colorata est, ad nigrum vergens. Ad hæc cruditate laborant, cibum detestantur, vigilant, morent, melancholia agitantur, at in albiore arato color est ex albo & viridi temperatus; mente sunt hilariores, cibos accipere primo eos piget, sed ubi cœperunt, naviter comedunt, facilius quam priores concoquunt; alvi purgamenta sunt alba, arida, cretacea, lotium reddunt crocinum. In utrisque corpus omne pruriginosum est, calor in naribus exiguis & mordax percipitur, gustatus amarorum non amarum, lingua enim bile suffusa non sentit, dulcium vero amarus. Si nullius visceris cælastio fuerit evidens, sive noxa est, sed diuturnior. Si perseveraverit & viscus inflammatione vexatum fuerit, in aquam intercutem desinit, multi & sine aqua intercute sudore colliquativo interierunt. Ex quibus adductis evidenter eluescere arbitror, singulas ferre corporis functiones in morbo hoc præter naturam affici. Neque ratio elonginquo erit repetenda. Nam sicuti sanus & vegetus functionum status a temperata & laudabili sanguinis & humorum crasi quam maxime dependet & sustentatur; ita e contrario si hæc ipsa ab impuris & pro majori vel minori gradu corruptis humoribus vitiat, non mirum est, actiones inde corporis nostri tum vitales, tum naturales & animales plus minus accipere detrimenti.

§. IV.

Observationes Multo vero magis de bilis excrematis singulari partes tam fluidas quam solidas immutandi efficacia convincere nos possunt varia de eadem summa apud auctores observationes. Ita san-

guis e vena icterici emissus spuma & consistentia flavus adparet, teste Theodoro ZWINGERO, qui in ictericis quandoque ne guttulam quidem unicam rubicundi & floridi croris comprehendisse, sed sanguinem per venæscionem curiositatis gratia emissum flavæ jumentorum urinæ similem non sine meatis stupore observasse scribit. Imo in femina quadam, inquit, summe icterica conspexitus sanguinem & urinam, quam crassam emitit, sibi invicem simillimam suisse, post 15. vero dies, quibus icterus integre propemodum discensus fuit, sanguinem ad aliquod uncias extractum maxime rubicundum ac floridum extituisse. Neque viscera & intestina, ut pulmones & ventriculus naturalem colorem retinent, sed æque ac pinguedo & membranæ flavedine plus minus saturata tinguntur. Qua de re consuli possunt ZACIUS LUSITANUS in præstigiis admirabili lib. III. PASENIUS in M.N.C. ann. 4. obs. 194. & THONNERUS, qui in obs. lib. III. de ictero obs. 1. mentionem injicit cardinalis cuiusdam Romani, ictero defuncti, cuius singula membra flava inventi. Insuper quoque ossa flavedine imbuta & arte quasi tintæ in puerò ex matre icterica nato deprehendit KERKRINGIUS in spicileg. anatom. cui symbolum suum addit DOLEÆUS in Encycloped. medicalib. III. cap. VIII. ubi in vitro quadragenario, ictero demortuo, omnia tum abdominis tum thoracis viscera & ipsum cerebrum cum ossibus & cartilaginibus icterica tintura i.e. flava adfecta Hanoviæ vidit. Notatu præterea dignissimum est, quod GALENUS & SEXTUS EMPIRICUS scribunt, ictericos ob oculorum colorem flavedine infectum omnia objecta flava intueri. De cuius observationis fide MERCURIALIS in prelect. Bononiensibus valde dubitavit, quia nec Celsus, nec Cælius Aurelianus, nec Aetius, nec Avicenna hujus symptomatis mentionem fecerint. Nos tamen bina exempla in ætate virili constitutis observasse testimur.

§. V.

§. V.

Differen- Deinceps ad veram morbi icterici-
ta mor- indolem accuratius diagnosti-
*ti et i-*cum & ad meliorem exinde ratione caussa-
rum, eventus & curationis dijudica-
tionem formandam hæc monenda esse
ducimus, quod multum hic affectus,
per quem speciatim icterum flavum
intelligimus, inter se differat. Nam-
que constanti experientia comproba-
tum deprehendimus, alium valde esse
contumacem ac diuturnum & difficul-
ter admodum medicamentis expugnari,
alium brevi tempore cessare & reme-
diis facile cedere; alium dein perpe-
tuò inhærente, alium tantum statim re-
verti periodis & certas modo horas
perdurare atque etiam in quibusdam
esse anniversarium. Datur præterea
icterus vel idiopathicus, vel sympto-
maticus. Illius quidem cauſa altius
visceribus, maxime hepati, inhære-
scit; hic vero aliis morbis superven-
iens nonnunquam colicæ convulsivæ
hystericæ, cardialgiaæ & passioni ilia-
cæ, vomitioni & purgationi post va-
lidius adsumtum emeticum aut pur-
gans medicamentum jungitur. Est
quoque criticus, qui interdum salatis
in febris acutis præbet indicium,
interdum pejorem statum præfigit,
quod fieri solet, quando inflammatio-
ni ventriculi jungitur, vel hæc icte-
rum sequitur. Postremo ingens omni-
no inter icterum flavum & nigrum
tam ratione cauſæ, quam periculi no-
tanda occurrit differentia, utpote in
hoc longe gravior humorum corrup-
tio & viscerum læſio, quam in illo de-
bet suspicari.

§. VI.

Conſe- Præmissis sic potioribus, quæ ad
prox- morbi historiam pertinent momentis,
ma ſeſ- dispiciendum nunc erit de veris nostri
ri. mali & symptomatum cauſis. Jam
vero unanimis medicorum sententia
est, in ictero tantum non semper he-
par præter naturam esse affectum; vi-
deamus igitur, quomodo hæc læſio
ad malum nostrum contribuat. Quod-
si autem perpendamus, nobilissimum

hepatis viscus a natura in hunc potissi-
mum finem tanta ductuum varietate
& copia instructum esse, ut sulphurum,
adustum & cum lympha visci-
da quasi alcali satum, quod bilis no-
mine venit, a sanguinis & humorum
massa fecernat, secretum per peculia-
res canales ad duodenum, ad promo-
vendam ibi digestionem, deferat; fa-
cile intelligimus, impedito vel pror-
sus intercepto bilis ad intestina itinere
hujus ad vasa lymphatica ipsumque
sanguinem fieri regurgitationem,
adeoque proximam & principalem
icteri adesse cauſam. Et quum tali
ratione serum & succus nutritius bile
inficiuntur, explicatu facillimum est,
cur color cutis in flavum mutetur,
nutritio vitium capiat & urinæ crassæ
atque rufo tintæ colore mingantur;
neque minus inde patet ratio, cur
non flavo colore per alvum prodeant
excrementa, cur digestio ciborum
langueat & multa circa primam regio-
nem percipientur incommoda.

§. VII.

Sed paullo altius & specialius erit in-
quirendum, quænam sub tanta icte-
ricorum differentia, quam supra mon-
stravimus, præcipue in hepate partes
ac viæ præter naturam affici soleant
& a quibusnam cauſis vitio laborent.
Has ipsas vero vel in vitio materiae va-
sa obſtruuntis, vel in motibus spasmotis
vasa coarctantibus in universum
positas esse quifque theoriæ medice-
gnarus facile poterit dijudicare.
Utriusque igitur status peculiarem in-
ſtituamus disquisitionem.

§. VIII.

Et primo quidem, spasmos ictero
ſæpen numero præbere originem, in
experiencia omnino fundatum. Quan-
docunque enim, quod ſæpius accidit,
subito icterus invadit, brevique tem-
pore terminatus per periodos iterum
recurrit, tunc fane nec in materia
peccante, nec in vasorum obstruc-
tione & infarctu, sed potius in spastica
ductus cholodochi, qui tunica valde
ſensibili nervosa præditus est, conſtri-
ctione

ctione caussa residere videtur. Quam obrem deprehendimus, a vehementiori ira, qua nihil ad inducendum icterum potentius est, neque minus a corrosivis & drasticis tam purgantibus quam vomitum cibentibus remedii, vel ab ipsa bile in cholera, cardialgia & principio febrium biliolarum, icterum subinde oriri, quippe quæ omnia rite invicem comparata de spasmodica ductuum biliferorum testantur luculentissime. Ut nihil denique dicamus de anatomicis eorum, qui ictero perierunt, sectionibus, in quibus nonnunquam ne minimam quidem a calculosa, vel mucida & viscosa materia obstructionem in ductibus, qui bilem ad duodenum vehunt, reperire licet.

§. IX.

^{ab ob-} Progradimur ad alteram caussam, ^{fractio-} vasorum obstructionem, de qua qui-
^{ne} ^{dum} ^{eo} minus dubitare licebit, quo
^{rum} ^{frequentiori} constat observatione,
^{corum} cystidem felleam non raro insignis
^{& osse-} magnitudinis calculis esse repletam.
^{cultus} ^{fel.} Quod itidem valet de reliquis ductibus
hepaticis & in primis cholodocho, qui
non modo calculis magnitudine, figura & colore inter se diversis, verum etiam gypsea, tophacea & viscosa ma-
teria sè penumero inveniuntur obfessi,
ita tamen, ut quo illa magis mollis ac
solubilis est, eo symptomata leviora
subsequantur. De quo consuli meren-
tur M. N. C. ann. I. obs. 44. & BONE-
TUS in sepulchreto lib. III. Sect. VIII.
obs. 36.

§. X.

^{Calculus} At vero non semper a calculis vias
^{quando} biliaris infarcentibus icterus solet in-
^{icter-} duci. Ita ETMULLERUS in praxi
^{transfa-} Part. II. pag. 54. confirmat, dissectam
fuisse mulierem, ex cuius vesicula fel-
lis plures lapides majores minoresque
fuerint collecti, quæ tamen ab ictero
libera mansisset. Cui adjungendum
esse censeo, quod Cl. Lipsiensium
Professor D. Petermannus in vetula
Torgensi præter 17. lapides nihil ferme
lucci biliosi in cystide fellea depre-

henderit, cum tamen ictericī mali proflus exp̄s fuerit. Vid. ejus diff̄. de scrutinio icteri ex calculo vesica fel-
lea. Quæ cum ita sint, reddenda a nobis est hujus phænomeni ratio, quæ nostro quidem judicio haud dubie inde erit petenda. Quam diu calculus in vesica fellea non movetur, sed quietus jacet, non secus ac calculus in renum tubulis nullas creat molestias. Simul vero ac e loco suo disturbatus ad ductum cysticum propellitur, ibi ha-
ret & vehementi distensione atrocem dolorem & spasmum, qui totum du-
ctuum biliariorum systema in consen-
sum trahit, progignit & sic morbum nostrum graviaque cum ea complicata symptomata producit, quæ dein, ex-
cluso per alvum calculo, ut a nobis saepius observatum est, ex toto quic-
scunt.

§. XI.

Sunt vero quædam signa haud falla-
cia, quæ calculorum in ductibus bilia-
riis indicant præsentiam, qualia poti-
simum sunt gravis & lancinatorius in
hypochondrio dextro circa scrobicu-
lum cordis dolor, constanter cum ali-
quali remissione affligens, cum sum-
ma præcordiorum anxietate, spirandi
angustia, pectoris compressione, nau-
sea & nonnunquam ipso vomitu, alvi
constipatione, inquietudine & vigiliis
junctus. Quibus accedit, quod ejus-
modi ægrotantes non erecti, sed dor-
so flexo incurvati incedere possint.

§. XII.

Verum enim vero, non tantum a ^{ab ob-} cal-
culis in ductibus biliaris concreta, ve-
^{fractio-} rum etiam si materia tenax, viscida ^{ne du-}
^{rum} ^{minimos} ductus secretioi bilis ^{bilem}
dicatos infarcit, icterus progignitur ^{secretio-}. Hoc enim si incidit, non ad ductus bi-
liarios, sed per distenta vasa lymphati-
ca bilis cum lympha ad sanguinem
deferatur necesse est. Quam in rem
digna est, quæ annotetur observatio
Jacobi CAMENICENI in epist. ad
Matthiolum pag. 184. qui vidit hepatis
venas in parte ejus cava prius quam in
communem illum caudicem portæ de-
linquit,

sinunt, obstructas lapillis eas distendentes, foras nigris, intus flavescentibus. Quorum & illud referendum est, quod de glandulis arteriæ hepaticæ & sellis ductui ad intestina tendenti adjacentibus apud BORELLUM pag. 326. legitur, quarum mole & tumore hic ita comprimebatur, ut vix aliquo conatu instrumentis tenuissimis esset transitus; quinimo ab excrecentiis carneis compressionem aut occlusionem cholodochi caulsari CABRUL-GUS observ. chirurg. X. & MECKERN observ. chirurg. 43. annotarunt: & ab omnimoda ejus exsiccatione & obstructione omnem viam intercipiente iæterum subortum in cardinali quadam Florentino post mortem se vidisse perhibet ARGENTERIUS in lib. IV. aph. Hipp. quamvis hæ observationes sint rariores.

§. XIII.

*Causæ
mediae
te sunt
plethora
16.*

His ita deductis, deveniendum jam est ad caussas mediatas inquirendas, quæ iætericæ cachexiæ potissimum veſificantur. Ex quibus præcipua se nobis offert plethora, seu major sanguinis & humorum, quam natura ferre potest, copia. Quod quidem non adeo mirum videri debet. Etenim quum per hepatis viscus etiam in statu naturali ob venam portæ, impulsu ſufficienti deſtitutam languidior est circulare motus, fit omnino, ut acciden- te plethorico statu sanguis ſpiffior & vifcidior facilis inibi ſtagnet minima- que vasa obſtruat. Unde etiam fieri obſervamus, in cachexia leucophlegmatica, in ſcirrho & induratione he- patis, ob deficiētē partium biliofa- rum ſeparationem, cutis colorem ex flavo viridescentem adparere. Nec quidquam ſuperest dubii, qui pefi- mæ indolis iæterus, quem nigrum ap- pellant, ingentem & fere immedica- bilem hepatis labem magnatique hu- moris biliosi corruptionem pro cauſa & fundamento agnoscat.

§. XIV.

*Parver-
ſo die-
ſa.*

Ex diætæ vitio cauſam iætero pre- bant antecedentem cibi diſpepti, qua-

les ſunt piſi, fabæ, lentes, caseus &c. utpote qui ob rudiorem crassioremque texturam ſuam, maxime ſi magna in- geruntur copia, diſſicilius digeruntur ſanguinemque ingenerant ſpiſum ac impurum. Huc quoque referendi ſunt ex potulentis vina acida, auſtera, ce- reviſia acescentes & aquæ, quæ ar- gilloſas & tophaceas ſecum veſunt particulas; quæ tamen omnia longe pejorem exferunt effectum, ſi vita ac- cederit ſedentaria ac ſomnoſenta. Ni- hil vero tam potenter ad morbos ex hepatis vitio oriundos conſert, quam immoderatus vini generosi & præfer- tim adūti abuſus, unde chylus, & lymphæ nutritia coagulantur bilique magna & sanitati ſumme infenſa inducitur dyscrasia. Præterea ad malum vitæ regimen pertinent quoque animi affectus, ex quibus præter iram, quam jam ſupra inter præcipias noſtri mali cauſas retulimus, mirum quantum valet longior triftia, quæ dum ſan- guini crasso ingignendo & abhinc pro- deunti tardiori ejusdem circuitui ap- prime velificatur, ad iæterum chronicum & contumacem aut producen- dum, aut revocandum exiſtit aptiſ- ſima.

§. XV.

Denique etiam non raro ex aliis *Progres-
ſi mor-
natales.* Hinc febres intermittentes *bl.* per remedia adſtrigentia intempeſti- ve ſuppreſſas ſæpenumero iæterum ſequi, præter experientiam reſtatur RAMAZINUS, qui a tali febre per corticis chinæ uſum perperam cohibita iæterum ſubortum in libris ſuis an- notavit. Neque rarum, ſed in praxi medica ſatis obvium eſt, a mensibus vel hæmorrhoidibus obſtructis vel re- tardatis iæterum enaſci.

§. XVI.

Transitus nunc fiat ad ſuppeditan- dam prognosin, quæ medico ad exiſti- *Progres-
ſi.* commendaſiſſima. Hæc vero, prout ipſa ſubjecta respectu ætatis, corporis habitus, roboris & naturæ diſferunt, *vel.*

vel prout caussæ vel atrociores vel mitiores sunt, tam ratione durationis quam eventus multum omnino differt. Quando enim hoc malum juniores invadit homines & simplex tantum ac solitarium est, non cum alio morbo, ut quartana, malo hypochondriaco, vel obstructione ex hepatis scirrho complicatum, nec adeo longum tempus duravit, convenientibus remediis tam diaeteticis, quam pharmaceuticis tolli potest facillime. Quodsi vero sæpius post curam, colore flavo in nigriorem vergente, recidivat & indurationem hepatis junctam habet, fuisse utplurimum est eventus, quia vel in heæticam, vel hæmorrhagiam enormem terminatur. Si a vehementiori iracundia affectu, vel a purgante & emetico draftico, ob spasmadicam intestinorum ductuumque biliferorum strictroram iæterus oboritur, commoda medicinæ in tempore adhibitæ facile cedit. Difficiliorem vero admittit sanationem, si aut longiori tristitia sovetur, aut si corpus a morbo antea perpresso valde debilitatum invadit.

§. XVII.

^{Prognosi} Qui febri jungitur iæterus, sæpius illius criticam affert solutionem, ita in præxi aliquoties annotandi occasio fuit, febres, quæ cum spasmis ventris, vomituque bilioſo & intensiori æstu stipatae in corporibus hypochondriacis, prævia iracundia fuscitantur, iætero superveniente feliciter fuisse terminatas, quod jam olim confirmavit HIPPOCRATES, qui lib. IV. aph. 64. quibus cunque, inquit, per febres die septimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto iæterus incidit, bonum & salutare, nisi dextrum hypochondrium obduruerit. Haud dissimili ratione iæterus in febribus intermittentibus, in primis sub paroxysmi initio exortus nullum portendit malum: nam illo finito & hic ipse evanescit. Qui vero inflammationi hepatis, vel duodenii aut ventriculi accedit iæterus, in ancipiti ægrum esse significat. Sæpe etiam gravidas circa ultimum gestationis

Tom. IV. Pars IV.

tempus adoritur qui tamen tempestiva sanguinis missione facile supprimitur. Calculus in cystide fellea contentus, si insignis est magnitudinis, adeo ut totam ferme vesiculam oppleat, causa sæpe est iæteri gravissimorumque symptomatum, quorum potissima sunt, dolor ardens circa scrobiculum cordis in latere dextro, tormina circa idem latus sævissima, nausea, vomitus, lipothymia, respirandi difficultas cum lurido faciei aspectu. Quæ vero si incident, periculosus morbi status est, qui tandem in ascitem definit lethalem. Hinc etiam aliquoties in iis, qui hisce symptomatibus defuncti sunt, dissectis totam vesiculam felleam calculis vidi refertam & circumiacentes partes, ut colon & fundum ventriculi, flavo colore contaminatas atque exterius, ob bilis forte acrioris per poros cysticos transßudationem corrosas. Ita quoque ratione asthamati convulsivo, quod plerumque hydropon tam thoracis, quam abdominis post se trahit mortiferam, sæpiissime causam præbet vesicæ felleæ a subsistentibus copiosis concrementis calculosis repletio.

§. XVIII.

Ad nigredinem vergens iæterus ob ^{Prognosi} magnam eamque malignam, quæ si ^{si iæterus} terrefrictis & acido-corrosivæ indo-^{iæterus} lis est, humorum corruptionem lethalia utplurimum infert symptomata, nec curari ullo, aut nisi summo negotio potest. Talis infestus quam maxime est senibus, & facile in maras-^{mus}, in cachexiam, tumores cœdematosos, erysipelas malignum, sphacelum, vel etiam in molestas degenerat hæmorrhagias.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

IN curatione iæterici prudenter & ^{Prima} circumspete adornanda primo sta- ^{Indicas} tim caußarum, corporum, & temporis ^{sto in} iæteri a aliarumque circumstantiarum haberi ^{spasmic} debet ratio; siquidem pro singulorum ^{habore} N diver-

diversitate, illa ipsa etiam aliam postulat methodum. Quodsi enim, ut saepius ab ira, a validiori medicamento, aut veneno adsumto, vel per consensum ex colica spasmodica hemorrhoidal & hysterica evenire solet, icterus subito corpus invaserit & adhuc recens est; a vehementiori duorum biliariorum per hepatis penetralia disperforum strictura illum ori, vero est simillimum, atque tum medicus primam indicatiunem exsequi studeat: nimirum, ut tensæ & constrictæ partes relaxentur, adeoque bilis tam secretio suspensa, quam ejus ad intellectu descensus impeditus naturali restituatur libertati, atque demum, ut bilis acrimonia, quæ spasmorum genetrix est, mitigetur ac contemporetur.

§. II.

Hab. in servient medica menta interna Dictis scopis obtainendis egregie inserviant emulsiones, quales ex seminibus IV. frigidis maj. papaveris, & cannabis &c. quod ob sulphur vaporosum, quo præ aliis imbutum est, præcipue a SYLVIO commendatur, cum aquis sedativa virtute præditis, ut florum tiliæ, acaciæ, primul. veris, lilio convall. chamomill. vulg. millefolii, cerasorum nigrorum, addita syrapi papav. albi portione, commode possunt parari. Egregiæ porro & expertæ hoc fine virtutis est liquor nostræ anodynus, si cum aliquot olei macis destillati guttulis, vel in affectionibus colicis & hysterics cum essentia castorei, croci & laudano opio Sydenhamii maritetur. Ad mitigandam vero humorum acrimoniam pulveres absorbentes leniter nitrosi, qui ex lap. canceror. conch. matris perlar. pulveris Marchion. ana drachma una, succini præp. nitri purif. ana drachma dimidia, olei macis gutt. IV. confieri possunt, operæ faciunt pretium, quibus pro circumstantiarum ratione aliquot extracti castorei, vel croci grana sunt admiscenda. Vehiculi loco inservire potest serum lactis & lac purum aqua dilutum, vel emulsio amygdalina,

vel etiam decoctum avenaceum cum uno alterove olei amygdalarum dulcium cochleari permixtum.

§. III.

Externa quoque anodyna & paregorica præcordiali regioni tepide apposita insigne ferunt levamen; quo fine commendanda est vesca floribus sambuci, chamomill. vulg. millefolii, salvia &c. ex lacte coctis repleta, vel si hæc molesta videatur, epithema ex theriaca, oleo nucis moschatæ expresso, spermate ceti æquali pondere mixtis, & pauxillo croci ac camphoræ compositum scrobiculo cordis applicari potest utilissime; idque eo magis, ubi cardialgia, seu gravis ventriculi spasmus cum nimia vomitione jungitur. Nec spernenda efficaciam sunt enemata ex speciebus paregoricis cum lacte coctis & sufficienti pinguedinis vel olei chamomillæ cocti quantitate confecta, utpote quæ, ceu balneum internum, partes spasmus dolorifico correptas fovent leniuntque insiniter.

§. IV.

Eadem quoque methodo iisdemque *Kadem profunt ad spasm.* uti remediis expedit, ubi pertinax icteritia cum funestis spasmis ex calcu- lis ductui cystico aut cholidacho firmi- *calcule* ter impactic enascitur. Atque tum *sedan-* non minorem præstant effectum, *dos.* quam quidem exserere solent, si calculus renum uretheribus inhærens gravissima in circumiacentibus nervosis partibus parit symptomata, quibus propter spasmus relaxatum sublatis, natura sape suis solius viribus utens ejusmodi obstaculum ex illis angustiis deturbat felicissime.

§. V.

Et hæc sunt potissima, quæ ictero, *Indica-* ex spasmodica ductuum biliariorum *stiones curato-* strictura suberto, faciliusque transfracta in eunti satisfaciunt remedia; videamus *ictero* nunc, quænam in contumaciore *sa-* ab ob- structio- piusque recidivante malo, quod vasorum hepatis obstructioni debetur, ineunda sit medendi via. Vix alia autem sunt indicationes, quam ut 1.) du- *ne orto-* etiam

Etuum biliariorum obstruktiones a biliosa, viscida & terrestri cretacea amurca invicem concreta provenientes dissolvantur, atque hac ratione liberor bilis ad duodenum cursus, ad rite peragendum chylificationis negotium, restituatur 2.) ut vasa bilis secretoria a sanguine tenaci, viscido infacta convenientibus remedii referentur, ut succum biliosum ad ductus biliarios libere transmittant. Deniq; 3.) ut valde retardatus ac impeditus sanguinis circuitus, qui obstruktionum concretionumq; constituit fundamentum, per totam vaticulosam hepatis substantiam naturalis reddatur & æquabilis.

§. VI.

His sa-
tisfa-
cient,
& apo-
zemata.

Hisce indicationibus explendis, mea quidem sententia commode inserunt, quæ recensebitus, remedio-decoctorum genera. Et ex his longe eminent & apozemata, quæ ex speciebus specifica quadam humores viscidos resolvendi & occlusas hepatis vias aperiendi facultate gaudentibus adparantur, cujus generis sunt radices quinque aperientes, si ex aqua coctæ, vel etiam in syrum, qui in pharmaco-pæis prostat, redactæ assumuntur. Speciantur hoc quoque herbæ lactiferæ, ut lactuca, scorzonera, taraxicum, tragopogon, sonchus, endiviam, hieracium &c. quæ si cum aqua decoquuntur, aut si succus recens cum sero lactis vel aslinino lacte offertur, eximiām prestant opem. Idem tenendum esse arbitror de suceo graminis recentis. Hinc celeberrimi Batavia Medici SYLVIUS & BOERHAAVE de vaccis & bovibus referunt, quod eorum hepar hiberno tempore, quum foano & stramine vescerentur, calculis esset referrut, qui æstate, quum recenti gramine pro pabulo uterentur, amplius non apparent: dubio procul quod succis harum herbarum solutis hepar a viscidis & coagulis humoribus optime repurgatur. Nos itaque ictericis decoctum radicis graminis, erynchii, cichorei, foeniculi &c. pro potu ordinario insigni cum fructu commendavimus, sapissime.

§. VII.

Tum vero nullum est, quod in omnibus hepatitis morbis, adeoque etiam in icteritia curanda, præsentiorē, certiore ac efficaciore virtutem præstet remedium, quam aquæ minerales tam frigidæ quam calidæ, sub convenienti regimine potatæ, utpote quæ tum ob aquarum subtilium principio elasticò spirituoso imbutarum copiam, tum ob sal medium, quo turgent, minerale, in lentis humoribus dissolvendis, in oppilatione vasorum referanda & omnis generis excretionibus promovendis magnam habent potentiam. Et profecto si dicere velimus quod res est, raro admodum vel prorsus non icterus recidivans & chronicus sine convenienti fontium salutarium uso, quales præcipue sunt acidulæ Egranæ, Spadanæ, Schwalbacenses & thermæ Carolinæ, ex voto poterit sanari.

§. VIII.

Nec insuper habenda sunt salia neutra sive medii generis, quæ ob infinitem aperitivam, deterativam & tam per diuresin quam per alvum leniter evacuantem virtutem inter medicamenta adversus icterum proficua speciale merentur commendationem; ex quorum censu sunt terra foliata tartari, tartarus tartarisatus, sal polychrestum, arcanum duplicatum, nitrum purificatum & antimoniatum, solutio ocul. cancer. cum succo citri, tartarus vitriolatus & borrax &c. Huc pertinent etiam salia ex aquis mineralibus, Egrani, Carolini, Sedlicensis & Epfonsibus elicita; quorum vis mirum intenditur, si cum sufficienti quantitate aquæ, seri lactis, vel decocti longiori paullo tempore adhibentur. Nec præterire licet rhabarbarum, quod in hepatis affectibus ad humores dissolvendos & corrigendos specificæ & spectatissimæ est virtutis, sive in substantia cum dictis salibus remixtum, sive cum herbis supra laudatis in vino infusum, sive in tincturam & essentiam cum terra

foliatæ tartari redactum propinetur.

§. IX.

*Ultima indica-
stio po-
bularū
robora-
glia.*

Ultima denique medentis debet esse intentio, ut tonus vasorum hepatis debilitatus atque dejectus, qui obstruktionum & concretionum caussa existit, remediis blande roborantibus & tonicis restituatur. Quod quidem martialia, eaque præsertim liquida, ut tinctura martis pomata, cydoniata, Ludoviciana, aperitiva Zwolfferi, nec non peruvianus & cascarillæ cortex, in pulvere vel in decocto oblatus, optime præstant. Quo scopo etiam acidulae pyrmontanæ, quæ martiali elemento præceteris imbutæ sunt, laudem merentur eximiā.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

§. I.

Cautela. **E**t iuncta in iæterno sæpe sunt indicatissima & præsentissimam semetiæ runt opem; sæpe vero deprehenduntur summe pernicioſa, quando videlicet ex ira vehementi, vel ex spasmus ventriculi & cardialgia, vel a colica spastmodica ortum morbus duxerit, vel etiam si ductui cystico inhærescens calculus graviores circa præcordia efficit anxietates. Quodsi vero iisdem utendi indicatio est, leniora qualia ex radice Ipecacuanæ cum uno grano tartari emeticici conficiuntur, in usum vocare præstat, quæ dein, ubi amurca biliosa, in duodeno subsistens & ductus cholodochi orificium claudens bilis transitum impedit, vel ubi materia tenax biliosa, non adeo concreta, sed mobilis ductus obsidet hepaticos, hanc ipsam evacuando, opitulantur utilissime. Ea enim emeticorum vis est atque indoles, ut in ductus biliferos, qui ex tunicis valde nervosis conflatae sunt, operationem suam diffundant &, eorum systolen augendo, humores vitiosos egregie exturbent.

§. II.

Circa purgatia.

Validiora purgantia ideo quod spasmos adaugent, motus sanguinis exagitant & vires enervant, nunquam non in nostro malo observantur noxia; hinc suo jam tempore HIPPOCRATES lib. de ratione victus in acutis iætericis inter eos retulit, quos non purgare oportet: nam periculo, inquit, expones & nihil juvabis. Et libr. de affect. Sect. V. ubi curationem morbi regii tradit, purgantium mentionem injectit in hunc modum: *corpus balneis calidis extrinseco emolliendum, alvus vero & vesica madefacienda.* Morbus autem fit cum bils commota sub cutim vertitur. Quæ si noverit viridiota, non similiter in incurabiles morbos inciderit. Soleni enim morbi ex parvis occasionibus magni ac diuturni fieri. Et quæ quidem ad cibos aut potionē spectant vel sorbitiones, vel medicamenta, quæ doloris gratia exhibentur, ea omnia sine periculo admoventur, si juxta prescriptum adhibueris. Quæ vero pharmaca purgant bilens aut pituitam, in his periculum constituitur & culpæ medentibus imputantur. Ex quo præclaro loco clare apparet arbitror, Hippocratem abusum medicamentorum, quæ billem infra cutem ferunt, ut sunt purgantia, penitus in iætero damnasse & medicos, qui imprudenter iisdem utuntur, idiotas & mortis caussam recte omnino habuisse. Neque minus graphicis verbis summam, quæ ex purgantibus cholagogis in corpus nostrum redundat, noxam describit CÆLIUS AURELIANUS lib. III. cap. V. Vitandam probamus, ait, frequentem & variam medicaminum potionem, quæ fel deducere promittuntur, sive ventrifluæ: etenim sitis extenditur & cibi fastidium duplicatur & corporis fortitudo immunitur, & cibi accepti corrumptuntur, & omnis corporis materia adulterio medicaminum deterior fit; quod facere videmus eos, qui sapissime ac jugiter absynthium, aloen & colocynthidem dari probaverunt.

§. III.

§. III.

Circa Sudorifera, præsertim nimis calida & volatilia, quæ expansivo sulphure suo intestinum humorum motum exagitant, penitus a cura sunt excludenda, utpote biliosi humores, qui viscidae sunt consistentiae per angustos subcutaneos meatus non transmittuntur, sed rectius omnino per hepatis colatorium & renale cibrum volunt expurgari. Neque minus caute procedendum est cum balneis nimis calidis, in ipso morbi statu ac paroxysmo adhibendis. Neque obscura est hujus rei ratio. Etenim, quam obstructi sint pori cutanei, icterici non facile suadant, sed nimius calor, sanguinem exagitando & humores acriores redendo, vasculorum sanguiferorum in aliis locis concitat rupturam. Contra vero tepida & temperatoria, quæ ex aqua fluvialili cum furfure triticeo & laetè fiunt balnea, si spasmodorum circa primam regionem urget vehementia, securius possunt admitti. Possunt quoque sine omni noxa, si morbus in declinatione cutisque emunctiorum patulum est, ad flavum colorem penitus detergendum, paulo calidiora cum herbis emollientibus & detersivis parata adhiberi utilissime.

§. IV.

Circa medicamenta amaricantibus, quæ ex radice gentianæ, trifolii fibrini, centaurio minor, absynth. carduo bened, &c. præparari solent, magnæ in ictero sanando ab auctoribus hinc inde tribuuntur laudes. Verum hæc ipsa plus sæpe detimenti, quam emolumenti afferre, multipli edoctus experientia testor. Evidem videtur eorum usus ob hanc rationem utilis, quod defectum bilis supplendo, ciborum digestionem & excretionem facillicant. Nihilo tamen minus, quum una cum chylo ad sanguinem transirent, sulphureas biliosas impuritates coacervando, malum pertinacius redundent. Si quid vero ab iisdem in primis viis sperandum est utilitatis, tum maxime id fieri deprehendimus, quando

Tom. IV. Pars IV.

impuras sordes per alvum, quæ valde obstatipata est, expurgant. Namque nec bilis, nec alia amara temperaturæ humorum vitalium sunt amica, sed simul cum stercoribus debent excerni; & ob hanc rationem rhabarbarum magni est faciendum, imo & amara supra commemorata in infusis cum vino possunt concedi, si cum purgantibus lenioribus, ut rhabarbaro, foliis sennæ, agarico & salibus tartareis adscentur.

§. V.

Quoniam in utroque ictero summa humorum peccat impuritas seu caco-chymia, ex mercurio parata medicamina, quæ alias a nonnullis commendantur medicis, sunt infensissima. Unde a mercurio dulci in minori etiam dosi sub pilularum forma exhibito gingivarum intumescentiam cum summo oris foetore, nec non cardial-gicas anxietates cum appetitus viriumque prostratione originem sumuisse novi. Mercurius enim non modo cum acidis, verum etiam, & multo magis cum alcalinis salibus mixtus valde corrosivam & venenatam induit naturam.

§. VI.

Venæsectiones præservandi potius, *Circa quam curandi fine habent locum.* *Venæsectiones* *i* Nimia enim sanguinis redundantia circularem fluidorum motum, qui in hepate semper tardior est, magis imminuendo, ad morbos hepatis ingignendos multum omnino contribuit. Neque tamen morbo jam præsente & plethora urgente, ad graviora symptomata avertenda, penitus dissuadenda est sanguinis ventilatio, ut ipsa potius magnum pollicetur fructum, si a suppresso mensium vel hæmorrhoidum fluxu malum subortum aut sustentatum fuerit. Quod itidem valet, si quando post quinquegesimum annum, quo menses soleniter cessare solent, feminæ hoc morbo corripiuntur.

§. VII.

Circa externa Circa topica notare convenit, quod hæc ipsa hepatis regioni applicata insig-
gnem sanguinis & humorum per du-
stus hepaticos circuitum adjuvandi
vim habeant, adeoque ad auspicio-
rem nostri affectus curationem per-
multum conferant. Ego hoc sine sæ-
pius optato cum fructu usus sum cata-
plasmatibus, vel fæculis herba absyn-
thii, marrubii, menthæ, & floribus
chamomill. rom. & vulg. repletis & ex
vino rhenano coctis, vel etiam em-
plastro saponato Barrette bene cam-
phorato, aut diachylo simplici cum
croco remixto.

§. VIII.

Circa alimenta Sed in affectu nostro persanando ali-
mentorum quoque summa habenda
est ratio, probeque dispiciendum, an-
ægri natura iisdem ferendis par sit, ut-
pote non omnibus omnia convenient.
Quod quidem potissimum observamus
circa potum. Alii enim serum lactis,
alii solam aquam fontanam, vel cum
cremore tartari & saccharo, vel etiam
vino rhenano & succo citri mixtam,
alii cerevisiam pro potu cum fructu su-
munt, cum contra alii hæc omnia re-
spuant. De vino autem in genere te-
nendum suadeo, quod modice debeat
dari; siquidem omne spirituosum plus
nocet quam prodest. Inter cibos quam
maxime sunt removenda carnes insu-
matæ, pisces, placenta & cum buty-
ro frixa, nec non omnia leguminosa,
exceptis fructibus aquosis, ut sunt ce-
rasa, ribes, cucumeres, pruna cocta,
&c. qui ut plurimum innocentis sunt
usus.

§. IX.

Dietæ ad præventionem recidivam aeris mutationes, servacionem astitis. Ad præservationem mali & aver-
tendam recidivam aeris mutationes,
peregrinationes, ac sufficiens corporis
exercitatio omne ferunt punctum;
quibus largior congrui potus usus ani-
mique tranquillitas utilissime potest
subjungi. Hinc nota mihi sunt exem-
pla eorum, qui his omnibus pruden-
ter adhibitis ieteritiam pertinacem fu-
garunt felicissime; sicut contra diutur-

na experientia satis habeo comproba-
tum, vita sedentariae & potibus spiri-
tuolis addictos, ut & eos, qui post
motum fortiorum frigidum ingurgita-
runt potum, & diuturno merore fati-
gati sunt, non modo affectioni nostræ
valde esse obnoxios, verum etiam dif-
ficile admodum ab ea penitus liberari.
Denique non incongruum videtur,
quam CELSUS lib. III. cap. XXIV. in
usum commendavit vivendi rationem
subiectere: Per omne tempus, inquit,
utendum est exercitatione, frictione,
balneo, lecto etiam & conciliari cultio-
re, clauso loco, ut & ludis, lascivia,
aliis, per qua mens exhilaretur. Ob
qua regius morbus dictus videtur. Ma-
lagma quoque quod digerat, super pra-
cordia datum prodest.

E N A R R A T I O N E S
M O R B O R U M .

O B S E R V A T I O I.

F Emina triginta annorum, maci-
lentæ & sanguineo-cholericae con-
stitutionis, in iram valde proclivis,
ob vitam sedentariam & varios in dia-
ta commissos errores per trimestre spa-
tium uteri purgationem non experta,
corripiebatur haud ita pridem dolore
in hypogastrica regione tam acuto, ut
corpus erigere vix valeret. Sequeba-
tur dein diarrhea biliosa, quam seda-
tam mox excipiebat cardialgia, cum
faciei pallore & crebrioribus stipata li-
potyphmii. Aliquot dies post univer-
sum corpus flavescente contaminaba-
tur colore; urinæ secedebant crassæ &
croceæ, feces albescentes, & circa
scrobiculum cordis continuo urgebat
dolor pungitivus atque pressorius. Sub
tali rerum statu meum ægra require-
bat consilium. Ego igitur omnem cu-
rationis scopum eo dirigendum ratus,
ut spastica stricturæ relaxentur, se-
quentem inii medendi methodum.
Primo ordinavi mixturam antispasmo-
dicam, ex liquoris nostri anodynî,
essentiæ croci, castorei, corticum au-

zantior. æquali portione & aliquot olei macis guttulis compositam, de qua tertia quavis hora XXX. guttas cum pulvere præcipitante nitroso ex aqua litorum convall. adsumere jussi. Exterius imponendum suasi saccum, qui flores chamomillæ roman. crocum & flores macis continebat, ex lacte coctum. Dein circa tertium diem, ad expurgandam ab impuris fôrdibus primam regionem, propinavi pulverem ex rhabarbari selecti scrupulis duobus, cremenis tartari scrupulo uno & nitri purif. granis sex confectum; pro potu vero ordinario duas partes aquæ cum una lactis parte remixtas commendavi. Quibus per aliquod tempus rite usurpati dolores quidem & spasmæ penitus quiescebant; attramen quum mensum negotium in ordinem redire renuebat, suos fuī, ut elixirium nostrum viscerale & circa instans menstruum tempus pilulæ nostræ balsamicæ in frequentiorem ducantur usum.

E P I C R I S I S.

Icterium frequens colicæ biliosæ spasmicæ esse symptomæ, pluribus mihi exemplis cognitum est; cuius caussam non æque facile in bilis acrimoniam in intestinorum volumine hærentem, quam potius in sanguinem biliosum in intestinorum tenuium nervosum admodum tunicis stagnantem putto rejiciendam. Spasmus inde concitatus tantæ sœpe potentiae est, ut non solum nerveas stomachi membranas, sed & totum ductuum biliosorum systema in confusum rapiendo vehe- menter strictræ afficiat. Qui ejusmodi colicæ succedere solet alvi fluxus, boni ut plurimum omnis est, neque ideo facile sistendus; alioquin motus spasti sursum vergentes malum longe reddunt deterius. Multo magis intali colica cum icterio juncta accommodatum purgans insignis est usus. Ita ROLFINCKI US in *dissert. de tartaro contra Mercatum*, qui in hoc casu purgandum esse negat, præcipue com-

mendat jalappam, cuius innocentem usum vel suo ipsius exemplo satis comprobat, dum colica & hinc ictero sœpe corruptus pulverem ejusmodi purgatæ non sine fructu adhibuisse testatur. Ceterum ex præfata morbi historia intelligere licet, feminas cholericas, remanente mensum fluxu, corporisque refrigeratione & vita sedentaria accedente, semper fere graviores incurtere dolores & spasmos, ad quorum recidivam præscindendam præcipua medici debet esse intentio, ut muliebres per uterum purgationes pristinæ restituat integrati.

OBSE R V A T I O II.

Vir quinquaginta annorum, consiliarius intimus Hannoveranus, tem- ex ob- peramento præditus sanguineo animo, que mobiliori, laute & vinoste diarrhoeæ adiuetus, nunquam vehæctionem pati. passus, incidit post usum aquarum Schwalbacensium, quas neglecta ac curatoriæ diarrhoea biberat, in gravem diarrhoeam cum tetro oris foctore & truculentis intestinorum doloribus sti patam. Pessimis hisce symptomatibus sedatis in scenam prodibant dolores cardialgici, qui per totum dorsum tractum usque ad scapulam protensi per periodos multam figebant crucem; appetitu tamen somnoque integris permanentibus. Accedebant dein ictericæ passionis indicia, quæ flavo cutis colore, urina crassa & obscure bruna, linteamina croceo colore tingente, nec non fæcibus albis, abunde se manifestabant. Tentarunt equidem me dicí ad tollenda hæc mala plurima remediorum genera, sed irrito plane effectu: nihil enim profecerunt decocta aperientia, nihil purgantia, nihil martialia & amaricantia, tantopere alias commendata. Tandem ego consultus suasi usum acidularum Pyrmon tensium, quæ ad mensuram & ultra quotidie potæ, interposito stomachi corum amaricantium & pilularum polychrestarum uso, & caussam & mot

bum cum symptomatis sustulerunt felicissime. Hoc tamen notabile videtur circa hunc ægrum, quod sub potu harum aquarum salubrium urina, quæ alias tenuis & limpida mingi solet, croceo imbuta colore secesserit, neque prius evanuerit, quam affectu & flavescente cutis colore penitus sublatis.

EPICRISIS.

Facile, credo, medicinæ peritus perspiciet, huncce affectum firmam habuisse sedem in hepatis ejusque ductuum obstructione & sic ex liberiori bilis per hosce ductus ad duodenum transitu intercepto fuisse prognatum. Dolor acutus cum magna anxietate cardialgica, nec non gravativa lateris pressio vix aliunde suam duxerunt originem, quam a bile, quæ ex stagnatione in ductibus & vesicula fellea acrior reddita per tenues, præsertim vesiculae tunicas transfudavit ipsasque ventriculi & intestinorum membranas valde sensibiles arrodendo ad spasticas concitavit stricturas. Transfudare autem bilem ex cystide fellea posse, testatur anatome, qua non semel sed aliquoties bilem instar guttularum dextræ ventriculi parti, vel colo inhærentem, hasque partes penetranti flavo colore tinctas annotasse memini.

2.) caussa quoque hujus affectus querenda erit in nimia ductuum biliariorum, maxime cholidochi, a bile copiosius inibi stagnante distensione; etenim quum nervosis hisce partibus propter ramum intercostalem & vagum magna cum orificei ventriculi, cum diaphragmate & ipso œsophago intercedit conspiratio, non mirum est, si altera harum partium præter naturam affecta & omnes consentientes reliquæ simili malo affligantur. Oris foctor accessisse videtur, quod forte ob bilis balsamicæ defectum putrilago reliquiis chymi fuit inducta. Sæpe etiam impurior & excrementitia in narium & fauicum peristromate hærens lympha teturum ejusmodi odorem

exhalat, uti quidem videmus in cachexia & scorbuto affectis.

3.) docet hic casus quam optime, non dari potentius, nec efficacius ad inveteratas obstrukções, in quibus cunque partibus debellandas præsidium, ipso aquarum salubrium usu, quæ & copia aquæ, & activo minerali principio instructæ occlusos tubulos aperiunt, atque hinc omnibus aliis per vulgatis & in pharmaceutica rationis remediis præferendæ sunt longissime. Sed necesse est, ut conveniens accedat vitæ regimen, quo neglecto, contrarius sæpe effectus sequitur, quod exemplo fontium Schwalbacensium satis evictum arbitror.

OBSERVATIO III.

Generosissima Consiliarii aulici ¹⁷¹¹ uxor, juvenula, formosæ admota ^{in gradi} faciei teneræque & sanguineæ ^{vida &} complexionis, utero primum gravis, ^{pletora} incidit octavo gestationis mense in ieterum, qui excluso dein fetu per totum puerperii tempus duravit. Non multo post denuo concepit utero, & licet venam bis secundam præbuerit, aliquot tamen ante partum diebus eandem labem incurrit, quæ nihil obstante iterum secundo partu in columem peperit filium. At vero, quum nunc pertinacius quam quidem antea hoc malum inhæreret, maritus a me petiit, ut ipsi succurrerem consilio, ne rursus gravida tam molesto affectu tentaretur. Ego tum in vita vietusque rationem inquirens deprehendi, generosissimam hanc feminam vitæ sine labore desidi, diætae vinosa & somno nimis indulgere, ejusque loci cerevisiam bibere valde nutrientem, ac plurimque alvum habere obstructam. Unde caussam mali in nimia sanguinis redundantia repositam arbitratus suscitor fui, ut loco potus ordinarii aquam potaret vino dilutam, atque uterum gestans tam circa tertium vel quartum mensem, quam circa septimum & nonum sanguinem e vena secta detrahebem.

hendum curet; alvum vero, si impigra & obstructa esset, passulis rhabarbarinis referaret. Quibus probe observatis peperit adhuc diversis temporibus tres liberos ab icteri accessione libera.

EPICRISIS.

Ictericam hanc passionem a sola plethora, quæ sub tali vivendi genere in gravidis valde increscit, produxitam fuisse, nihil est dubii. Nullum enim viscus a nimia sanguinis copia plus labis contrahit, præter hepar, in quo uti secundum naturam paullo difficilior & lentior est sanguinis circulatio; ita hæc sub plethorico statu magis impeditur: & quam tali ratione sanguis a sordibus biliosis minus rite depuretur sed propter coagulatam billem reliqua ad sanguinis massam deferratur, icterus generatur facillime. Interim discimus, venæ sectionem præsentissimum & optimum adversus icterum a plethora esse remedium, quam in nostro casu eo magis utilem prospexi, quod meminerim, ægrotantis matrem, insigniter plethoricam, ante decennium graviditatis tempore quartana correptam iterata venæsectione, frustra datis aliis medicamentis, feliciter fuisse sanatam.

OBSERVATIO IV.

Menses metas Femina sexaginta annorum, habita corporis phlegmatici, per integrum sere annum rheumaticos dolores in humero dextro experta fuit, qui quum duobus abhinc mensibus, reliqua priori sede, dextrum sub costis spuriis occupabant hypochondrium, sequebatur in his locis vehemens pressorius & constrictivus dolor, per sex hebdomades tanta vehementia infestans, ut ægra inde nec sternutare, nec bene respirare potuerit. Urina simul secedebat crassa, turbida & saturata bruno colore tincta; facies apparebat livida & subviridis. Non multo

post vehemens ille dolor simul & semel exspirabat, e contrario autem ægra interne in affecto latere percepiebat sensum explosionis, a quo os ingenti suffundebatur amarore, ut fauces bile in festas omnesque, quos adsumebat cibos amaro sapore existimaret imbutas. Sumto itaque ex consilio medici emetico, tribus vomitionibus bilem rejiciebat copiosissimam, & non multo post feces, quæ prius albide erant, colore flavo rursus per alvum secedebant. Interim semper adhuc conqueritur ægra de oris amaritie & siccitate, de appetitus prostratione & quod urina, quæ colorem brunum jam amisit, mingatur adhuc turbida. Nullum præter vinum assumit liquorem, quod ipsis solum vacare videtur amaro sapore, totum autem corpus marcore indies magis magisque conficitur, pulsus fertur debilis & frequens, & faciei color pallidus permanet atque flavus.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Recte omnino hic affectus, qui nunc in marasnum lentaqne febrem inclinat, originem sumisse statuitur ab humoribus, ex humero dextro per metastasis ad dextrum hypochondrii latus ipsumque hepatis viscus delatis. Neque dubitandum, quin humores viscidii, crassi ad has partes delapsi obstructiones ductuum hepaticorum efficerint; quibus forte apertis non modo sonus quidam, mie ein Roall in Leibe, obortus, verum etiam, ob copiosam bilis in ventriculum & duodenum effusionem, vomitiones cum continua oris amaritie concitatæ fuerunt. Ipsa enim bilis tam firmiter palati, œsophagi & lingue adhaeret tunicis, ut facta commotione, particula ejus aciores nervorum papillulis insinuate amarum ejusmodi saporem facile inducant. Quam vero acidii liquores, ut vinum, egregia sulphureas, bilio-

sas & acres partes, infringendi vi
polleant, non mirum est, si nostra
ægota maxime iisdem delectetur.
In curatione eo potissimum respicien-
dum existimavimus, ut nimia bilis
acrimonia temperetur alvique benefi-
cium conservetur. Quo fio commen-
davimus primo temperatus decoctum,
cum vini & spiritus nitri dulcis portio-
ne remixtum pro potu ordinario adhi-
beri debuit. Dein præscriptissimus pul-
verem, qui rhabarbarum, lapides
cancrorum & nitrum continebat. Hæc
tria enim ad bilis acrimoniam, in sinu
ventriculi, & duodeni hærentem tem-
perandam leniterque & sine molestia
evacuandam præsentissimæ sunt effi-
caciæ. Discimus præterea ex hac mor-
bi historia, quod etiam per metastasis
humor in corporis aliqua parte sta-
gnans ad alia loca, maximeque visce-
ra dimoveri ipsisque insignem possit
noxiam affricare. Hinc non ignota
nobis sunt exempla, ubi tumor cœde-
matosus medicamento quodam repellente
acido, vel etiam per terorem
aut paroxysmum febrilem ad interio-
ra repulsus ventriculi hepatisque regio-
nem occupavit, ibique dolores, vomitus,
anorexiæ, flatulentiam, ardorem &
demum veram excitavit
icteritiam; quæ tamen omnia dispa-
ruere symptomata, si tumor pristinum
locum occupavit.

OBSEERVATIO IV.

Vir litteratus, consiliarii munere
fungens, annorum triginta septem,
corporis macilenteris, loco vini in-
prædicto spiritum vini tenuemque cere-
visiam bibens, post prægressum diu-
turnum mœorem, accedente simul
vita sedentaria, in lentam incidebat
febrem, cum plenaria adpetitus pro-
stratione & icterito corporis colore
slipatam. Nihil varia hinc inde data
proficiebant remedia, ut potius ma-
lum inde pertinacius fieri videtur; do-
nec tandem lenius vomitorium, ex
tartari emetici granq. uno & pulveris

Ipecacuanæ granis XV. compositum
& bis assumptum integrum reddebat
valetudinem. Aliquot annos post icte-
rica hac passione longe affligebatur
gravius; siquidem nunc salivam ex-
spuebat flavescentem & de sapore om-
nium, quæ assumebat, amaricante
valde conquerebatur. Alvus raro,
nisi clysteribus vel suppositoriis admo-
nita reddebat excrements, quæ instar
argillæ erant compacta, & urina quo-
que mingebatur bruna, sedimentum
deponens crassum atque copiosum.
Circa curationem hujus mali maxime
erat notabile, quod omnia, expertæ
alias virtutis remedia, qualia sunt
rhabararina, pilulae polychrestæ bal-
samicae, antispasmodica & sedativa,
essentiæ & extracta amaricantia, nec
non infusa aperitiva, magnam præ-
cordiorum anxietatem, nauseam &
vomendi conatum, imo nonnunquam
ipsum vomitum concitarent. Unicum
quod ferre poterat, medicamentum
erat sal aperitivum, ex sale Carolina-
rum, nitro purissolutione ocul.cancr.
& tartaro vitriolato confitatum, quod
cum sufficiente potu, quem aqua pura
fontana cum quarta parte vini & pau-
xillo succi citri remixa præbebat, par-
casæd crebriori dosi assumebat. Insu-
per quoque externe caraplasma ex her-
ba absynthii, scordii, floribus cha-
momilla, & semine cymini in vino
coctis regioni hepatis applicare, idque
refrigeratum crebrius iterare jussi. Et
sic binis mensibus elapsis, sponte solu-
ta alvo ingens excrementorum sicco-
rum, cretacei coloris, per quatuor
dies secedebat cumulus; unde sensim
paullatimque feces albæ reddebantur
flavæ, color cutis naturalis cum appe-
titu redibat, & æger, quæ Dei gratia
erat, pristinam recuperabat sanitatem.

EPICRISIS.

Docet in primis hic casus, quantum
ægotantium naturæ quoad usum &
operationem medicamentorum differ-

re inter se soleant, ita prorsus, ut quæ alii insigniter conferunt, aliis mirum sæpe noceant, quod quidem in morbis chronicis, ubi ventriculus est sensibilis magna que vitiosorum humorum colluvie scatet, frequentius experiri mihi licuit. Cura in hoc ægrotante, quæ salibus & sufficienti congrui potus usu fuit peracta, omnino optimum tulit levamen, quod vicariam quasi opem aquarum mineralium præstítit. Externa vero cataplasmata & fôtu in pertinacibus ejusmodi morbis sanandis nunquam non observavi proficua & sæpe cum præsentanea mali remissione usurpata; siquidem non modo urina inde dilutior facta, sed & fæces alvinæ in flavas mutatae plenariae convalescentiæ spem pollicebantur, quum contra iisdem depositis morbus mox pristinam induebat indolem. Scybala demum dura & cretaceaæ consistentiæ fuisse dejecta, meo quidem judicio ab acido lymphæ gastricæ & succi pancreatici, sub bilis defectu valde exsperante, quo adsumta ex parte fuerunt coagulata, recte venit deducendum.

OBSERVATIO V.

*Mirans
paroxys-
mum
fibrile
excipi-
... .*

Femina quadraginta annos nata, succi sanguinisque plena gravi per aliquot tempus mœrore, ob filii unici obitum, affecta in enormem incidit uteri hæmorrhagiā, qua sedata corripiebatur paroxysmo febrili, cum frigore artuumque rigore & vehementi vomitione stipato. Jungebatur simul altero die iæterus, unde mox color cutis commutabatur in flavum, urinæ secedebant turbidæ & opacæ, stercora alba. Remittebat equidem per intervalla hoc malum; quoties tamen vel ob prægressam animi commotionem, vel ob intempestivum acidorum & lacticiniorum usum novi accedebant insultus febriles, protinus iæterus cum omnibus revertebatur symptomatis; donec tandem post multas iterationes sponte terminatus per-

annī spatium silebat. Tum vero indipinato eadem ludebatur fabula: siquidem præcedente febre cum vomitu & pungitivo in regione dorsali dolore auriginosus color in conspectum denuo prodibat, qui intra biduum quidem evanesceret, sed, quod notabile erat, singulis hebdomadibus circa diem solis, statim veluti tempus servando, recedens per integrum sere annum inhaerebat pertinacissime. Hinc ego consultus thermas Carolinas, sub juncto subinde & interposito elixirii balsamici & pitularum balsamicarum usu, sub convenienti regimine bis in anno potandas suasi, tam exoptato cum successu, ut ægra inde feliciter restituta nunc a tetro malo libera degat.

EPICRISIS.

Illud maxime omnium in præfato casu debet animadverti, quod statim temporibus per annum prope spatium, febrili horrore præcedente, iæterus productus & paucorum intervallo dictum terminatus fuerit. Cujus quidem speculiariis effectus non adeo facilis videtur ratio. Nostamen in genere gnesio hujus mali ita concipiendam arbitramur. Primo quidem omnium spastica ductuum biliariorum strictura, quæ naturale bilis ad duodecum iter impedit, vel prorsus sufflaminat, recte debet accusari; quæ si diutius durat sibiisque recurrit, effici omnino solet, ut viscidiores atque terrestres bilis partes ob moram invicem coentes primum in moliores, dein in duriores vasa bilifera obsonentes abeant concretiones, quas transfluens in hepatæ rursus secreta bilis continua partium viscosarum adpositione temporis successu adauget. Et quum hac ratione ipsa quoque bilis acrior evadit, non mirum est, si a sufficienti ejusdem in duodeno statu tempore collecta copia nova spastis suggestur materia; qui tanto facilius celeriusque, inverso canalium biliorum motu, bilem in vasa

vasa lymphatica effundunt, quanto major a subsistente intus tenaci materia vasorum adeat angustatio. Ex qua proposita theoria liquido patere arbitratur, ad talem spasmodicum crebriusque recurrentem icterum curandum nonnisi presentissimæ efficaciaz remedia, quæ altius penetrando, humores crassos resolvunt, vasorum minimorum obstrukiones abstergendo expeditunt atque totum sanguinis per hepar circuitum restituunt, in usum esse vocanda. Ex omnibus vero vix ullum datur certius, & præstantius, quam thermae Carolinae, quæ sub convenienti diæta & interposito utilium medicamentorum usu potatae ob sal, quod vehunt, abstercent ad infarctus referandos impurasque fordes per alvum & urinam eliminandas longe sunt apertissimæ. Unde simul in propatulo esse judico, cur, memorante CELSO lib. III. cap. XXX. ASCLEPIADES aquam salsam purgationis causa in ictero curando per biduum bibere jussit, atque vinum græcum salsum ad ventris solutionem conservandam commendaverit.

OBSERVATIO VI.

*Icterus
flavus
in ni-
gram
trans-
mutatus
Ictiballs*

Vir quidam quadragenarius, ob inordinatum vitæ genus multoisque in Baccho & venere excessus jam longo abhinc tempore doloribus arthriticis & cardialgicis obnoxius incidit ab iracunda animi commotione in icterum, pessimis stipatum symptomatis. Infestabant quippe per intervalla atrocissima circa dextrum ventriculi orificium atque pylorum termina; jungenbatur sudor frigidus, inappetentia, summaque inquietudo, sine celeriori tamen arteriarum pulsatione. Hinc in consilium accercebantur plures iique satis periti medici; neque vero prohibere poterant, quo minus haec mala per satis longum tempus crebris reciderebant accessionibus. Tandem aurigo sensim paullatimque declinabat in icterum nigrum. Ordinabat itaque medi-

cus balneum per aliquot dies continuandum; quod vero quum fortasse adhiberetur calidius, tanta subinde morbus capiebat incrementa, ut æger longe truculentiora ventris termina cum spasmo vesicæ, per noctem potissimum infestante, magnaque ischuria & continuo desideri stimulo experiri deberet. Sequebatur hinc indies major corporis extenuatio & ingens vi rum languor, qui demum cum extre morum refrigeratione ingravescens ægrum diuturniori vita usura omnino privabat. Corpus ita exanimatum tradebatur mihi sectioni, qua instituta nullam nec in partibus externis, neque internis reperiebam pinguedinem & admodum parcam sanguinis in venis copiam. Intestina flatibus erant distenta brunique coloris; velica urinaria naturali longe conspiciebatur crassior & punctis nigricantibus referata. Hepar exploratum ad tactum inveniebatur durum & colore ex flavo viridescente imbutum; vesicula autem fellea nigra, humore viscido instar picis nigrae repleta, ductus cysticus prorsus angustatus. Denique duodenum cum dextro ventriculi orificio & intestino colo obscure flavo colore tincta & exteriore parte corroso videbantur.

EPICRISIS.

I.) Icterum flavum, nisi provida excipiatur medicatione, in corporibus cacochymicis, ubi eximia succorum est depravatio, per facile in atrophiam transmigrare icterumque nigrum, ut plurimum lethalem, compluribus proh! dolor exemplis evictum habeo. Progressu enim temporis, nisi bonus & laudabilis, sed crudus potius & acidus ad sanguinem transfertur succus chylosus, ex bile flava fit nigra & corrosiva, a qua non modo coloris flavi in lividum mutatio, verum etiam acutissimi ventris dolores cum spasmo vesicæ admodum dolorifico juncti debent derivari. Nihil au-

tem

tem profecto ad exacerbandam ejusmodi humorum aerimoniam est potentius, præter validius calidum, vel oretenus adsumtum vel exterius adpllicatum. Hinc ego a balneis servidius justo adhibitis in icteritia nigra, præter effrenem ac lethalem gingivarum haemorrhagiam, cuius supra mentionem fecimus, enormem quoque diarrheam & in feminis mictionem cruentam vidi productam.

2.) Cystis fellea humore tenaci farta clare subindicat, quanta particularum in sanguine sulphurearum atque biliosarum a naturali crassi fuerit deflexio, quam veteres, licet observationibus minus suffulti non inepte atram, & multorum rebellium morborum caussam, dicere consueverunt. Nec dubitare licet, quin a bilis, in fellea cystide firmiter inclusæ, acriori & subtiliori parte, per poros transsudante & vicinas partes arrodente truculenta ista circa scrobiculum cordis pathemata speciatim fuerint concitata. De quo conferri possunt STALPARTUS van der WIEL Cent. I. obs. 47. TULPIUS obs. lib. 2. cap. 27. & M. N. C. dec. I. ann. III. obs. 100.

OBSERVATIO VII.

*Werna
chroni-
ci se-
speci-
cius
reclu-
sus.*

Per litteras ante annum opem meam requisivit vir quidam Serenissimo Principe a consiliis, cuius uxor a uirgine saepius recurrente diu afflita nullis hætenuis remediis ad pristinam reduci sanitatem potuit. Ipsa autem quadraginta & duos annos nata, statura medioris corporisq; multo sanguine turgidi, vita sedentaria & quieti crassiori dedita illibatam semper præ se tulit valetudinem. Verum, elapsò abhinc decennio, quum sub ipso mensium fluxu prægelida bieme aliquot milliarium iter conficiens corpus nimium refrigerasset, menstrua per uterum purgatio, qua a primo eruptionis tempore semper recte se habuit, mirum quantum coepit immutari, atque mox parcior, mox copiosior, mox per plures, mox

per pauciores secessit dies, nullumque servando ordinem modo anticipavit, modo postposuit. Quare varia suborta fuerunt pathemata, quibus ante biennium accessit ipsa icterica passio, quæ convenienti quidem remediorum ope remisit, sed post anni dimidium denuo invasit & abhinc singulis fere mensibus circa consuetum menstruum tempus inopinato redit, absque ullis sui adventus indiciis. Novissimam vero accessionem hæc præcesserunt signa. Sensit ægra vehementes in dorso & inter scapulas dolores cum præcordiorum anxietate & alvi obstructione, in quam etiam extra paroxysmum valde proclivis erat. Excepérunt vomitus, & tum flavus in universo corpore prodiit color. Ego igitur ut satisfacrem mariti precibus, ad hocce malum præcavendum hac usus sum medendi methodo. Primo omnium, ratione diætæ commendavi sufficientem corporis exercitationem & ut ægra, a cibis fumo induratis atque salitis abstinentio, jusculla cum radice graminis, cichorei, aperagi &c. cocta; pro potu vero ordinario decoctum radicis chinae & farfaparillæ sedule adsumeret. Dein ex medicamentis ad alvum apertam servandam suasi passulas rhabarbarinas, interposito salis nostri aperitivi ad drachmat unam usu, alternis diebus capiendas. Tum inter epulas elixir nostrum viscerale balsamicum & circa tempus, quo paroxysmus invadere consuevit, elixit quoddam antispasmodicum, quod liuorem anodynū minorem, essentiam croci, castorei & succini habebat, ter in die capiendum obtuli. Denique, ubi dolores urgerent cum spasmis & flatibus, clyisma emolliens & carminativum ano injiciendum & circa instantem mensium periodum pilulas nostras balsamicas alternis diebus sumendas curavi. Quibus benedicente Numine effectum est, ut malum pristino rarius accederet, & postea a cura vernali cum fonte Selterano recte instituta penitus cessaret.

EPICRISIS.

Varia sunt, quæ ex hoc casu annotari merentur momenta, quorum potissima recensebimus:

1.) Egregie docemur, feminas sub menstrua purgatione, a frigoris vehementia cohibita perfacile, nisi mox accommodata succurratur medicina, in statum valetudinarium conjici posse; ex quo difficulter admodum emergunt.

2.) Intelligimus, ab irregulari mensum successu, concurrentē simul ex diætæ vitio plethora, generari spasmos, qui naturalem bilis ad intestina cursum sufflaminando, ieterum sæpe numero producunt; & quum circa mensum tempus in ejusmodi subjectis semper solent esse vehementiores, non mirandum arbitror, cur tum temporis novæ mali factæ fuerint accessiones.

3.) Confirmamur, morbos ejusmodi chronicos remediorum tam diaeteticorum quam pharmaceuticorum usu omnino vinei posse & superari, sed ut convenienti dosi, tempore & ordine adhibeantur necesse est.

OBSERVATIO VIII.

Icterus febri biliosa junctus. Per duodecim annorum, a largiori uavarum acidarum esu febre corripiebatur biliosa, cui adjungebatur ieterus, cum tumore circa hepatis regionem subduro & ingenti præcordiorum anxietate ac inquietudine stipatus. Urina simul reddebat atramento similis & feces alvinæ per integros tres dies secedebant nigrescentes. Hinc ego vocatus dedi pulveres absorbentes leniterque nitroso, cum rhabarbaro mixtos, quos parva sed iterata dosi offerre jussi. Pro potu commendavi lac ebutyratum; & exterius dextro hypochondri lateri apponendum suasi cataplasmata supra descriptum; quorum remediorum usu egregie demum convaluit.

EPICRISIS.

Quæ recensuimus mala jure merito que a perversa ovarum comeditione sunt deducenda. Nihil enim infantibus maiores creare molestias potest, quam fructus immaturi & acidi, in copia adsumti, eo quod non modo alcum adstrictiorem bilemque corrosivam reddunt, verum etiam chylum & lympham coagulando, visceribus sanguineis obstructiones inferunt, quæ si in hepate contingunt, prona ad ieterum via pater. Et hinc est, quod etiam ob pomorum acidorum usum ieterum observaverit RHODIUS Cent. III. obs. XIX.

2.) Ego quoque non raro ieterum a vermis vidi subnatum, concurrente simul febre vaga. Tum vero infusum rhabarbari cum passulis, interposito pulvere salino, ex tartaro vitriolato, nitro & cornu cervi usto egregiam commodat operam. Quodsi vero

3.) Icterus, sicut in nostro casu, febri jungitur & pulsuum adest celeritas cum siti orisque ardore, lac ebutyratum, præsertim mense Maji, præsentissimæ est efficacia, quod jam okim Simon PAULLI in botan. quatripart. pag. 30. in tali casu summopere commendavit.

Plura de itero exempla reperire licet in Respons. ac Consult. medicin. Tom. II. Sect. III. Casu XVII. XIX. LVII. & CXIX. Speciatim vero de doloribus & spasmis a calculo felleo ortis vid. Med. System. Tom. IV. P. II. Sect. II. Cap. III.

C A P U T XIII.

DE CACHEXIA ET
CHLOROSI.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Cachexia definitio. D E cachezia acturi in limine statim hujus disquisitionis monendum esse ducimus, quod sub hac voce pravum & subtumidum corporis habitum, cum foedo cutis colore junctam intelligamus; qui a vitiosi seri abundantia viscerumque tono dejecto oriundus singulas corporis functiones perturbat & labefactat insigniter.

§. II.

Sig. et essentia. Veræ & essentiales morbi cachecticæ notæ hæ sunt potissimæ: color cutis pallidus cum virore albicans & flave-scens; corpus, paullo plenius & tumidius, tactu frigidum & molle adparrens, neque minus infirmum & grave cum vacillatione crurum & anhelitu, præsertim sub adscensu scalarum difficiili, pedum intumescencia ac inflatio, mentis torpor, animus deses, somnus gravis, palpebrarum intumescencia, pulsus tardus & mollis, urina alba & turbida.

§. III.

Historia. Equidem cachezia nomen HIPPOCRATI ignotum fuisse videtur; ejusdem tamen non adeo obscura mentio & expositio sub morbis lienis lib. de inst. An. Villano & tern. affection. paragrapho 34. & 35. legitur. Omnim optime vero a CÆLIANO AURELIANO & ARETÆO specialibus & propriis signis hæc morbi species, cum subiunctis causis, delineatur. Quare pretium erit opera, quæ de iis prodiderunt, huc adponere. Primo CÆLIUS AURELIANUS lib. III. Cap. VI. hæc profert. Cachexia, sive malus corporis habitus nascitur intemperantia ægrotantis, vel

curatione mala medicantis, aut post aggritudinem tardæ resumptionis caussa, item ex purgantibus sepissime datis, vel ex saxeâ duricie hepatis, aut lienis, vel ex fluxu hemorrhoidum longissimi temporis, item ex febribus longo tempore corpus sufficientibus, aut materiae purulente collectionibus, aut vomitu post vespertinos cibos, & his similibus. Est autem ipsa quoque passio sepissime hydropis antecedens caussa aut macularum in superficie corporis; sequitur cachecticos pallor subalbidus, aliquando etiam plumbeus color, debilitate tardus ac piger corporis motus cum inflatione inani, aliquibus etiam ventris fluor cum febricula in plurimis latente, que circa vesperam magis augetur; pulsus creber ac tensus, cibi fastidium & vini major appetentia, urina fellea & extensio venarum.

§. IV.

Dein ARETÆUS lib. I. cap. XVI. hunc morbum ita describit: Cachecticos sequitur corporis gravitas, pallor subinde repetens, venter flatibus re-sertus, oculi concavi, somni graves, torporem afferentes; stantibus pedes intumescunt. In ventre ac in omni corpore calor imbecillitas est, ad omne opus abjectus & prostratus animus; sudor pruriginosus, terde spiritum ducent, arteriarum motus languidi, debiles ac frequentes sunt. Extrahitur morbus in multum tempus; intestinorum difficultas adest continua. Aliamenti elaboratio ad coctionem pertinens debilis admodum atque invalida est. Labis hujus caussæ sunt: hemorrhoidum suppressio & consuetorum vomituum retentio & ab exercitationibus quies, & ab ingentibus laboribus otium.

§. V.

Quem in genere cachexiam dicunt *Cachexia* morbum, is in virginibus, quæ non dum menses expertæ sunt, aut si ipsi *virginibus* inordinati & parciores fluunt, chlorosis denominatur, itemque morbus *virginis* & febris alba; de qua maxime agit HIPPOCRATES libr. de virginum

num morbis, nihilque aliud, quam cachexia species est, iisdem, quibus cachexia, signis sese prodens: Facies enim est pallida, interdum subflava, labiorum insolitus pallor, oculorum subsistens, palpebrarum livor, ingens membrorum lassitudo, animi torpor, pedum frigus, gravitas & ad movendum inertia, adpetitus dejetio, cum nausea & vomitu, somnus turbulentus, pulsus languidior; urina citra colorem mingitur valde aqua, in progressu turbida. Accidunt frequentissime, praesertim sub scalarum adscensu, respirandi difficultas, cordis tremor & palpitatio, intumescens & inflatio pedum. Sipius quoque junguntur pathemata cardialgica, cum intercurrentibus capitis doloribus & animi deliquijs.

§. VI.

Causa proxima. Quod causam nostri morbi ejusque accidentium proximam attinet, hæc ipfa quidem consistere videtur in nimia sanguinis impuri & humorum viscidorum ac minus spirituorum abundantia, ob naturalem tonum, vigorem & robur partium solidarum, maximeque viscerum chylificationi, sanguificationi & depurationi inferientium valde labefactatum in corpore collecta. Etenim ob partium fibrosarum & vasculosarum atoniam lentior & tardior sit sanguinis circuitus, & hinc secretionum æque ac excretionum negotium saluberrimum immunitur, unde fortes excrementiæ, viscidae, biliosa, salsa & serosa, quæ in hepatis & renum colatorio secerni & foras ejici debent, maxima ex parte retentæ impurum plane ac intemperatum reddunt sanguinis serum & succum nutritum. Temporis successu fibræ motrices illius subcutanei cribri æque suo naturali privantur robe, quare hæ fortes minus rite & feliciter per cutis colatorium colari possunt ac rejici, unde in corpore reticulari, cuticulam & cutim intercedente, a tincto sero pallidus, subvividus & flavescens color cum aliquali

corporis intumescens suboritur, ipsaque nutritio penitus depravatur. Et quoniam sub tam depravato sanguinis & humorum statu subtilissimum illud ac tenuissimum cerebri & nervorum fluidum, quod veteribus naturæ, recentioribus spirituum animalium nomine veniens fibris solidis vigorem & vim elasticam conciliat & functionibus quoque animalibus præst, non amplius a sanguine & lymphâ probe temperata & pura, sed multis aquosis, viscidis & vappidis contaminata sordibus nutritur ac sustentatur; consequens omnino est, ut illud ipsum insignem contrahat labem ejusque vis ac energia tam in animalium quam vitalium actionum negotio mirum quantum labascat & imminuat. Unde non mirum videri debet, si ingens corporis gravitas & languor, adpetitus prostratio, ad somnum & soporem proclivitas, animi tristitia sensuumque corporis simul juncta infestant.

§. VII.

Ad tantam vero sanguinis & humorum dyscrasiam & quæ abhinc proxime emergit, cachexiam maxime omnium viam pandit habitus corporis *a corpore* natura valde laxus & spongiosus, qui *spongiosus* in fibrarum motricium mollitie, va-
forum exilitate & copia tendinumque tenuitate consistit. Quare etiam sequiorem sexum præ virili omnesque eos, qui sanguineæ & phlegmaticæ sunt complexionis, præ aliis nostro morbo valde observamus obnoxios. Nam ejusmodi corporis status & habitus ad sanguinem & serum in majori copia generandum admodum est idoneus; & quia sanguis in hisce subiectis circulatur tardius, evadit spissior, lentior & ad exiguos excretoriorum, maximeque hepatis canaliculos obstruendos magis aptus.

§. VIII.

Otiosum quoque virtæ genus & plena laboribus consuetisque exercitatio-
nibus quies & remissio, non modo experientia, sed etiam ARETÆO præ-
loc. cit. teste, recte caussis adnumeratur.

ter procatarctis, eo quod ad humorem copiam, impuritatem, tardiorum circulum, stagnationem visceraumque tam sanguificationem quam deputationi dicatorum obstructiones permultum confert. Quæ quidem mala eo magis incident, si major ciborum, præsertim instantium, viscidorum, belliorum, acidorum & qui difficilius dissolvuntur, est adpetentia, quam natura debilis & viribus exhausta ferre, digerere & in utilem probeque temperatum succum chylosum potest convertere; unde ingens cruditatum acidarum aequa ac vilcidarum est proventus, quæ deinde primum impuritatis in massa humorum fundamentum existunt. Valet enim omnino commune illud proverbium: vitium primæ concoctionis, quæ fit in primis viis, non facile corrigitur in secunda, quæ in visceribus sanguificatione & depurationi inservientibus peragitur, multo minus in tertia, quæ actu nutritionis absolvitur.

§. IX.

Potus quoque, circa quem varii committuntur errores, varie ad nostrum affectum tam in sexu sequiori quam nobiliori disponit. Feminæ enim ut plurimum parum adsument potulentorum, ita ut saepius vix semel intra unius diei dimensum bibant: per quotidianas autem, quæ in corpore sunt, excretiones multum a massa sanguinis & humorum decedit fluidi; quod nisi restituitur, necessario humores evadunt spissiores & ad liberiorem per minima vascula circuitum minus apti; ad infarctus contra & oppilaciones, quæ nostri mali caussa existunt, magis idonei. Nostro jam tempore largior potus Coffee nimis concentratus in sexu sequiori præcipua existit caussa chloroseos, præsertim quando feminæ, vitæ nimis otiosæ deditæ, & quæ adstrictioris sunt alvi, ipsum cum multo saccharo quotidie bibunt. Tali enim ratione spissior jam existens sanguis multis sulphureis, adustis & oleosis imbuitur particulis; quarum

nisi sufficiens cum ipsa bile per hepatis ductus excretorios sit separatio, & qualitas & color lymphæ immatetur necesse est. Neque ex alio fonte derivanda videtur ratio, quod purpuræ scorbutica hac hominum ætate sint familiarissimæ. In sexu vero nobiliori peccatur quam maxime nimia potus spirituosi, vinosi & consistentioris cerevisie abundantia, utpote quæ non satis liquidos & tenues humores redundit vitales, sed potius, eorum coagulum inducendo, ad nostrum morbum permultum conferunt momenti.

§. X.

Neque minorem in nostro malo in-
generando obtinet potentiam prava Aeris intemperies aeris, maximeque frigida & humida partes, dum externam corporis superficiem aut constringendo aut relaxando salutare transpirationis negotium prohibet, adeoque ad humorum impuritatem coacervandam plurimum valet. Hinc etiam observamus, sub atmosphera nebulosa & turbida diutius persistente & ventis simul ex occidente flantibus, itemque tempore vernali & autumnali, aut si quis in locis valde humidis, paludosis humilioribus conclavibus commoretur, vel dormiat, frequentem morbi cachectici esse preventum.

§. XI.

Aditum quoque ad nostri affectus Antea genesin animi faciunt pathemata pathemata, quarum ea est vis atque potentia, ut proxime in partes nervosas, maxime omnium vero in ventriculum & universum intestinorum canalem mere nervosum & membranaceum agendo, motum harum partium peristalticum functionemque naturalem valde imminuant & labefactent. Nocent vero quam maxime & ad invehendam cachexiam & chlorosin admodum disponunt gravis terror, diurnus mecerat & suppressa iracundia, eo quod excretiones sanguinis criticas per menses ac hæmorrhoides vel nimis augent, vel retardant & cohident.

§. XII.

Sanguinis et ceterorum enim vero, & certa ac frequens observatio, & probatissimorum Medicorum auctoritas confirmat, quod nimis imminutæ alias salutares & criticæ sanguinis superflui per uterum & anum expurgationes non modo cachexiæ & in seminis chloroseos, verum etiam aliarum gravissimarum & pene incurabilium passionum præcipuae causæ existant. Nam quæ docunque sanguis consuetum exitum per ordinarias has vias, vel ob spasmus, vel ob nimium crassorum humorum infarctum non habet, stagnat, vitiatur, corruptitur & ad vasa regurgitat majora & viscera; quorum tonum, ac functionem vitiando varia & gravia pathemata in remotis etiam partibus saepius excitat. Morbus ille, virginus qui indigitatur & circa pubertatis tempus virgines viro jam maturas frequenter infestat, unice ab impedita hac expurgatione sua mutuatur incubabula. Id quod per pulchre explicat Joannes LANGIUS in Epist. medicin. lib. I. epist. XXI. his verbis: *id temporis natura duce sanguis menstruus ad matricis loculos & venas ab hepate defluit: qui quum ob illarum angusta oscula, que nondum patuerunt, viscosis quoque & crudis humoribus obstructa & denique ob sanguinis crassitatem erumpere non possit: tum rursus per venæ cavæ majorisque arteriæ propagines ad cor, hepar, diaphragma & precordiorum venas regurgitat: capiti quoquo bona pars impertitur & circa viscera accidentia gravia parit, disponeam, tremulum cordis palnum, hypochondriorum inflationem, stomachi fastidium, cardialgiam. Sed eadem mala non tantum virgines & juvenulas, sed & conjugatas, quinimo seniores eo corripiunt tempore, quo fluxus mensium secundum naturæ ordinem solet cessare, vel ubi ille ex quacunque alia causa fuerit sufflaminatus. Nec dissimili ratione in sexu nobiliori consuetus hæmorrhoidalis fluxus suppressus, qui robur ac tonum*

partium dejiciendo, vasa pravorum succorum copia implet, ad affectum cachecticum concurrit.

§. XIII.

Verum enim vero, nihil quoque frequentius evenit, quam ut post enormes & fere incomprehensibiles, sive per uterum sive per venas sedis hæmorrhagias, nec non per graves vulnerationes, chronici & rigidi sic dicti valdeque pertinaces morbi, quales sunt cachexia, leucophlegmatia, anasarca, cedemata pedum, vel etiam atrophia, cum summo virium languore, enascantur. Sicut enim omnes partium functiones, ubi secundum natura ordinem fieri debent, a convenienti sanguinis probe temperati copia ejusque libero per omnes canales progressu & circulo sustentantur, & inde robur ac vigorem suum accipiunt: ita necesse est, ut, exhausto pene vitali ejusmodi fluido, ingens partium & viscerum fiat imbecillitas, & ingens functionum præstandarum læsio ac imminutio. Maxime omnium vero ventriculus cum adnexo intestinorum canalibus patitur manus, quippe cuius atonia & imbecillitas imminutam quoque concoctionem & ob corrupta alimenta multas parit cruditates, quæ in venas & habitum corporis transeuntes non modo vitiosam efficiunt nutritionem, sed & ipsa viscera sanguificationi humorumque depurationi dicata, ut sunt hepar, lien, renes, &c. insigniter lœdunt, & quo minus munere suo rite fungi possint, prohibent. Accedit & illud, quod deficiente justa sanguinis & humorum copia minima & capillaria vasa, maximeque ea, quæ tum secretioni utilium, tum excretioni inutilium succorum inserviant, non aperita maneant, concidunt & angustentur, adeoque longe magis suo defraudentur munere; unde ingens impunitatum origo.

§. XIV.

Nec aliam tubesse puto rationem quam nimiam boni & laudabilis sanguinis

*Morbi**progressi**sive per se**versus**curatio**necq;*

guinis jacturam, quod ii potissimum, qui a longis morbis, maximeque a febris & dysenteria nondum plenius convaluerunt, sed adhuc imbecilles plus ciborum ingerunt, quam languida ventriculi actio digerere potest & in bonum succum transmutare, cachexiae admodum sint expositi. Quod mali, experientia teste & antiquissimis medicorum consentientibus, & illis frequentius evenit, qui per pravas & imprudentes morborum curationes, quales cum fortioribus purgantibus, vel etiam adstringentibus ad nimias haemorrhagias, & paroxysmos febrium suppressimendos instituere solent, nimis sunt debilitati. Etenim, pessima omnino indolis ista sunt medicamina, quae vires, in quibus omnis naturae energia resideret, nimium exhausti. Et talem censum jure prope suo subeunt draistica evacuantia & quae minimos tum inutilibus excernendis tum humoribus depurandis dictatos canales constringunt & obstruant remedia, quibus imperiti medici non modo nostrum affectum, sed & alios plures eosque lethales morbos accer-
funt saepissime.

§. XV.

Diffr. 2. Cachexia & chlorosi ab aliis morbis. Quoniam nostrum affectum cum aliis morbis multum intercedit affinitatis, operae erit pretium, ut endemus, in quantum illis accedat, in quantum discrepet. Primo itaque sciendum est, cachexiam a chlorosi & fluore albo quoad essentialē morbi indolem minus differre, sed tantum quoad sexum & subjectum, sive secundum causā, quae in nobiliōri sexu in ventriculo & hepate, in sequori vero in his & utero simul querenda est, aliqua ex parte discrepare. Neque minorē cachexia cum catochymia alit convenientiam; siquidem hæc & que acilla ingentem impurorum humorum in vasis supponit præsentiam, tantum quod magis ab intemperantia & primæ digestioñis vitio, quam a prava reliquo viscerum naturalium constitutione enascatur; unde ex majori ca-

cochymia gradu, qui in nutritione depravata consistit, ad cachexiam de-
mum fit transitus. Deinceps & illud probe observandum est, quod non omnis foetus & pallidus faciei affectus pro essentiali cachexiae charactere haberet debeat, utpote qui ab omni graviori morbo saepissime remanet, & vel ex collecta vitiis humorum in primis viis colluvie, vel ab iracundiæ affectu suppresso, vel a spastico ventriculi oritur, sed convenientibus remedis facile cedit. Multum quoque cognitionis cachexia habet cum ictero. In utroque enim affectu nutritio est depravata, faciei & cutis color luridus, virium languor, mentis torpor, viscerumque & ventriculi magna atonia & laesio; nihilo tamen minus in eponenda erit differentia, quod in ictero a sola bile ex biliferis ductibus, vel obstructis, vel spastodice constrictis, per vasa lymphatica ad sanguinis massam regurgitante hæc mala originem sumant, quum contra in cachexia ventriculus, lien, hepar renesque simul graviter afficiantur, adeoque hæc gravior & rebellior sit, ita propterea, ut, nisi curetur, in icterum nigrum transeat. Differt quoque affectus noster ab anasarca & leucophlegmatia, utpote in his major partium inferiorum observatur inflatio atque durities & post impressionem digitorum sovae relinquuntur, quod in cachexia, nisi iam proxime ad horum affectuum gradum accesserit, minus contingit. Neque deinde negligenda est, quæ cachexiam & atrophiam intercedit differentia. Equidem in utroque morbo magna partium fluidarum peccat impuritas, viscerum atonia & nutritionis vitium; ast in atrophyia corpus extenuatum indies magis magisque contabescit, & nulla propterea adeat nutritio, quæ tamen in nostro affectu vicia est & copiosior; unde corpus plerumque ampliore habet molem. Denique etiam discrepat cachexia a scorbuto. Nam in omni quidem scorbuto est cachexia & vix reparabilis humorum dy-

scrasis, ex variis doloribus, exulcerationibus cutisque defæcationibus conspicua, quæ vero in cachexia nondum ad tantum pervenit gradum. Quodsi vero hæc jungantur accidentia, dici solet cachexia scorbutica.

§. XVI.

Prognosie. Quoad prognosin nostri mali id tendendum esse arbitror, quod cacheftici pro varietate ætatis, temperamenti & vitæ generis, multum omnino inter se discrepent, & pro majori vel minori humorum viscerumque labe faciliorem vel difficultiorem recipient sanationem. Ira, si ætatem respicimus, senes præ juvenibus, eo quod ipsa senectus cachexia species est, nostro affectu longe gravius afficiuntur; imo non raro exinde in atrophiam & marasmum incident. Dein, quæ subito nascitur cachexia, uti fere ob intemperantiam pravamque ciborum digestionem post longos morbos evenit, faciliter tollitur, quam quæ ex viscerum vitio hepatico vel lienis scirrhosa obstructione paullatim succrescit. Hinc etiam ubi viridescens & in nigrum vergens color adparet, qui plerumque latentis viscerum lesionis, ob corruptæ bilis admixtionem, indicium præbet, majus periculum subest, quam ubi pallidus tantum color, qui solam phlegmatis abundantiam subindicat, cutim occupaverit. Prater hæc sciendum: quo diutius malum inhæsit, quo major junxit spirandi difficultas, hypochondriorum tensio atque durities, & quo magis vires labescunt, ut syncope quoque intercurrat, eo plus reformidandum esse periculi. Neque facilem curationem admittit, ubi ex haemorrhoidum fluxu vel prægresso, vel sæpius recurrente malum fuerit subortum. Nullus insuper datur morbus, qui tam facile in hydropem tam anasarcam quam ascitem, in atrophiam & ipsam quoque hefticam inclinat, quam ipsa cachexia, præsertim nisi mox ab initio convenientibus succurratur remediis. Chlorosis denique, si modo non negligitur, non adeo periculosa est, ne-

que ad longum tempus durat, sed vel matura mensum restituzione solvit, vel in juvenulis virginibus solo conjugio feliciter curatur. Mulieres vero, quæ diutius chlorosi laborarunt, aut steriles fiunt, aut morbosam ac debilem edunt prolem.

CURATIO.

§. I.

Expositis itaque & pervestigatis *Indicationes curato- rie.* nostri affectus caussis, ordinis postulat ratio, ut iisdem submovendis aptam & accommodatam inveniamus medendi methodum, quæ, nostra quidem sententia, sequentibus absolute indicationibus. Primo quidem eo respiciendam ducimus, ut sanguis & humores crudi, spissi & impuri corrigantur & per congrua emunctoria e corpore ejiciantur; horum vero loco subtilis chyli, sanguinis & humorum promoveatur generatio. Dein, ut referatis viscerum minimorumque vasorum oppilationibus liber & æquabilis sanguinis per omnes corporis ramas externas quam internas partes restituatur circuitus, & denique, ut nimis dejectus ventriculi & intestinorum viscerumque tonus roboretur.

§. II.

Primum itaque, antequam ad humorum pravorum respiciatur correctionem, opera medico danda est, *corre-ctio-ri-um.* ut fontem præcludat, ex quo ejusmodi humoribus majus accedit incrementum. Fontem hunc constituit *ven. seru-ans.* arteria cum adnexo intestinorum canale, ex quo cruditates prodeunt viscidæ, mucidæ, acidæ, quæ per incidentia digestiva corrigi & ad mobilitatem debent præparari, quo eo commodius possint eliminari. Huic scopo quam maxime commoda sunt salia sic dicta neutra, cujus generis sunt; tartarus, vitriolatus, arcanum duplicatum, solutio oculorum, cancri cum succo citri, terra foliata, tartari, sal polychrestum, *sal.*

sal Carolinarum, Egranarum, tartarus tartarisatus, sal absynthii, quæcum sufficienti aquae vehiculo soluta oportet exhibere. Hæc quippe si repetita, vel majori præbentur dosi, præter effectum incidentem & resolventem, alvum quoque movent & sordes efficaciter educunt. Quod si vero non sufficerint, post ejusmodi præparacionem evacuantia subjugenda veniunt, quæ ex myrrha, gummi ammoniaco, extracto rhabarbari, absynthii, panchymagogi Crollii, cinnabari, succino & sale succini, summis ad drachmam dimidiā æquilibus partibus parantur. Ex scrupulo uno possunt formari pilulae viginti, totidemque adsumi. Spectant huc etiam præ omnibus aliis nostræ pilulae balsamicæ, quæ tonum & robur ventriculi labefactatum simul egregie restituunt & confortant; vel etiam in forma liquida infusum vinorum apparari potest ex radice pimpinellæ, armoraceæ, cichorei, rhabarbaro, agarico, corticibus aurantiorum recentibus, summitatibus centaurii minoris, tremore tartari & passulis minoribus, quod quotidie in aurora per dies decem sufficienti quantitate erit hauriendum. Neque minorem spondet efficaciam aqua Sedlicensis ad libram dimidiā cum syrupo florium persicorum, vel cichorei cum rhabarbaro, aut rosarum solutivo ad unciam unam alternis diebus per vices potata. Si vero alvi nimia est strictura, consultius est, per leniter evanuentem potionem mannatam, quam manna electæ unciae duæ, tremoris tartari drachma una, rhabarbari & nitri purif. drachma dimidia, in aquæ fontanæ uncii octo soluta constituunt, sordes educere.

§. III.

Observationes quomodo respondeantur. Expurgatis sic probe primis viis, operam navare oportet medicum, ut totum humorum massam puriore & fluidiorem reddat, atque infarctos emundiorum canaliculos aperiat, quo eo melior sanguinis & seriat deputatio. Cui scopo obtinendo inserv-

Tom. IV. Pars IV.

viunt decocta, ex radice sarsaparilli, chinæ, scorzonerae, cichorei, rafra ligni sassafras & cinnamomo para-ta, quæ dilutiora potui ordinario possunt dari, concentrata, vero mane in lecto ad perspirationem liberorem promovendam adsumi. Juvabit quoque interdum mane in lecto sudorem exspectare, qui elicetur, si essentia succini & pimpinell. cum tinctura antimon. & liquore cornu cervi æquali pondere sumta ad quadraginta guttas ex decocto calido propinatur. Nec incongruum erit, pro re nata ad diuresin ciendam tincturæ tartari drachmam unam cum decocto interponere.

§. IV.

Maxime omnium vero ventriculi habenda est ratio, cuius tono roborando aptissima sunt elixiria sic dicta stomachica; quæ inter eminent, elixir Michaelis stomachale in B. Parentis mei thesauro pharmaceutico descriptum, nostrum balsamicum in notis ad Poterium propositum, sal volatile oleosum cum tinctura tartari remixtum, elixir stomachale ex essent. gentian. rubr. & corticum aurant. recentium, nec non elixir balsamicum ex extracto centaur. min. cardui bened. absynth. gentian. myrrha, succino, croco, corticibus aurantiorum recenti fine menstruò spirituoso cum tenui salis tartari lixivio paratum. Quæ medicamenta, maxime si inter epulas, vel statim a cibis summis offeruntur, non modo ad alimentorum digestiōnem blandamque chyli spirituascientiam conciliandam, verum etiam ad naturalem & balsamicam humorum temperiem restituendam viscerumque tonum roborandum, magis miraque sunt efficaciae; sed ut paullo diuturnior usus accedit, necesse est.

§. V.

Quodsi hisce remediis morbus rebellis cedere nolit, ad aquas minerales, quarum eximus in cachexia tam vi-^{Aquarum} ^{minerales} lium quam feminina usus est, deve-^{us} niendum erit. Omnibus tamen hoc

O 3 fine

sine longe præferendas esse puto acidulas Pyrmontanas ; quibus ego non semel sed sæpius chlorosin , ex mensium obstructione enatam , in corporibus etiam adspicere tenerioribus curatam novi . Ejusdem cum hisce virtutis sunt fontes Spadani , utpote ambo subtilissimo martiali elemento imbuti non modo spissos humores fluxiles & mobiles reddunt , atque obstructos emundatorum meatus referant , sed & tonum ac robur viscerum augendo , sanguinis per universum corpus circuitum egregie promovent .

§. VI.

*Martialia
sanguis.* Præter jam recentitas aquas medicatas , martiali principio turgidas , alia quoque medicamenta martialia cum salinis & balsamicis maritata commodeque exhibita non inepte pro specificis & efficacissimis ad cachexiam & chlorosin sanandam habentur remediis . Utut vero varix profest martis compositiones chymicæ àque ac pharmaceuticæ , nulla tamen magis se mihi commendare videtur , quam crocus ejus subtilissimus , qui non ex chalybis , sed solius ferri , quod copiosius phlogiston recondit , cruda limatura , aqua pluviali conspersa & calori solari expolita conficitur . Præstat tamen hoc medicamentum cum aliis accommodatis remediis permiscere . Hinc ego radicem pimpinellæ , ari , cinnamomum acutum , sal tartari & saccharum , quæ insignem in humoribus incidentis præstant effectum , adjicere solitus sum , tam felici eventu , ut inde virgines , quæ chlorosi cum enormi capitum dolore aliisque symptomatibus stipata diu laborarunt , feliciter restitutas viderim . In forma liquida tinteturæ martis pomata , cydoniata & cum succo citri parata , præfertim vero Zwolfferiana reliquis omnibus palam , præcipiunt . Egregie tamen horum medicaminum intenditur efficia , si cum sufficienti decocti supra descripti quantitate , vel etiam cum jusculis , quibus radices aperitivæ graminis , cichorei , petroselini , aspa-

ragi , foeniculi &c. incosta fuerint & exhibentur .

CAUTELÆ.

§. I.

*Cautela
circumst.
Stonem
cachexia
ab ex-
cretio-
nibus
sanguis
suppres-
sis.* **S**ullo in morbo , certe in cachexia apprime necessarium est , ut quam primum fieri potest , malo occurritur ; alias gravis metus est , ne , in ea curatio tardior accedit , in atrophiam , scorbutum & hydropem æger præcipitetur . Quodsi igitur cachexia ob consuetam sanguinis excretionem sanguis suppressam corpus occupavit , operam dare medicum oportet , ut ipsa comodis remediis revocetur . Quo fine , nisi vires ex longiori mali persistentia enervatae id prohibent , venam secare sanguinemque in parciori quantitate , sed iteratis vicibus , e.g. per triduum , detrahere juvabit . Quod auxilii genus jam olim ab HIPPOCRATE in libr. de morb. mulier . §. 3. commendatur , & iis potissimum saluti est , quibus solennis per uterus purgatio deficit . Inimicissima contra iis est venælectio , qui mole vitiosorum humorum turgidi parum sanguinis intra-venas fovent .

§. II.

Præter dictam venæ sectionem prudenter institutam corporisque purgationem in cachexia ex mensium vel hæmorrhoidum obstructione suborta magna quoque vis residet in thermis Carolinis , quarum convenienti interno usu talismodi excretiones diu suppressas ego revocatas novi . Sed cendum ab illis est , ubi morbus ex nimio hæmorrhoidum vel mensium profluvio originem traxit .

§. III.

*Circa
balneis
matri-* Sanguine in mensibus suppressis decenter detraクト viscerumque obstructionibus per aquas minerales vel medicamina martialia remotis , fluxus nonnunquam sponte sequitur . Quod vero sin minus evenit , necesse est , ut ægræ per horæ circiter spatium immittantur balneo tepidiori , quod ex herba

matricariae, melissae, artemisiae, pullegii, sabinæ, floribus chamomillæ, roman. salviae, baccis lauri &c. apparatus ad stagnantes humores dissolvendos, mucidamque & tenacem seriam materiam per uteri ostiola expurgandam saepius deprehendi utilissimum.

§. IV.

Cachectici nunquam violentis trastandi sunt medicamentis; quem in medicamenta finem sedulo fugienda sunt omnia validiora purgantia, sudorifera & balnea quoque calidiora, per quæ saepem perniciose pravorum humorum ad nobiliores partes sunt metaстases.

§. V.

Quoad modum utendi martialibus scire licet, quod 1.) eorum efficacia per sufficientem corporis motum & exercitationem debeat promoveri 2.) cura ad dies decem & quindecim ita continuari, ut tertio vel quarto die lene purgans remedium, uti sunt passulae rhabarbarinae interponatur, 3.) quod sufficiens & diluens potus cum exacto vita virtusque regimine simul in usum vocatur.

§. VI.

Observavimus una cum HIPPOCRATE & PLATERO in praxi in san. cap. XIV. virginibus pallidis ac moribosis, si nubant & viris jungantur, interdum prima nocte menses fuisse eruptos & in ordinem redactos, cum colore vivido & insigni incolumentate subsequita; quapropter matrimonium ceu summum in hoc casu remedium commendare licebit.

§. VII.

Pedes frigidi & tumidi in hoc morbo probe testi & in moderato calore sunt fervandi. Involvantur quoque linteis arte constriclis, ut laxitas emendetur & promptior humorum ad cor fiat re cursus. Quodsi vero nimium intumescunt, sacci calidi ex milio, furfuri bus & sale confecti sunt imponendi. Circa pediluvia notandum, quod ipsa locum non habeant, ubi tumor jam invaluit, sed tum præter jam dicta rectius adhibentur frictiones cum lin-

teis asperioribus calidis instituentur.

§. VIII.

Quod denique diætam tam præservatoriam attinet quam curatorialiam, aer frigido-humidus, nec non conclave paullo decliviora, vaporosis humoribus repleta, pro somno capiendo sunt infenissima. Inter cibos autem eos potissimum, qui difficilius solvuntur, quales sunt fructus horæ, acidi, lacticinia &c. omni vitare modo oportet. Nocet quoque aqua sola pro potu sumta, quam ideo vino bonæ notæ Rhenano & Mosellano diluere præstat. In genere vero notandum, quod cachexia morbus a nimia ciborum comeditorum copia saepius oriatur & sustentetur; quare abstinentia & cura per inediā omnium pharmacorum vim in tali casu superat longissime.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Vir sacerdotali munere fungens, temperamenti sanguinei corporisque habitus spongiosi, victui crassiori & cerevisiae consistentioris potu no mansueta, per viginti annorum decursum singulis fere mensibus cum euphoria cruentas habuit sedes. At quum duobus abhinc annis obdetestandum filia patratum stuprum diurno affectus fuerat cum tacita iracundia more, salutaris haec excretio hæmorrhoidalis sensim sensimque immunitior facta penitus demum substitit; unde appetentia ciborum periit, facies antea florida mutata fuit in flavescentem & flaccidam, pedes intumuerunt, difficilisque nunc respirare coepit. Consuluit itaque rei pharmaceuticae peritum, qui vinum laxans singulis diebus mane per mensem & ultra bibendum obtulit, a quo sex septemve vicibus quotidie alvum depositus. Potui pisanam, & ex cibi sola iuscula avenacea in largiori copia haurienda

commendavit, nec irrito effectu; utpote non modo tumor pedum cum reliquis symptomatibus ex voto remisit, verum etiam respiratio facilitior inde facta fuit: nisi quod consuetus hæmorrhoidum fluxus in ordinem nondum redierit. Non multo post drepente æger in vehementes circa regionem lumbarem incidit dolores, cum urinæ multo salubro refertæ ſeſſione junctos, qui usque dum ſæpius recurrendo miferre nostrum cruciarunt. Ante anni vero quadrantem tumor utrumque pedem, maximeque ſinistrum cum difficultiori anhelitu denuo occupabat: flatus ſimul ſinistrum hy pochondrii latus mirum diſtendebant & ſæpius calculosæ concretiones, præcipue post eſum unius alteriusve taleoli raphani rusticani ſale conditi, cum urina excrēbantur. Ego igitur consultus, quum vafa ſanguine admodum turgida deprehenderem, ob pedes nimium tumidos venam in brachio ſecandam & loco cerevisiæ crassioris pifanam ex hordeo, rafra-
ra cornu cervi & corticibus citri bibendam fuā. Dein ſingulis diebus mane ſalis aperitivi, ex poly-
chreſto thermarum Carolinarum & nitri crystallari æquali portione compositi drachnam unam in libra dimidia aquæ ſolvendam dedi re-
nueque jufculum ſuperbibere, & al-
ternis diebus circa horam decubitus pilularum noſtrarum balsamicarum no. X. devorare juffi. Denique ad-
flatus diſcutiendos effentiam corti-
cum aurant, liquori anodyno nup-
tam cum elixirio viſcerali alterna-
tim in prandio ſumendam obtuli,
eſum raphani rusticani interdixi ip-
ſumque potius plantis pedum im-
ponendum commendavi. Et ſic in-
tra mensis ſpatium, remittentibus
ſenſim symptomatibus, fluxus hæ-
morrhoidum redit ſaluberrimus, &
jam melius æger habere coepit.

EPICRISIS.

Dilucide omnino ex præfata morbi historia adparet, quantam in universa motuum & functionum naturalium œconomia pervertenda gravique & chronicō morbo per fluxus critici suppressionem arceſſendo gravior & diutius inhærens animi affectus obtineat potentiam. Deinceps utut a vino laxante ſingulis diebus per meſem cum abſtinentia adhibito ſtatus cachecticus fuerit ſublatus, mirum tamen non est, hunc non ita multo post rediſſe, quum hæmorrhoidalis fluxus, a quo originem ipſe traxit, nondum in ordinem fuerit redactus. Symptomatum complicatorum, me quidem judge, talis reddenda erit ratio: a suppressis hæmorrhoidibus ingens in intestinis crassis ſuborta est inflatio, quæ vafa iliaca & emulgientia ſimul comprimendo, tum pedum intumescientia tum cal-
culorum in renibus concretioni materiam & occationem præbuit largiſſimam. In curatione mali prudenter adornanda eo præcipue reſpiciendum duximus, ut liberior ſanguinis per intestina & vafa ad-
jacentia compreſſa reſtituatur circuitus; quo ſcopo non modo venam, ob pedes tumidos, in brachio tun-
dendam, verum etiam reliqua com-
mendavi medicamina.

OBSERVATIO II.

Vir generofiffimus, aliquot ſupra quinquaginta annos natus, fluxum hæmorrhoidalem nunquam exper-
tus, in aula per plures annos ſtre-
nuis vini, non optimæ ſemper no-
tae, interfuit compotationibus cor-
pusque ſubinde venando ſub varia
temporeſtatis mutatione multum fati-
gavit; ſed nihilominus, admitta bis
anno venæ ſectione, bene habuit.
Ante annum vero tempus, quum
Rin-

*Cachexia ab inordi-
nata vlo-
graſt meoſea.*

Principis excideret clementia , animalum mox totum mœrori dedit ; unde appetitus sequuta est prostratio , cum anxius circa scrobiculum cordis dolore acriter saepius convellente . Jungebatur dein corporis macies & difficilis , præcipue sub adscensu scalarum , respiratione , molestæ hypochondriorum inflationes cum virium insigni decremento , colore faciei lurido & aliquati pedum intumescencia . Pulsus diurno tempore ferebatur tardus ac debilis , nunquam tamen intermittens , & circa vesperam paullo celerior cum levioribus æstus interni indiciis . Hinc ego consultus fuasi , ut bis de die elixirum viscerale , liquori anodynō nuptum , & ante decubitum sal nostrum aperitivum & temperans adsumeretur . Loco potus Theæ mane bibendum commendavi infusum theiforme ; & quum pro potu decoctum ventriculus non ferre videretur , potum cerevisia Leobeginensis permisi . Denique cataplasma ex floribus chamomill. roman. macis & caryophyllis aromaticis in vino coctis , regioni stomachi saepius tepide applicandum & pedes tumidos furfuribus trititeis calefactis crebrius immittendos jussi , tam salutari effectu , ut intra trium mensium decursum convalescentiae spes apparet ; siquidem pedes sub continuo madore & larga muci crassi ac viscidi per urinam secessione sensim sensimque detumelcebant , appetitus erat vegetior , respiratio facilior , somnusque & pulsus magis naturalis . Ceterum circa hanc morbi historiam probe notari meretur , quod per præteritam hiemem generosis . ægrotus multis vexatus fuerit catarrhalibus ad pectus defluxionibus , suffocatiouem non raro minitantibus , præsertim quum Medicus ordinarius in tali paroxysmo venam in brachio secandam jusserit . Exspiravit tamen præfocationis metus a frequentiori clysterum in anum injectione .

EPICRISIS.

Viri hujus generosissimi aulici valde inordinatum vitæ genus a longo inde tempore mihi perspectum saepiusque æstimanti admirationi fuit , quod a morbosæ afflictione libertamdiu permanerit ; attamen quum ab ineunte fere ætate eidem adsueverit , confuetudo in alteram quasi naturam videtur conversa . Nota enim mihi sunt perplura ejusmodi exempla , ubi viri aulæ innutriti , sine notabili sanitatis detrimento diu viram egerunt incolumem , donec tandem ob infestum fortunæ casum diuturno mœrore vel graviori animi perturbatione affecti , tota natura simul & semel cum omnibus functionibus succumbente , confessim in statum cachecticum vix ulla medicina reparabilem conjecti sunt : ut usque eo clare pateat , quantam animi pathemata habeant potentiam , caco-chymiam virtuosam diu latentem in actum deducendi , & in pessimum valetudinis statum convertendi . Curationem quod attinet , quum in nostro ægroto ætate non adeo multum projecto propter continuam corporis exercitationem nec duritiem , vel firmitorem in visceribus obstructionem , nec polyposam in majoribus ramis concretionem suspicarer , ipsumque corpus non adeo pingue sed bene transpirabile deprehenderem , convalescentia spem promisi , si modo vir generosiss. per aliquot menses strictam cum patientia & obedientia diætam servare accommodatisq[ue] uti vellet remedii . Nec conceptam spem fefellerit eventus ; siquidem sub critica materia viscida per urinam evacuatione , quæ in statu cachectico hydropico semper boni est ominis , symptomata remiserunt , & æger successu temporis integræ sanitati fuit restitutus .

OBSERVATIO III.

Cachexia de Vir in quadragesimo ætatis anno constitutus, temperamenti sanguineo-sperata phlegmatici, texturæ firmioris, qui ab inordiata primis juventutis annis commissationibus & pocalis diligenter interfuit, maximeque spiritum vini magna in copia hausit; vix ephebus factus copulam iniit conjugalem veneremque strenue exercuit, nihilominus præter ventriculi flatulentiam & febriles insultus incommoda valetudinis nulla unquam sensit. Ante aliquod vero tempus diuturniori afflictus moerore subito incurrit difficultem respirationem cum magna virium jactura, pedumque sensim intumescientum vacillatione. Succedit subtumidus habitus, faciei pallor, & æstus circa vesperam volaticus, cum insigni oris ariditate & siti stipatus. Præter hæc continui adsunt vomendi conatus ipsique vomitus, quibus tam escuenta, quam potulenta rejicere debet: alvus est aperta, sed flatibus distenta, urina fecedit pauca & rubra, sedimentum deponens sat copiosum. Ego sub tam confuso rerum statu de recuperanda valetudine plane desperavi; ut tamen æger levamen quoddam acciperet & ad aliquod adhuc tempus vivus servetur, ab usu medicamentorum abstinere, aerem mutare, & moderata diæta cum animi tranquillitate uti commendavi.

EPICRISIS.

Hanc morbi historiam eo potissimum fine hic inferere placet, ut dilucide appareat, qua ratione per inordinatum vitæ genus natura debilitari & ad graves morbos, qui non statim se exserunt, sed succedentibus demum annis, præsertim graviori animi affectu accidente emergunt, disponi posse. Deinceps sciendum, sub tali corrupto morbi statu tantaque naturæ imbecillitate vix ullam medicamentis, etiam præstantioribus, superesse lo-

cum, sed omne, quod medicus tentare & efficere potest, id temperatis & lenioribus diæticis debere perfici, quippe quæ optimum ejusmodi ægrotantibus dant levamentum. Graviter itaque errant ii medici, qui adversus tam fanticum morbum multis & validioribus remedii pugnandum esse si bi persuadent.

OBSERVATIO VI.

Vir generosus, quinquaginta & *Cachexia de* aliquot annorum, constitutionis sanguineo-phlegmaticæ animique tranquillioris, lucubrationibus cum vita ^{curata} sedentaria junctis admodum deditus ^{quartana} ^{tertialis} & inde a multis jam annis defluxionibus catarrhalibus & rheumatismis cum latente febricula obnoxius, incidit autumnali tempore in febrem quartanam, que post sex septemve accessiones electuario quodam ex china china perfecto discussa, sed post aliquot tempus bis reversa eodem medicamento promte debellata fuit. In hujus vero locum succedit corporis totius languor, appetitus profratio, ingens a summis cibis præcordiorum compressio, somnus paucus ac turbulentus & insigne virium decrementum; quibus demum supervenit cum palpatione cordis & pulsu intermitente dyspnoea, sub corporis motione & adscensu scalarum molestissima, nec non pedum intumescencia. Quum itaque uxor anxie meum efflagitaret auxilium, ego morbi causa, quam præcedentem quartanam esse augurabar, & ægrotantis natura probe perspecta, difficultem mox curatu morbum judicavi; suasi tamen, ut præparato prius bene corpore fontes Egranos tepefactos cum congruis tam roborantibus visceralibus, quam laxantibus medicamentis biberet, ob aeris mutationem peregrinationem institueret, & quam rarius antea adhibuerat, sanguinis detractionem, singulis annis quadrantibus admitteret. Sed hisce minus rite obseruatis, quum alias medicus sine horum remediorum

diorum ope levamen promitteret, æger non multo post in pejorem statum conjectus, viribus decrescentibus & lipothymis subinde intercurrentibus, demum succubuit.

EPICRISIS.

Medicamenta febrisfuga, quæ inter merito cortex Peruvianus primas tenet, si minus circumspete sed intempestive, non attenta ægrotantis natura morbiæ cauſa, nec justa temporis, ordinis ac doseos ratione habita propinuantur, in pessimum valetudinis statum, & juniores quidem in hypochondriacum, proiectiores in cachecticum & hydropticum affectum facile posse conjicere, ego compluribus testari possum exemplis. Hæc quippe medicamina, quæ adstringendo potissimum vim suam exferunt, segnioris naturæ subjectis, præsertim in quartana ante sufficientem cauſæ morbificæ correctionem oblata, minimos viscerum meatus, qui sanguinis & seri depurationi serviunt, occludendo, visceribus non modo vitiosam inferunt labem, sed & naturalem humorum crasis penitus deturbant, ut subito inde, nisi cito succurratur remediis, irreparabilis status cachecticus in scenam prodeat. In hoc nostro casu suspecta mihi fuit cordis palpitatio, pulsuumque intermissio cum respirandi difficultate, sub paullo validiori corporis motu ingravescens; quæ symptomata concretionis polyposæ indicium mihi sèpius dederunt certissimum; unde etiam prognosticon non adeo auspicatum circa hunc affectum proferre potui.

OBSERVATIO V.

Vir triginta annorum, laxioris & pinguioris corporis habitus, temperamenti sanguineo-phlegmatici, qui habebat a duplice etenus crudo victui largiorique cerevisia & siæ crassioris potui adsuetus vitam egit abortiva, sedentariam; autumnali quondam

tempore, quum sub frigidiori aere nudo capite diutius stetisset, febre corripiebatur continua, in qua ob urgentem litim & aquam & cerevisiam secundariam magna bibebat copia. Convalescebat quidem, sed post aliquot hebdomades afficiebatur profluvio sanguinis ex utraque nare valde immido-
co & per duodecim fere horas durante. Adhibebantur venæ sectio & alia hoc fine utilissima remedia, sed sine effe-
ctu; donec tandem, superveniente lipothymia fluxus sponte cessabat. At vero brevi post facies antea rubicunda & florida suffundebatur pallore, oculi apparebant concavi, pedes semper fri-
gidi & subtumidi a tactu digitorum re-
tinebant soveam, appetitus cum viri-
bus mirum languebat & difficilis sub
levi motu aderat respiratio; quæ ma-
la æger expugnaturus meam require-
bat opem.

EPICRISIS CUM CURATIONE.

Ex variis subinde cauſis statum enasci cachecticum, attenta observa-
tione & experientia abunde satis intel-
ligimus. Evidem principalis & pro-
xima hujus mali cauſa in vigore & ro-
bore solidorum, quo circulantur &
depurantur fluida, desperditio consi-
stit; attamen quæ huic principaliori
progignendæ serviunt mediatæ & oc-
casionales cauſæ non unius ejusdem
que sunt generis. In nostro casu vires
solidarum partium-destruxisse videtur
tum potus in febre & extra ipsam im-
modice adsumptus, tum nimia sanguini-
nis per effrenem hæmorrhagiam amis-
sio. Non semel enim sed sèpius expe-
riri mihi licuit, homines phlegmati-
cos & obesiores, qui strenui sunt pota-
tores, in hæmorrhagias & quandoque
etiam in paralyticos affectus longe in-
currere facilius, quam quidem eos,
qui calidioris & siccioris sunt tempera-
ture, vix aliam ob rationem, quam
quod a nimia seri copia facile infaretus
fiunt viscerum sanguineorum, qui li-
berio-

beriorem sanguinis circuitum intercipiendo, ejusmodi congestiones & metastases sanguineas efficiunt. Et inde quoque fieri observamus, ut procera ejusmodi subjecta a nimia ciborum & cerevisiæ ingurgitatione progressu temporis macie valde extenuentur & demum sub plenaria virium & appetitus prostratione in atrophiam lethalem incident. Si curationem respiciimus, frustanea omnis est medicina, nisi in tempore hi heluones sibi temperant. Optimam tamen locant operam rhabarbarina & elixiria blanda stomachica, digestionem roborantia, quorum compositionem jam supra in ipso curativa methodo docuimus.

OBSERVATIO VI

Chloros. Duodeviginti annos nata virgo *gerifera*, a nerosa, cui ante biennium exire præcipuum recto ordine cœperunt menstruæ, sed non multo post, quum iterato fluxu panem butyraceum calidum lacque frigidum adsumisset, subfitterunt, varias abhinc incurrit reæ valetudinis læsiones; quales potissimum sunt, pedum gravitas, movendi impotentia, dolor circa præcordia post sumptum cibum pressorius & constringens, tantaque spirandi difficultas, ut vix per scalas adscendere valeret. Albus præterea est adstrictior & flatibus, sinistrum præcipue latus distendentibus, turgida, facies pallida, pedes sunt tumidi & gelidisimi, pulsus arteriarum in manibus debiles, circa collum contra vehementiores; conjunctis simul per intervalla capitis doloribus atrocissimis. Ut igitur promoveretur, quæ usque huc suppressa fuerat mensium fluxio, adhibita quidem sunt, cum repetitis in pede venæctionibus, medicamina variæ generis euporista, sed nullum ab omnibus misera tulit levamen. Neque ferre poterat pediluvia, quamvis temperiora; quippe quorum usum mox cordis palpitatio, & leviuscula animi defectio insequi videbatur. Quæ-

re ut tandem a tantis liberetur malis, meum ægrotantis mater imploravit auxilium, & ut curam vernalem præscriberem vehementer a me petuit. Ego itaque suæ fui, ut primo omnium pedes ægra in perpetuo servaret calore & præmissi eorundem cum panno asperiori frictionibus, e vena tuſa sex minimum crux uncias emitteret; post hæc vero per decem dies singulo mane hauriat nodulum, talis compositionis: Rec. rad. Zedoariæ, aristoloch.: rotundæ, vincetoxici, ana unciam dimidiæ, herb. melissæ manip. unum, flor. cheiri pugill. quatuor, rhabarb. drachmas sex, folior. fennæ sine stipit. limat. martis, ana drachmas tres, cionamomi, anisi stellati ana drachmas duas, tremor. tartari unciam dimidiæ, passular. minor. uncias tres. C.D.S. species præ una & dimidia vini mensura. Dein elixirium nostrum vilcerale ad sexta-ginta guttas in prandio assumendum obtuli, & denique ut loco cerevisiæ secundariæ, cui hactenus adsueverat, cerevisiam bene coctam & lupulatam biberet, corpufque, quantum fieri posset, motu & labore sæpius exerce-ret, commendavi.

EPICRISIS.

Non semel sed frequentius per id temporis longinquum spatiū, quo morborum curationibus vacavi, annotare mihi licuit, a solo pane ex sili-gine vel tritico cum vel sine butyro inter ipsum menstruum fluxum largiori in copia calide comeflo pertinacem mensium suppressionem una cum doloribus circa scrobiculum cordis pressoriis aliisque pessimis symptomatibus fuisse inducatam. Cujus quidem peculiariis effectus hæc videtur ratio, quod ob deficientem digestionem & dissolutionem multæ in prima regione vitiosæ cruditates & inde spasticæ stricturæ fuerint concitatæ, quæ ad totum excretionis salutiferæ negotium perver-tendū sunt validissimæ; ut adeo discere

Sicere liceat , quam caute & provide non modo circa cibos , sed & circa omnium rerum non naturalium usum feminæ, præsertim juniores & sensibilidres sub ipsa menstrua purgatione gerere sese debeant . Deinceps & illud dignum est , quod ex præfata morbi historia obseruetur , pediluvia , alias plane innoxia , & salutaris in ejusmodi casibus effectus nisi præmissa venæfectione & pedum , qui plerumque frigidisunt , fomentatione aut frictione , neque calida , neque tepida esse admittenda : cutis enim stricturam augendo , majorem sanguinis ad præcordia reditum inferunt . Denique , ubi a propositis remediis fluxus non revertatur , rectum thermarum Carolinarum usum tam internum quam externum suasi , utpote quæ salutares aquæ ad menses in juvenculis subsistentes revocandos nunquam non deprehenduntur utilissimæ .

OBSERVATIO VII.

chlorosis cum metu mortis beneficet. Virgo nobilis , viginti quatuor annorum , sanguineo - cholérica , a primis adolescentiæ annis valde inordinatum habuit meostrorum successum ; siquidem mox per duos menses sanguis plane nullus , mox admodum parca prodiit copia . Jam vero dimidia pars anni præteriit , quem omnis fluxus expiravit : unde mille malorum origo . Incidit enim optima virgo in chlorosin , sive malam corporis habitum , ex pallido & sublivido faciei colore satis conspicuum , jam asthelese respirat , languore totius corporis , maximeque pedum gravativo afficitur , ciborum fastidio pressa , qua adsumit alimenta , vomitu rejicit ; totumque corpus , exsolitus prope viribus , indies magis marcore consumitur . Hæc mala expugnaturus medioum , vomitorii , laxantibus & calidis pellentibus emmenagogis hæctenus morbum aggredi fategit , venamque brachii sinistri tundendam curavit ,

sed tantum absuit , ut levaminis quicquam attulerit , ut potius rebus in pejus ruentibus , hunc permolesta tussis ægram diu noctuque excruciet , & febriculosa intemperies cum frigore & insequenti astu , insignem plantis pedum & volis manuum ardorem inducente , aliquoties de die , præsertim circa noctem , invadat . Anum præterea obsident haemorrhoides coœæ & tumide , quæ tanto ardore ac dolore furiunt , ut somnum prope omnem eripiant . In tam misero rerum statu posita virgo generosa petuit a me maiorem in modum , ut ipsi consilio & auxilio succurrerem . Unde ego præcibus annuens consilium dedi , ut præmissis per aliquot dies pediluvii , venam in pede secandam , & aliquot cruoris uncias detrahendas curet . Dein ad sanguinis circuitum æquabiliorum reddendum tu simque demulcendam præscripti infusum theiforme , quo mane in lecto ad aliquot patellas epoto corpus ad lenem sudorem prolixiendum disponere debuit . Posthæc ut ventriculi quoque digestio promoveatur , & cruditates acido - viscidæ corrigantur , elixirum obtuli stomachale balsamicum & loco potus ordinarii decoctum temperatum adsumentum . Ad calorem hecticum internum refrenandum propinavi pulveres leniter nitrosos , item succum citri vel aurantior . cum corallis & matre perlarum infractum , circa tempus somni ex aquis sedativa virtute inbutis , ut cerasor . nigror . melissæ , flor . tiliæ , primulae veris , &c . addita spiritus nitri dulcis & syrapi balsamici portione , capiendum . Denique quoni generosam virginem ad iræ adfectum valde proclivem deprehenderem , ab omnibus summo studio abstinere consului , quæ animi tranquillitatem ullo modo possent turbare . Et hæc sunt quæ in præsenti morbi statu accommodata duxi remedia . Quo ramen specialius prospiciatur saluberrimo mensium negotio , nisi aquis medicatis , hoc fine utilissimis utendi copia daretur , circa .

circa eam temporis periodum, quæ alias ferri consuevit menstrua per uterum purgatio, remedia, quæ specifica quadam menses leniter ciendi virtute pollent, adhibenda putavi. Eorum numero præcipue eminent martialia, cum aromaticis & balsamicis probe mixta. Ego itaque a longo abhinc tempore summo cum fructu alternis diebus adhibere solitus sum pilulas nostras polychrestas cum pulvere martiali tenuissimo remixtas, itemque tinturam succini probe alcoholis fatam & minus spirituosam, frequenter potui inditam. Nec contemnendum pollicentur effectum frictiones in partibus inferioribus circa pubem, ilia, dorsum & pedes cum pannis calidis, præmissa harum partium cum unguento ex oleo liliorum alborum, vel axungia humana, oleo lavendula & juniperi conflato inunctione, instituta saepiusque iterata.

EPICRISIS.

Quæ ægram nostram excruciant symptomata, unice a critica illa & saluberrima sanguinis menstrui excretione suppressa sua ducunt incunabula. Deficiente enim vel proorsus intercepta talismodi consueta fluxione ingentem sanguinis & humorum massa contrahit dyscrasiam & impuritatem, ut nec nutritioni, nec partium corporis nostri functionibus vitalibus & animalibus præesse amplius possit. Quodsi itaque a pessimis his malis afflictas feminas liberare debet medicus, opus maxime omnium est, ut sanguinis utilissima excretio naturali restituatur integrati humorumque massa ab impuris foribus liberetur; quod tamen non ita facile, ut primo quidem intuitu putatur, perficitur, sed magna adhibenda est cautio, ne imprudenti bonorum remediorum applicatione malam deterius reddamus, gravioraque arcessamus symptomata. Exemplonobis luculento esse poterit perversa medici in præsenti casu curatio, ut po-

te qui ante quam obstructa & angusta uteri oscula referata humoresque fluxiles & ad excretiones apti facti fuerunt ingentem fluidis per emeticas, purgantias, venæctionem in brachio & emmenagogas, quæ ex myrra, croco, aloë & baccis lauri confecta reperi, fluidis introduxit motum, ut adeo non mirum esse debeat, si omnibus in pejorem statum conversis, molestissima tussis cum spirandi angustia & hectico calore juncta successerit.

OBSERVATIO VIII.

Equidem non possum, quin candide hoc loco recensem publicique juris ^{Rara} faciam singularem plane & in libris ^{observatis} de medicorum haud facile obviam morbi ^{tio de} peculia ^{re} cachectici, sive simplicis, sive cum ^{ripari} incipiente hydrope juncti & quacunq; ^{vaccarii} in ea que ex causa suborti curationem, quæ ^{ebria} cum urina vaccarum recenter excepta ^{virtute} & loco aquarum mineralium per mensem & ultra singulis diebus mane ad mensuram dimidiā vel unam pota felici admodum successu instituitur. Viginti jam & quinque effluxere anni, quum mihi, ad valetudinem Potentissimi Regis Prussiae tuendam, Berolini degenti primū de peculiari hac cura constitit. Retulit quippe mihi virgo, quæ liberorum informationi vacabat, Gallica, esse ibi feminam itidem natione Gallam, quæ hac methodo vernali & aestivo tempore complures, maxime feminini sexus, ex mensū obstructione, & post puerperium chlorosi & cachexia laborantes, omnibus remediorum generib; usum nihil proficiens, pristinæ restituisset sanitati, & ipsa, quæ hæc mihi narrabat, sancta fide adleverabat, se ante annum misere afflictam eadem curatione integrum recuperasse sanitatem. Ego hinc paullo magis de nova hac & proorsus mirabili medendi methodo sollicitus veritatem percontando eruere diutius institi. Adduxit itaque, me postulante, præfata virgo plures numero feminas, quæ narrato prius.

pris morbo suo statu itidem con-
stanter adserebant, semet ipsas, hau-
sta mane extra urbem in paucia ultra
mensis spatium vaccarum urina felici-
ter fuisse sanatas, & exserere hoc re-
medii genus suam tam per alvum,
quam urinam operationem, qua ci-
borum adpetentia pene emortua cum
viribus mirum resuscitaretur. Tum
ego urinæ insignem quantitatem mihi
adportari jussi & cum ea, quæ sequun-
tur, feci experimenta: bona ejus pár-
te in vasis stanneis super carbones len-
to calore inspissata, post multos emis-
tos vapores deprehendebam magma
flavescens, quod gustu exploratum
instar bilis americans erat & salsum;
affundebam spiritum vini rectifica-
tum, & en! mox color extrahebatur
flavescens; sal remanebat viscositati
immixtum, quod mediæ erat naturæ
& in aqua solutum saporis terræ folia-
tæ tartari non absimilis. Unde collegi,
præclaram hujus remedii virtutem a
sale essentiali herbarum, quibus æsti-
vo tempore hæ animantia vescuntur,
esse deducendam; cuius ope non mo-
do viscerum oppilationes referarentur,
sed & vitiosorum humorum per uri-
nam & alvum promoveretur excretio,
ut ideo nihil dubii sit, quin adversus
complures morbos medicina sit effica-
cissima. Posthæc hujus remedii usum
adhuc commendavi aliquibus, chro-
nicis passionibus affictis; attamen,
quum fecitam hanc medicinam, nau-
sea inde correpti, respuebant, plura
circa ejus virtutes tentamina institue-
re non potui. Interim, quum sub-
tractanda hac materia rursus in men-
tem mihi venerit, curioso lectori re-
ticere nolui, hoc tantum commone-
faciens: nisi ob squalidum foetorem
sola urina sine nausea in usum duci po-
test, melius fortasse poterit, quando
sal ejus, facta evaporatione remanens
& in aqua solutum offertur; quod ve-
ro, an eundem præstet effectum, aliis
experiendum relinquo.

OBSERVATIO IX.

Femina procera & gracilis, viginti *Cachexia*
& aliquot annorum semper largum & *ura* in
regularē habuit mensium successum. *Seminæ*
Accedit autem aliquando, ut *aquis*, dum *Lauch*
menstrua fluenter, vehementi percel-*Stadienæ*
leretur terrore; unde mox salutaris *fibra*
hæc excretio suppressa per longum *Januæ*
tempus remansit. Varia hinc ingruè-
bant valetudinis incommoda: lassitu-
do enim & gravitas membrorum cum
lurido faciei adspicere subsequebatur,
parum cibi sumebatur, pedes intume-
scabant, caput lancinante dolore satis
vehementi quotidie fere afficiebatur,
respiratio erat difficilior & febricula
quædam non continua sed erratica,
quæ nullam servabat periodum, cum
magna siti per intervalla invadebat.
Ego igitur in consilium adscitus, pul-
sum in manibus deprehendi valde lan-
guidum, qui contra satis vehemens &
fortis erat circa collum & tempora;
unde brachii venam secandam jussi &
sanguinis valde fibroſi educebatur copia.
Postea commendavi aquas Lau-
chstadienses, una cum balneo tepido
circa vesperam adhibendo, & elixirii
noſtri visceralis uſu bibendas. Inte-
grastres septimanæ durabat hæcce cu-
ratio, præmissa & interposita, ad
fordes evacuandas, effentia rhabarba-
ri cum tinctura tartari parata, vel
etiam pulvere rhabarbatino cum cre-
more tartari confecto. Et optime res
processerunt: melius enim ægra ad-
petebat, paullatimque vires recipie-
bat, respiracione simul redditæ facili-
or. Redibant quoque menses circa
statum tempus, sed tantum viscidus
instar loturæ carnis liquor parciori ef-
fluebat copia; qui tamen effentia suc-
cini, myrræ & croci successu tempo-
ris desinebat & sanguis naturalis red-
debat.

EPICRISIS.

Fontes Lauchstadiens aquam ve-
lunt puram & subtiliorem , sulphu-
rei odoris , croco martis tenuissimo
imburam ; quæ hinc etiam ab inje-
ctione gallarum mox purpuratum &
postea atrum induit colorem . Scripsi
olim de viribus & proprietatibus ho-
rum fontium , quorum ego inventor
sum , integrum tractatum , & certa
adseverare fide possum , iisdem loco
balnei decenter adhibitis atrocissimos
dolores , membrorumque contractio-
nes , cum malo ischiadicō fuisse subla-
ras . Interne pariter eximii sunt usus ;
siquidem cum debito regime , &
sufficienti corporis motu potatae febres
chronicas , asthma & foeminarum
quoque chlorosin fugarunt felicissime .
Equidem multi , etiam celebriores
nostrī temporis medici , ex marte præ-
parata remedia in morbis , ubi viscer-
um oppilationes & infarctus suspi-
ciendi sunt , propter vim majorem
adstrictivam solent reformidare , &
inter medicamina infida minusque tu-
ta referre , quum contra alii , iique
non minoris eruditio & famæ viri ,
illa ipsa non modo secura & innoxia
celebrent , sed & instar panaceæ in
hypochondriaco & cacheoticō malo
summe commendent . Verum , ut
meam interponam sententiam , nihil
ex martialibus damni pertimendum
arbitror , dum modo cum vehiculo
fatis largo & diluto sumantur & cor-
poris simul jungatur exercitatio . Mu-
lto vero minus periculi alunt ipsi fon-
tes , qui tenuē martiale principium
recondunt , & tenuissimum illud
phlogiston elementum ex terra sinu-
bus imbibunt ; quod quidem in dictis
Lauchstadiensibus facile deprehendi-
tur , quando hæ aquæ diutius in vasis
majoribus stagnant . Tum enim cro-
cum deponunt flavum , qui cum æqua-
li salis ammoniaci portione sublima-
tus flores dat instar croci subtilissimos ,
fortem & gratum odorem spirantes ;

ex quibus cum spiritu vini rectificatis-
simi tinctura martis flavescent , ma-
gno usus , extrahitur pulcherrima .

Venæsectionem quod in brachio ce-
lebrandam suaserim , hæ me impule-
runt caussæ . Nascuntur præcipue hi
morbis a nimia sanguinis abundantia ,
qua universus humorum circuitus &
cum eo salutares excretiones retardan-
tur . Qum itaque viderim , in hac
agrota brachii venas sanguine esse tur-
gidas & respirationem , ob sanguinem
ad peccus congestum , difficiliorem ,
in supernis partibus , quia inferiores
id ipsum prohibebant , venam aperiri
jussi ; maxime quum meminerim ,
jam olim Hippocratem in statu cache-
ticō & hydropico venæsectionem lib.
de diæta acutor . his verbis commen-
dasse . Si difficulter spiraverit hydro-
picus (anasarcoideus) Et tempus ver-
num fuerit , Et simul atas viguerit ,
& virium robur adsit , de brachio san-
guinem detrahere oportet .

OBSERVATIO X.

Dum hæc scribo , incidit in manus Statua
peculiaris de tumore pedum cedemato-
lo retropulso casus , quem cum bene-
volo lectore communicare operæ exi-
stimo pretium . Est scilicet virgo ge-
neroſa , viginti annos nata , habitu
corporis laxiori animoque sensibiliori
prædicta , quæ ante annum pedum la-
boravit cedemate ; ad quod abigen-
dum quum ex medici consilio ceru-
sam exterius applicasset & pediluvia
quoque cum thermis Hirschbergensi-
bus per sex hebdomades adhibuisset ,
evanuit quidem tumor , sed in ejus lo-
cum circa instans mensium tempus
atrocissimi capitis & dorsi dolores cor-
disque anxieties cum insigni pedum
frigore corporisque universi languore
juncta successerunt : quæ pessima
symptomata redeunte menstrua perio-
do ita ingravescebant , ut ægra moti-
bus spasmodicis agitari & præ nimia
pectoris constringe asthmate con-
vulsivo affligi videretur . Advocatus
medi-

medicus venæsectionem commenda-
bat , quæ tamen ob nimiam vaso-
rum exilitatem & constrictionem in
pede celebrari minus poterat , sed
in pollice ejus institui debebat ; un-
de sanguinis valde spissi & fere
congrumati larga exprimebatur po-
tius , quam effluebat cōpia . Tum
quidem per tempus mitiores vide-
bantur accessiones , sed non multo
post , prævia levi iracundia , malum
redibat ferocius & nunc instar fe-
bris , aliquot de die recurrendo , cer-
tos format paroxysmos , qui visu
sunt horrendi : namque generosa in-
forniis quasi perterrita vehementer
expavescit , oculi clauduntur , lo-
quendi potentia perit , brachia ma-
nusque attolluntur , jactantur , va-
riisque modis distrahuntur , dentibus
stridet , spiritum instar morientium
frigidum emittit , pedes refrigescunt ,
labia rigore concussa tremunt & col-
ore livido adparent , totumque
corpus hinc inde agitatur & mox
antrorsum , mox retrosum movetur .
Tandem elapsa horæ spatio hæc
omnia remittunt , remanentibus pre-
cordiorum angore , cephalalgia , in-
quietudine & lassitudine . Ceterum
notandum , alvum plerunque esse
pigram & vix semel intra tres qua-
tuorve dies deponi , mensiumque
negotium consueto tempore rite
succedere . Medicus ordinarius laten-
tem purpuram tantorum malorum
causam reputans hastenus pulveres
solares & sic dictos nigros Hallen-
ses cum essentia dulci concentrata
magna in copia obtulit , sed sine
omni effectu . Alius igitur arcessitur
medicinæ peritus , qui liquorem
anodynū interne dedit & externe
membra balsamo vitæ inungi jussit
cum insigni mali levamine . Sed
quum prior his sepositis medicami-
na solaria denuo adhiberet , mox
pristina ingruebant symptomata .

Tom. IV. Pars IV.

E P I C R I S I S C U M C O N S I L I O .

Præfata morbi historia licet strictius
suenta ad præsentem tractationem mi-
nus pertinere videatur , feracissima
tamen est cautionum utilissimarum ,
quæ optime nos admonent , quam
caute tumor cachecticus externis re-
mediis debeat tractari , nisi ægrotan-
tes in grave præcipitare periculum ve-
limus . Dignum autem inprimis est ,
quod probe animadvertisse , impru-
denti balneorum , maxime nimis cali-
dorum uisu tumorem pedum evanuisse
longeque pejora accessisse symptomata ;
quod mihi quidem sæpissime in
praxi annotare licuit . Etenim serum
illud acre & impurum , quod in pedi-
bus stagnat , ubi inducta ipsis strætura ,
a venis resorptum ad partes nobiliores
pellitur , has ipsas præter naturam af-
ficiendo , ad spasmoidicas sollicitat
agitationes , quæ in nostra ægrota mi-
ras luserunt tragedias .

Quam curandi scopo medicus adhi-
buit venæsectionem præservationis
loco debuisset administrare . Interim
pleniū exinde de summa infernarum
partium constrictione convincimur ,
quæ tanta fuit , ut phlebotomo locum
vix reliquerit . Quod porro attinet cu-
rationem per concentratoria medica-
mina , quæ in parcissima dosi data
magnum edunt efficaciam , ut fere
sunt pulveres solares & ejusdem farinæ
alia remedia , hæc jure meritoque
videtur taxanda . Nihil enim est de-
terioris , quam cutis spiraculis occlusis
alvoque obstructa , calidioribus mas-
sanguis humorum exagitantibus me-
dicamentis uti , & quod noxiū in
corpore hæret , ad ejus peripheriam
cum impetu propellere velle . Qua
perversa methodo nihil profecto aliud
efficitur , quam ut anxietates augeantur
singulaque exacerbentur sympto-
mata . Multo magis tum eam oportet
esse medentis intentionem , ut in
paroxysmo violentos motus sopiat

P &

& quæ huic extra paroxysmum occasionem præbent caussas apte præscindat. Quo scopo præter clysteres emollientes & oleosos, pulveres leniter antispasmodici nitroosi & cinnabarini, nec non liquor noster anodynus cum essentia castorei maritatus, qui specifica quadam effrenes motus compescendi efficacia pollet, summam merentur commendationem. Neque sua laude carent remedia externa, quæ inter eminent olea nervina rutæ, lavendulæ, majoranæ, nucistæ &c. admixtione axungiarum temperata & in linimenti formam redacta spinæ quæ dorsi, nucha & pectori invuncta. Quo etiam pertinent frictiones pedum, ad spasmos eorum relaxandos frigusque debellandum.

Plures casus legantur in Responsis & Consultat. nostris medicin. Tom. II. Sect. III. Cal. LXI. usque ad LXV. item Sect. IV. Cal. CLXXXII.

C A P U T XIV.

D E H Y D R O P E.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Principium hydrops est cachexia. Achexiam proximum esse ad hydropem gradum, constans antiquitatem medicorum fuit assertio, qui inde in suis de remedica monumentis post cachexiam statim de hydope agere consueverunt. Nullus autem ex omnibus utriusque affectus consensum rectius agnoscit, ipso ARETÆO, qui lib. IV. cap. I. hæc egregia profert: *hydrops in viscere primario delitescens totum corpus in malum habitum convertit, nullaque est pars noxa carens.* Neque enim in inferiore ventre fluctuans humidum hydropem nuncupamus; quandoquidem neque ibi vitium est, sed quum morbum consequitur tumor, inflatio, coloris fædi-

tas, iste in aquam colliquans habitus hydrops est & appellatur. Nam tam nonnunquam foras sponte aqua prorumpit, aut aliquis precordia reseindens effundit, adhuc in sede sua permanet hydrops. Princeps itaque caufa malus habitus est, sive cachexia. Quibus verbis optimus hic ex antiquissimis auctior clarissime innuit, morbum primarium esse malum corporis habitum, cuius symptoma potius & effectus sit tumor aquosus; eo quod hoc cessante morbus nihilominus permaneret. Et in sequentibus ita pergit: *Anasarca laborantes colore ex atro viridique permixto infecti sunt, obscurasque & nigras venas habent.* Quæ signa admodum etiam communia sunt cachexia adfectis. Accedit deinceps & hoc, quod ab iisdem caufis, quæ malum ingenerant cachecticum, quas ex CÆLIO AURELIA-NO in superiori capite descripsimus, hydrops quoque originem ducat, id quod auctores confirmant, ipsaque experientia, optima rerum magistra, abunde satis corroborat.

§. II.

Quum itaque cachexia morbus cum hydope tam arctam habeat affinitatem, ut iste hujus caufa ac fundamentum recte dici possit ac debeat, non possumus, quin omnibus rite comparatis, in specialiori hydropis notione suppeditanda, ipsum valde depravatum corporis, quoad omnes partes & functiones suas, habitum dicamus, cum insigni & præternaturali humoris serosi, aut in toto corpore, aut in certis ejusdem cavitatibus, stagnatione & collectione coniunctum.

§. III.

Functiones nostri corporis tam vi-
tales, quam naturales & animales in
hydope valde esse vitiatas atque la-
cas, signa, quibus sepe prodit trucu-
lentus hic morbus, & quæ optime
collegit ARETÆUS loc. cit. testatum
faciunt luculentissime: *Omnibus, in-
quit, ineft pallor, spirationis difficul-
tas,*

tas, tussis; diversis temporibus segnes sunt, pigritia multa, a cibo ab alienatio: & si aliquid adsumant, quamvis medicum & flau carens, nihilominus valde inflantur, distensiones patiuntur, citra madorem eorum corpus est, idcirca neque in balneis sudore madescent. Præterea albidi sunt & effeminati; somni sunt graves, torpentes, breves, animi deliquium, circa minima queque sollicitudo, vivendi cupidas.

§. IV.

Hydro-
pis spe-
cies
sunt. Equidem hydrops a primis fere ar-
tis nostræ rudimentis in tres species, anaſarcam, ascitem & tympanitidem diuisus atque anaſarca dictus fuit, quando totum corpus tumore obſeſsum est, alcites, ubi abdomen turget & intra ejus cavitatem stagnans lympha viscera inundat, tympanites, ubi abdomen non molle, ut digitorum vestigia imprimi possint, sed valde inflatum ac durum comparet; ipſe ta-
men ARETÆUS quartam addit &
copieg. inter anaſarcam ac leucophlegmatiam
matia aliquam constituit differentiam, exi-
ſtimans: in utraque hac hydropsis spe-
cie tumidam quidem faciem & bra-
chia esse, & in leucophlegmatia, ubi
pituita redundaret, non minus quam
in anaſarca omne corpus impleri, at-
que partes tam superiores quam infe-
riores eam iplis membrinis intumescere,
quod in illis potissimum contingeret,
qui juvenes robusti in ætatis prospera
fortuna confisterent: at in hydrope,
anaſarca dicto, carnem in succum sa-
niosum quasi colliquescere, qualis a
membris graviter contusis effunditur.
Dein quoque leucophlegmatima mi-
tiorem hydropsis speciem curatuque fa-
ciliorem habendam esse statuit, quo-
nam variae ejus rollendæ sint prospes-
ræ occaſiones, ut sudoris, lotii excretionis,
aut alvi nonnunquam copioso effluvio; quum contra in reliquis spe-
ciebus, præfertim si mixtae sint, me-
dicus totum hominem permutare debeat,
si ipsas curare velit. Qua peculiari & eximia in praxi medica usus dif-

ferentia illud maxime disertissimus hic auctor indicasse videtur, in leucophleg-
matia quidem perinde ac in anaſarca aquam copioſe inter cutem stagnare, sed in hoc ſanguinem ſimil, quo car-
nes nutriuntur, valde eſſe corruptum, adeoque vitium longe ſubefte gravius.
Multo vero adhuc evidentius elegan-
tem hanc diſtinctionem in eodem ca-
pite deſcribit hunc in modum: aqua
inter cutem nonnunquam a copioſo fri-
giido potu continuo provenit, quum præ
nimia ſit ad saturitatem quispiam
multam aquam gelidam ingurgitave-
rit, poſtea humidum in peritonem
delatum fit, atque inde in ventribus
calor refrigeratus fuerit. Deinde in
ilia guttae effluunt, quæ prius in aere
verſa per transpirationem diſcutieban-
tur. Id igitur ſi incidit, facilior eſt
hujus morbi curatio, ante quam viscus
aliquod, aut totus homo adfectus fit.

§. V.

Quod ſi meam profiteri licet ſenten- *Di bice*
tiam, ego rei veritate & experientia *specie-*
bus ju-
dictum
adſentiri, quod leucophlegmatia le-
vior ſit species, facilioremque recipiat
ſanationem quam anaſarca. Equidem
illa communiter a noſtri ævi medicis
cum hac ſolet confundi; quum tamen
jam a CÆLIO AURELIANO ſa-
piusque laudato ARETÆO aqua in-
tercus vocetur, quoniam inter ipsas
pinguedinis cellulas aqua collecta sta-
gnat & hinc colorem pallidum indu-
cit: quum e contrario in anaſarca,
ſive hyposarca, ob majorem ſanguini-
nam quam in ipſa leucophlegmatia cor-
ruptionem, color carnis & cutis ma-
gis depravatus & ex atro viridescens
adpareat, manifesto indicio, quæ
ſanguificationi humorumque depura-
tioni interfluunt viſcera, ut ſunt pul-
mones, hepar & renes, nimiæ laxi-
tatis vel infarctus vitio laborare, &
ad functiones secundum naturam per-
agendas minus eſſe idoneas. Quando
itaque leucophlegmatia cum anaſarca
juncta eſt, jam gravior hydropsis spe-
cies emerget, quum leucophlegmatia

initium, anasarca vero augmentum præbeat.

§. VI.

s. VI. Longe vero deterior & prope insanabilis ea hydropsis species est, quæ ascites vocatur, cuius signa optime notavit ARETÆUS, dum loc. citat. in *ilibus*, inquit, *tumorem, in pedibus inflationem videre licet, facies, brachia, & reliqua exilia cernuntur: intumescent testes, præputium & totus colis ob inæqualitatem tumoris tortuosus est. In corporis ad alterutrum latus conversionibus humor in locum declivem & tumorem & fluctuationem facit, fluctuantisque liquoris sonitus exauditur. Ex quibus colligi licet, ingentem lymphæ ob vasa lymphatica vel hydatides disruptas esse extravasationem viscerumque inundationem, qua hæc ipsa temporis successu in plemariam abeant corruptionem.*

§. VII.

s. VII. Quoad illam speciem, quæ tympanitis, itemque hydrops siccus appellari solet, ubi abdomen valde tensum & inflatum ad palmæ percussum instar tympani edit sonum, sciendum est, eam symptomata potius anasarcae & ascitis, quam certam hydropsis speciem esse dicendam. Hæc vero si jungitur, ut fere plerumque in ascite evenit, pessimum & incurabilem denotat statum, qui vel a flatibus intra intestina coercitis, vel a vapore, ex aqua in abdomen extravasata exhalato oriundus abdominis museulos ita a tono suo dejicit, ut penitus elangescant.

§. VIII.

s. VIII. Ut autem plenius adhuc rectiusque de gravissimi nostri morbi natura indeoque pateat, operæ erit pretium, ejusdem initia pariter ac incrementa cum symptomatis rite exponere, quæ ita se habent. Primo tumor occupat pedes, qui succidente tempore ad femora, inguina, ilia, abdomen & ad scrobiculum usque cordis pertinet. Interdum venter aqua turgidus ita prominet, ut pedes vix cerni queant & abdominis ruptura sit me-

tuenda. Progressu temporis aqua in scrotum quoque descendit, illudque sœpe ad capitis magnitudinem inflat. Neque scrotum solum, verum ipse etiam penis cum præputio ita intumescit, ut intorqueatur lotiique excretioni iniciatur remora. Ubi manifesto deprehenditur, aquam, quæ penem distendit, ex vicina inguinali rectione cutim inter & carnem penis sese insinuare; contra vero, quæ scrotum in tumorem elevat, plerumque ex abdomine per peritonæ processus delabi. Aliquando tamen etiam, maxime in leucophlegmatia & anasarca laborantibus evenit, ut aquosus humor in partibus circa inguina collectus sub communibus testiculorum integumentis se inferens tumoris in scroto cauſa existat, abdomine aqua prorsus vacuo. Neque tamen in omnibus hydropicis scrotum tumorem concipit, sed quosdam eorum sine omni ejus intumescencia demortuos novi. In feminis inguina similiter tumida fiunt, & ipsa uteri vagina ab aqua sœpe elongatur, ut procidat. Dein commune hydropicorum symptoma est dyspnoea quæ post vehementiorem corporis motum & noctu potissimum exacerbata, ob facilem aquæ abdominalis subitu decliviori adscensum, suffocationis metum subinde minatur; unde, si liberius respirare miseri volunt, corpus mox elevare & in lecto potius erecti sedere, quam decumbere coguntur. Mirum quoque vexat tussis, secca uplurimum & nonnisi insane tussiendi desiderium mentiens, dum acris salsa que lymphæ, in universo corpore pecans laryngis præfertim & bronchiorum fibrillas membranaceas stimulat, irritat, convellit.

§. IX.

Posthæc notabile est, in anasarca urinam mingi tenuem & albam, in ascite paucam & crassam, cum copioso sedimento rubro lateritio. Potuimus *urinam* *ascite* *morbi* *hydropis* utplurimum responderet, alvus laxa est & ciborum appetentia bona;

quæ

quæ tamen omnia ingravescente malo deficiunt. Urget præterea inexhausta & clamora sitis, de qua recte cecinit Poeta: *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*. Jungitur autem hæc nimia potandi cupiditas ob hæc potissimum rationes: tum quod salivalis latex ob glandulas salivales obstructas deficiens fauces aridas irrorare amplius non potest, tum quod ea, quæ adfluit saliva viscida salisque est, & ab æstu febrili mox exsiccatur. Febris enim in pejori morbi statu nunquam fere non adjungitur lenta atque continua, ex pulsu, qui parvus fertur & crebrior, satis conspicua, quæ carnem supernarum partium una cum viribus sensim paullatimque depascens mortem denique procurat. Deinceps in anasarca æque ac ascite insignis sæpe pruritus in partibus pedum membranaceis percipitur & pedes quoque maculis lividis & vesiculis observantur obsiti, ex quibus apertis serum effluit sua acredine partes rodens, vel etiam inflammans, unde non raro prodeunt mali moris ulcera, quæ teste Hippocrate lib. VI. aph. VIII. difficulter sanescunt & consolidantur; utpote adfluxus acris seri major est ac copiosior, quam ut remediis lenientibus & exsiccantibus possit mitigari. Atque huic speciei hydropis præcipue adsoziatur febris, quæ ab inflammatione intestinorum, præser-tim per draistica remedia inducta, originem trahit, cui horror demum & rigor superveniens sphacelose & funestæ viscerum corruptionis præbet indicium.

§. X.

sectio anato-mica hy-drope demor-tuum, sepol-chreto aliisque anatomicorum libris constat, illud plerumque morbi-dum fuisse repertum, & nunc quidem pallidum & fere exsangue, nunc tu-midum & atrum, tensum, scirrho-sum hydatidibusque repletum, cum

Tom. IV. Pars IV.

vesicula fellis, materiam aut aqueam & minus amaram, aut spissam & in calculos concretam continentem. Speciatim vero hepar in junioribus in globum quasi contractum & induratum, ut sub cultri incisione strepitum ediderit, & in tympanite aridum & instar corii corrugati torrefactum se annotasse referunt HORSTIUS lib. III. obs. 9. & TULPIUS lib. II. cap. 36. Li-cet contra varia apud RUYSCHIUM in obser-vat. & BONETUM in lib. cit. prostant exempla, ubi hoc viscus sine omni labe adparuit sanum: quod itidem RIVERIUS in observat. communi-cat. IV. testari videtur, qui in hydro-pico quodam, hepate satis bene con-stituto, solum liuenem reperit corrup-tum & totam fere ipsius substantiam bili atra similem. Dein, quoad reliqua viscera notandum occurrit, omen-tum in dissectis ascite defunctis utplu-rium inveniri corruptum & sphace-latum, vel plane extenuatum & ab-sumtum, pancreas scirrhosum, & mesenterium, ob vesicas, quibus interius obliteri solet, aqua repletas & glandulas ad fabæ magnitudinem tu-mefactas, in magnam molem excre-tum, quæ de re notabilis casus exstat apud TULPIUM lib. IV. cap. 35. Ne-que intestina cum ventriculo relin-quuntur immunita, sed ista observavi inflammata, siderata & corrosa. In tympanite ipsa æque ac abdominis cavum multis flatibus vidi turgida, quales observationes etiam com-me-morarunt Felix PLATERUS lib. III. prax. cap. III. obs. 50. & HERCULES SAXONIA in prelect. præf. part. II. cap. 27. De ventriculo autem notatu dignum est phœnomenon, quod inter-iор ejus tunica nodis globosis, parvas avellanæ magnitudine adæquantibus tota sit obsita, qui nihil aliud esse vi-dentur, quam exiguae illæ in statu na-turali miliares vel annulares glandulæ, quæ alias tunice huic villosæ eo late-re, quo nerveæ adnexa est, intersper-sæ cernuntur.

§. XI.

Continuata
sefionis
difforis. Neque tantum imi ventris viscera male sunt adfecta, verum etiam observatione quam maxime dignum est, quod frequentissime in hydrope, sive sit abdominalis, sive pectoris, cor, praesertim quoad dextri ventriculi capacitatem ingentis & plane mirifica deprehendatur magnitudinis, ita ut ego in duobus subjectis illud instar bovinī conspexerim. Qua de re consuli etiam possunt M. N. C. Dec. I. ann. V. obs. 64. item BARTHOLINUS Cent. II. histor. 66. Deinde si meam ipsius experientiam licet proferre, ego plena fide testari possum, omnes sere, quos secundos curavi hydropicos, prater viscera male constituta polyposa in corde ejusque vasis habuisse concreta. Id quod etiam plures aliorum observationes confirmant, ex quibus memoratu digna est, quæ in M. N. C. Dec. II. ann. V. obs. 66. descripta legitur, ubi in anasarcā demortuo intestina, omentum, pancreas, hepar, & lien fine omni vitio fuerint visa; in dextro autem cordis ventriculo polypus inventus, qualis etiam venam cavam & arteriam pulmonalem occupavit, ut ideo aeger superstes de ruptura cordis in dextro latere conquerendi causam habuerit gravissimam. Et eadem Acta Cent. IX. obs. 50. referunt anatomen hydropericæ, in cuius dextro cordis ventriculo polypus ad quadrantem sinu partem longus & in arteriam pulmonalem protensus fuit annotatus: ut silentio præterea complura alia, quæ de eadem re Cent. III. obser. 117. Cent. VIII. obser. 41. item Dec. II. ann. VI. obser. 73. leguntur exempla; hoc tantum adjiciens, ubi cordis vasa polyposis concretionibus sunt repleta, ibi plerumque ingentem seri in thoracis cavitate effusi observari copiam.

§. XII.

Obser-
ustio
circa cō-
diturio-
nem a-
guarum, Quod ad serum intra cavitates collectum attinet, hoc ratione copiæ, coloris & consistentiæ folet esse diversitatis sum. Interdum enim instar aquæ valde est dilutum, spissiusculum tamen

& igni impositum in gelatinam crescit, interdum flavum & loturæ carnis non absimile. Quantitatem si despiciamus, hæc itidem pro corporis amplitudine morbique diurnitate admodum est diversa; siquidem quandoque triginta, quandoque sexaginta, imo centum adæquat libras. Continetur autem hujus aquæ plurima pars in cavitate abdominalis, vel intra peritoneum & musculos abdominalis; non nunquam tamen etiam in duplicatura peritonæi formato ibi sacco inclusam eam contineri fidem faciunt observationes, quas inter notabilis est Cl. Litteris, quæ in *Mémoire de l' Academie des sciences*. Paris ann. 1707. legitur.

§. XIII.

Explicatis sic satis dilucide phænomenis, quæ in dissectis hydrope ^{Ratio tumoris} mortuis solent observari, sequitur ^{ptis.} hydram, ut despiciamus, quænam sint præcipua & proximæ inundationis aquarum in gravissimo hoc morbo caussæ. Evidē veteres, quibus naturalis machinæ nostræ constitutio hydraulica, inque primis circularis humorum progressus fuit incognitus, lascam in hæpate male adfecto sanguificationem & sanguinis in aquam conversionem accusarunt; nostro autem tempore, quo structura corporis humani motuumque vitalium economia clarius fuit detecta, longe rectius hæ caussæ possunt demonstrari. Vix autem melior tumoris hydropericæ causa, me judice, poterit allegari, quam circularis sanguinis per venas motus & progressus valde difficilis, tardus & variis ex caussis præpeditus. Quam quidem assertionem experimentum a Clar. anatomico LOWERO primum, quod scio, institutum comprobat clarissime. Hic enim in vivo animali venam aliquam majorem filo constrinxit idque vinculum per horam reliquit & protinus tumorem edematosum in illa parte, qua rami ad venam excurrunt, animadvertisit. Simile quid conspicitur, quando ad enormes hæmorragias fistendas instrumentum venas valde

valde comprimens, quod nomine Tournequet venit, applicatur. Quod si enim diutius relinquitur, in tumorem successive pars attollitur. Huc quoque illud pertinet experimentum, quum in homine mortuo vena subclavia, v.g. manus dextra, fortiter constringitur & postea cum siphone in venam manus apertam rubicundus, paullo spissior liquor injicitur. Namque tum brachium intumescit, eoque aperto observamus in cellulas pinguedinosas sub cute miram ejus penetrasse copiam, vix aliam ob caussam, quam quod propter positum obstaculum liquor injectus venas, quae per adiposum panniculum transeunt, nimium distenderit, atque tandem per earum poros extravasatus fuerit.

§. XIV.

Quæ am. plus exponit. In pr. Enimvero nullus dubito, quin ex dictis experimentis abunde satis patet, nimirum corporis in hydrope intumescentiae & separationis feri a sanguine ejusque intra cavitates & interstitia stagnationis veram caussam esse retardatum sanguinis, per venas maxime, transitum. Attamen longe adhuc clarius adserti hujus patebit veritas, si perpendere velimus, quam facile & expeditum sit, ut sanguis in suo per venarum systema circuitu sistatur; idque potissimum has ob rationes. Nam primo sanguinis per venas regressus a partibus inferioribus ad superiores, ob situm perpendiculari, secundum naturæ ordinem multis modis est tardior, quam in arteriis; unde etiam fit, ut venæ non modo numerum, sed etiam diametrum arteriarum longe multumque superent. Deinde venarum tunicæ non tanta vis fystaltica & motrice elastica præditæ sunt quam arteriæ. Quibus demum accedit, quod venæ anterioribus valdeque porosis instructæ sint tunicis, per quas tenue liquidum facile potest transire. Quodsi itaque accidit, ut ob nimiam serosi humoris in corpore humano copiam tonus & robur vasorum, maximeque venarum propter

nimirum distensionem magis infringatur atque debilitetur; non potest non per universum corpus vitalis sanguinis circulus, qui omnibus functionibus præst, easque in integritate conservat, valde languescere atque immuni; quod etiam ex pulsu, qui rarus, mollis ac debilis est, aperte cognoscitur. Et ex hoc fundamento non modo præternaturalis intumescentia, sed reliquorum quoque cum hydrope complicatorum symptomatum, ut lassitudinis, gravitatis corporis, pigritia, nec non salutarium per cutim, renes, & alvum excretionum immunitarum vera deducenda venit ratio.

§. XV.

At vero, præter hæc perpetuum *Ratio* fere omnis hydropis accidens est in *Symptomatum* spirandi difficultas, suffocatio *in pe-* nis metum subinde incutiens, que itidem vix aliam agnoscit caussam, quam quod ob vim cordis & vasorum imminutam systalticam sanguis viscidio sero refertus per minimas & angustissimas arterias & venæ pulmonalis ramifications non satis libere, nec sufficienter possit transmitti; unde in illis stagnat & facta ad cordis dextrum ventriculum regurgitatione miras parit anxietates. Et quum præcipua pulmonis functio in eo consistat, ut, si per minima & copiosissima vesiculæ ejus substantiae vascula sanguis trahuntur, lympha & chylus cum ejus partibus intime misceantur aersique subtiliori elastica imbuantur substantia, ut inde spirituolus, fluidus & ad conciliandas corpori vires idoneus evadat crux vitalis; recte omnino colligitur, difficiliorem sanguinis per pulmones progressum gravium accidentium esse caussam. Nam leditur exinde universum sanguificationis negotium & loco sanguinis floridi, fluidi ac temperati vata copioso sero repleantur & infarcantur necesse est. Longe vero deterior status est, ubi jam polyposæ concretiones vasis pulmonum & cordis majoribus inhærent. Hac enim ratione non modo sanguis per cordis &

pulmonum meatus in cursu suo præpeditur, ibique stagnans varia parit incommoda, verum etiam in totius venæ cavæ systemate omnibusque partibus, ad quas hæc vena pertingit, subsisterè incipit; unde ingens liquidi serosi contingit secessio. Quo difficilius autem est, ejusmodi altius corpori impactum repagulum artis ope tollere, eo facilius est judicatu, eam hydropis speciem, quæ tali fundamento nittitur, pessimæ esse indolis difficillimæque sanationis.

§. XVI.

*Afectus
genesi
depen-
dens ab
heparis
vitio.*

Hæc de leucophlegmatiæ & anasarca generatione dicta sunt. Quod vero ad genesis ascitis attinet, ego confidenter adserere haud dubitaverim, hepar maxime in hac hydropis specie præter naturam esse affectum & male constitutum, utpote quum in nullo æque viscere ac in hoc ipso tam difficilis est sanguinis progressus ac circulatio. Et licet succussoria hepatis a dia-phragmate sub respirationis actu commotio, ipsumque robur tunicarum, quibus venam portæ instructam esse ex anatome novimus, sanguinis cursum haud leviter videatur adjuvare; nihil tamen minus, quando eruor lentescens adpellitur, dicta vena portæ, & pulsu & valvulis destituta, eundem per innumeros venæ cavæ canaliculos difficulter transmittit; unde haud levis ad stagnationem & infarctum fit dispositio. Cui si accedit ob parciorem potum, vitam sedentariam, ingesta liberalius acida & vini spiritus abusum, aut propter hæmorrhagias vel febres per adstringentia præpostere curatas sanguinis & lymphæ lensor ac redundantia, vel etiam ob multas animi ægritudines morbosque prægressos ipsius hepatis ejusque vasorum atonia; vasa utique certo certius infarcientur &, sublata proportione ad motum, sanguis segniter trajectus hinc inde in eanulum alveis stagnat ejusque aquosa pars secreta lymphatica vasa, magna in copia ibi sita, implet. Porro etiam lentescentis lymphæ præterna-

turalis spissitudo ejus per hepar circuitum modo leviore in modo graviorem remoratur. Quodsi autem paullo spissior a sanguine secedens lympha in hepatæ obhærescit, &c, dissipata fluidiore parte, ad majorem orasitudinis gradum redigitur, tunica vitalis illius visceris crassescunt & indurantur tandemque in scirrhum abeunt, ita tamen, ut induratio magis intimiora occupet, scirrus vero in exteriori parte membranacea valisque extimis obhærescat. Præcipuum itaque ascidis fedem esse hepar, cadaverum sectiones supra adductæ satis faciunt demonstratum.

§. XVII.

Verum enim vero, præter hepar reliqua abdomini viscera non sunt ab omni labore remota. Lien enim saepè ^{Et relt-} abdomini extra ordinem magnus, atro sanguinis ^{quorum} utine refertus & scirrhosa membrana obductus, RIVERIO, SCHENCKIO, FORESTO & autoplia teste inventur. Pancreas, secundum RONDELETIUM atque PEJERUM *in obser. anatom.* in omnibus fere hydropicis dissecatis durum & scirrhosum, quin interdum totum absuntum deprehenditur. Omentum putridum & emaciatum, glandulæ mesenterii, intestinalium, duodenæ & ventriculi præter naturam constitutæ, tumidae & induratae conspicuntur. Quodsi igitur meam de hisce phænomenis sententiam proferre licet, ego quidem arbitror, hæc abdominis jam relata viscera labem suam ac vitium simili modo a præternaturali hepatis constitutione & impedito sanguinis per ejus vasa circuitu unice contrahere; idque potissimum propter intimorem horum vasorum consensem & communionem. Etenim notum ex anatomicis est, omnem sanguinem, qui ex ventriculo, fistula intestinali, mesenterio, pancreate, omento & liene regreditur, in venam portæ abire & hac mediante per mere vasculosum hepatis viscus ad venam cavam ipsumque cor transmitti debere. Quodsi itaque ibi pro-

progressivus & orbicularis motus sif-
stitur, necesse omnino est, ut sanguis
ad dicta abdominis viscera regurgi-
tans ibi stagnationem, infarctum,
scirrhescientiam & corruptionem cau-
setur.

§. XVIII.

*Hydro-
pis ate-
rigene-
sis.*

Quoniam per uteri, maximeque
spermatica vasa, quæ in varios cin-
cinos, pampinos vitium emulantes,
contortos implicatosque divaricantur,
difficilior & valde tardus est sanguinis
regressus, adeoque longissimum ad
vitalem cordis fontem iter, fit omni-
no, ut in utero & connexis ipsi parti-
bus, tubis nempe & ovariis, copiosa
interdum seri inundationes & tumo-
res aquosi orientur. Nunquam enim
citius & promptius fluida & aquosa pars
a sanguine secedit, quam ubi lentior
minusque expeditus ejus per viscera
transitus est, quemadmodum id clare
patet in hepate; & ob hanc etiam
causam non facile numerosiora,
quam in hepatis ac uteri substantia &
adjacentibus ei partibus vasa reperies
lymphatica, quæ a largiori decubitu
& adfluxu lymphæ distenta, magnas
in vesicas, quæ hydatides Græcis di-
cuntur, explicantur, quibus demum
disruptis nonnunquam subito hydrops
gignatur & mira seri quantitas effusa
cavitatem abdominis occupat. Ita
permultas hydatides in uteri confiniis
post partum difficilem reperit SAL-
MUTHUS cent. I. obser. 38. & in hy-
sterica femina gravida dissecta PE-
CHLINUS obser. 19. In cornibus ac
tubis uteri ingentem aquæ copiam
nonnunquam colligi, fidem facit
TULPIUS obser. I. IV. obser. 45. exem-
plio feminæ, quæ in utroque uteri cor-
nu novem circiter aquæ purisque li-
bras inclusas innumeris vesicis gesta-
vit. Plura ejusmodi exempla vide
apud SCHENCKIUM l. III. obser. 6.
7. & ROLFINCKIUM de organ. ge-
nital. cap. 20. nec non SYDENHAM
de hydrope. Eandem quoque in rem
apprime facit HARDERI observa-
tio, perhibentis: in femina rustica

repertum esse non solum ovarium
sinistrum aquæ subsalsæ & foerentis li-
bris duabus oppletum, sed letiam an-
nexam eidem tubam Fallopianam no-
tabili hydatide obseßam. Et nosmet
ipsi ante viginti annos ex gravi in hy-
pogastricam regionem lapsu annotavi-
mus in quadragenaria subortam ibi
intumescentiam cum dolore tensivo,
quam aquæ limpidæ largum proflu-
vium cum sanguine menstruo primum
prodiens exceptit, quod postea etiam
cessante sanguinis stillicidio per anni
dimidium continuavit, ita, ut quo-
tidie minimum libra una efflueret,
donec ægra, incassum adhibitis variis
medicaminum generibus, tibe lenta-
que febre penitus confecta obdormi-
ceret.

§. XIX.

Neque etiam adeo insolens sed ali-
quoties a me observatum est, sub in-
gravidatione simul occultari hydro-
pem; & hinc sit, ut saepius medici
in dijudicanda graviditate fallantur.
*Hydro-
pis fre-
quent
in gran-
ditis.*
Vidimus vero ejusmodi feminas gra-
vidas hydrope simul laborantes post
partum copiosioris effluxu servatas;
alias autem interisse, humore scili-
cet in cavum abdominis jam effuso.
In primis memoratu dignum est,
quod PLATERUS lib. III. obser.
p. 620. prodidit de muliere quadam,
quæ, quoties uterum gesit, toties
detenta fuit ascite. Et hanc obcau-
sam quoque in ea verlamor sententia;
hydropicos tumores in feminis plus
ex uteri, quam hepatis & viscerum,
quæ cum hepate habent connexio-
nem, vitio subnasci; & facilius quo-
que persanari, quam ubi hepatis pri-
mario adfectum est, eo quod liberior
& apertus sero stagnanti per uteri ostia
patet exitus.

§. XX.

Quod attinet ad causas procatareti-
cas, animadvertisimus, hydropicas ad-
fectioni, tam pectoris quam abdomi-
nis, pre omnibus maxime esse obno-
naturolos homines proceræ staturæ. In his
enim *his dis-
positio-*

enim sicut ob longius sanguinis a pedibus ad cor iter & situm perpendiculariter ordinario valde tardus & latus sanguinis est progressus ; ita ille ob caussas accedentes per facile redditur difficilior ; unde etiam fit , ut polyposa concreta cum hydrope pectoris & anasarca in proceris ejusmodi corporibus , his morbis demortuis crebrius reperiantur . Præterea quoque nostro malo admodum sunt subjecti habitu corporis molli , spongioso , minusque firmis instructo fibris prædicti , in quibus aqua eminet substantia & quos phlegmaticos vocamus , vel sanguineo-phlegmaticos . Huc dein & illi spectant , qui corporis sunt obesi , & in tenera juventute catarrhosis defluxionibus saepius fuerunt affecti , nec non qui tumoribus cœdematosis frequentius solent corripi . Ratione ætatis senes , in quibus ob elaterem vasorum dejectum excretiones non rite sucedunt , & lympha majorem contrahit lentorem ac spissitudinem , hydropicis tumoribus frequenter subjiciuntur . Respectu vitæ generis , ob vitam sedentariam , sartores , futores , textores , & ob aerem , qui fibrarum vigorem imminuit , vaporosum , balneatores , pescatores , fulloines & lotrices in hydrope præ aliis sunt proclives . Regiones quoque & loca , quibus inhabitamus , merito huc debent referri ; qua de caussa in locis palustribus & maritimis plures reperiuntur hydropici , quam in locis mediterraneis , uti quidem in Hollandia , vitio tum aeris tum aquæ , fieri animadvertisimus .

§. XXI.

Inton- Ut autem locus aliquis , qui antea *uentens* , talis non fuit , dein ad hydrope in *cibus* & *gignendum* aptior fiat , ex accidenti contingere potest , mutata scilicet *vitus* ratione , quod de Anglia egregie ostendit LISTERUS de hydrope . Cibus enim & potus inconveniens ad hydrope genesis multum omnino conferunt . Ex cibis autem crassi , crudi , viscidi & dulces , vel sola nimia vora-

citas , in iis potissimum , qui parum se movent , viam ad hunc morbum pandunt paratissimam . Frequentius tamen a potu , si quantitate vel qualitate peccat , hydrope malum suboritur ; unde eos , qui potulenta , in quibus modice adsumptis nihil alias noxæ inest , magna in copia ingerunt , non raro annorum decursu , nisi naturæ robur viscerumque integritas id prohibet , hydropicos fieri conspicimus : id quod copiosius haustæ cerevisiæ non satis defæcatae , recentes , maxime quæ ex tritico sunt & vulgo Brephahn dicuntur , abunde satis confirmant . Nullum autem potus genus , consentiente quotidiana experientia , tam nocivum est , quam spiritus vini , & illius æmulus ex frumento paratus . Einc ego non possum , quin ex eo confessas & aromatibus acuatas aquas vitæ vulgo dictas , præsertim si jejunio ingurgitantur ventriculo , aquas mortis jure meritoque censeam . Denique nihil tam subiro & intra paucos dies nostrum ingenerare morbum vallet , quam potus frigidus post insignem corporis incalcentiam in copia haustus , ut usque eo ARETÆUS lib . IV . de signis & caussis diuturn . morbor . reæle prodiderit : aqua inter cutem non nunquam a copioso frigida potu provenit , quem præ nimia siti quispiam multam aquam gelidam ingurgitaverit . Et hinc quoque est , quod SYLVIUS in tract . de morb . epidem . annotaverit , in ardore ac siti febrili a potu copiosius ingurgitato intra duos tresve dies hydrope fuisse excitatum . Longe vero gravior noxa pertimescenda est ab aquis palustribus stagnantibus , pro potu adsumptis , quas jam tum HIPPOCRATES inter caussas hydropis retulit . Et exinde simul petenda venit ratio , quare , uti supra diximus , in locis paludosis & maritimis frequentior hydrope sit proventus . Neque vero hic excludendus est intempestivus aquarum mineralium tam calidaru m quam frigidarum sine convenienti regimine usus , de quo mihi permul-

ta eaque tragica exempla in praxi observare licuit.

§. XXII.

*Animi
parte.
matæ.* Ex omnibus vero iis, quæ sicut ad alias chronicas passiones, ita etiam maxime ad hydrope conserre solent, principem fere locum obtinent animi pathemata, præsertim vero diuturnus animi moror & angor, cui tanta inest vis atque potentia, ut, visceribus fibrisque motricibus omnem vigorem, tonum ac robur subtrahendo, languidum sanguinis circulum & excretionum suppressionem producat. Nec minor est efficacia vehementis ira, maxime si cibus, vel potus copiosus frigidus desuper ingeratur. Sequitur enim presso, ut ajunt, pede ingens præcordiorum constrictio & anxietas, color cachecticus, ciborum inappetentia, spirandi difficultas & successu temporis ipse hydrops, quem plus vice simplici successisse novimus. Causa tantorum malorum hæc esse videatur: vehementiori hac animi commotione ventriculus cum duodeno & annexis biliaris ductibus valide & spasmodice constringitur; unde non modo succi biliosi & pancreatici ad bonam digestionem promovendam secretio impeditur, verum etiam copiosiori cibo ac potu adsumto multi ingenerantur flatus, qui alvinam excretionem fistunt totumque sanguinis circulum inæqualem reddunt.

§. XXIII.

*Excre-
tiones
suppres-
sæ &
nimia.* Nihil insuper magis ad genesis hydrope contribuit, quam consuetæ & criticæ evacuationis, ut in feminis per menses, per lochia, in viris per hæmorrhoides suppressio. Vid. HIPPOCRATES Sect. VI. aph. 12. Ita Trajanus imperator, ex retentione hæmorrhoidum asciticus factus & curatus, sed recidivam passus mortuus legitur apud DIOCASSUM. Pari quoque ratione, enormes sanguinis live per vulnera, sive per nares, uterum, aut venas sedis profusiones ad hoc malum valde disponere, quotidiana fere experientia comperimus. Nam in san-

guine incomparabilis latitat vitæ thelaurus: quo nimium detracto minima & secretoria & excretoria vasa connivent & angustantur; hinc nec bonus generatur languis, nec utilissimum lecernitur liquidum cerebri & nervorum, unde solidarum partium imbecillitas; neque inutile & impurum, quod in corpore est, foras ejicitur, unde magna impuritatum coacervatur colluvies. Minime tamen ita simpliciter statuendum volo, ac si omnis largior sanguinis evacuatio hydropticum adfectum producat, sed ubi in corporibus aliæ adhuc causæ accedunt, facile eum oriri arbitror. Ita quosdam ab obstructione viscerum scorbuto & cachexia laborantes valde que acri & impuro sanguine fartos post frequentes & enormes hæmorrhagias in aquosum hunc morbum incidisse novi; certe non ob solam illam hæmorrhagiam, sed eb malam corporis propter obstructions dispositionem atque humorum dyscrasiam. Immodica quoque in dysenteria excretio sèpius hydrope foecunda mater est, quare HIPPOCRATES Sect. VI. aph. 43. adserit: *quicunque difficultate intestinorum corripiuntur, eos superveniente longa dysenteria aquæ intercus excipit & moriuntur.*

§. XXIV.

Imperitiores quoque medici præpostera morborum curatione causæ hæmorrhoides & febres & cures & fistulas mali non raro evadunt; quando videlicet immodicas sanguinis, vel aliorum humorum excretiones desubito adstringentibus, opiatibus, vel narcoticis fistunt ac reprimunt. Idem malum incidit, si intermittentes febres, præsertim quartanas, quæ plerumque fixam suam in hepate obtinent sedem, ante sublatam obstructionem vel decentem causæ febrilis correctionem, nimis cito & intempestive specificis suis, ad quæ etiam cortex chinæ pertinet, reprimunt. Facile enim hi morbi in cachexiam & hydrope desinunt; quod jam tum HIPPOCRATES & GALENUS indigita-

gitarunt. In his vero septentrionalibus locis id mali, experientia teste, frequentius contingit: quod etiam post febres epidemicas in nostra urbe & circumiacentibus locis grassantes sanguissime ortum observavi, maxime in plebeis, qui convenientibus remediis & medicis fuerunt destituti. Idem quandoque in iis evenit, qui in acutis febribus, ad restinguendum astum & sitim, nimium potum ingurgitarunt, nec per diuresin vel diaphoresin satis reddiderunt. Ex mercuriali porro salivatione imprudenter tractata sanguinem in serum colliquescere & tono partium motricium desperito tumores succedere hydropicos, non rarum est. Nec denique ex censu causarum excludenda puto fortiora purgantia, quibus non modo viscerum tonus destruitur, sed vires quoque nimia seri per triginta vel plures in uno die dejectiones amissione mirum labascunt & loco sanguinis probe temperati nonnisi humores crudi in venis progignuntur.

§. XXV.

Neque silentio prætereundum est, scabies, arthritide, vel podagra re-
trocedente, aut incongruis medica-
daga-
mentis retropulsa, nec non ab anti-
G. pedis
adema-
ta re-
pulsa. quis ulceribus & fonticulis subito consolidatis hydropem tum pectoris tum ascitem saepius prognosci. Quid? quod a tumore pedum cœdemato, quacunque de causa intra corpus represso, præcedente gravi pectoris oppressione & anxietate id mali inductum observavimus. Namque serum illud spissum & vappidum, quod in pedibus stagnavit, dum inducta ipsis strictura sursum repellitur, a venis sanguiferis receptum ad præcordia fertur. Ibi ex dextro cordis ventriculo cum reliqua humorum massa in arteriam pulmonalem ejusque ramulos pulsus hos tanta copia replet, quæ, comprimendo simul vesiculos pulmonales, irruenti aeri resistit, ejusque ingressum, ad propellendum per venas sanguinem sufficientem remoratur. Ergo regur-

gitat sanguis ad dextrum corporis ventriculum eumque distendendo summam cum spirandi difficultate parit anxietatem. Quum itaque hac ratione sanguinis per pulmones cursus valde sit tardus ac impeditus, non modo serum per poros in cavitate pectoris & per vasa lymphatica, quæ in pulmonibus abundantissima sunt, fecedit & extravasatur, verum etiam inde sanguinis progressus in toto vena cavæ systemate quadantenus sistitur ac retardatur, ut ideo non mirum esse debeat, quare in inferioribus quoque partibus ingentes seri contingant stagnationes & extravasationes.

§. XXVI.

Hicce quoad ætiologiam accuratius paullo consideratis atque perspectiva hydropis, ordine jam sequitur, ut, ad recte instituendam curationem, hydro- a rell-
petem ab aliis tumoribus aquosis probe quia in discernamus. Primum itaque hydrops ademas non debet confundi cum tumoribus seisis, pedum cœdematosis, utpote qui in sanis etiam, molliori & spongiosiori carne instructis vitæque sedentariæ detidis sine omni periculo contingunt. Ejusmodi tumores cœdematosi feminis etiam, dum utero gerunt, valde sunt familiares, sed cum fœtus exclusione sponte cessant, neque ullam medicinam expectant. Fiunt videlicet ob insigniter dilatum uterum, qui veniam cavam inter lumborum vertebrales collocatam comprimit, ut sanguis consueta libertate adsurgere nequeat. Neque insolitum est, a solis flatibus, intestina valde distendentibus ob compressionem vasorum iliacorum tumores in partibus infernis prognosci, qui restituto intestinorum robore & flatibus expulsis ex facili remittunt. Videmus quoque, a nimis diurna & tensoria sub longiori equitatione femorum compressione, ob interceptum liberum sanguinis circuitum, pedum tumores interdum suboriri.

§. XXVII.

Dein quoque probe observandum agit: videtur est, ne alcitiae mulieres cum gravidis intumescantur.

confundantur. Discerni vero ab invicem facile possunt: namque in gravidis color faciei vividus est, abdominis que tumor inaequalis & sursum ad pectoria vergens. In hydropicis autem inferior pars abdominis intumescit, tumor æqualis est, mammaeque detumescunt. In hisce porro sitis juncta est, in gestatione vero minus. Denique in asciticis fluctuatio sentitur in abdomine &, quo se vertunt, ægri, eo aqua collabitur. Tandem motus infantis in utero, qui circa vigesimam septuaginam septimanam contingit, omnem tollit dubitationem. Neque vero inficiandum est, in gravidis quandoque simul oriri leucophlegmaticum tumorem, qui tum præsertim accedit, si gemellos gestant & nimium plethorice ab omni sanguinis detractione abstinenter.

§. XXVIII.

*Ab hyd-
drope
polypo
cordis
junctio.*

Postremo adhuc illud, quod mereatur attendi, occurrit, cum cordis polypo interdum pedum & femorum tumores conjungi sine præsente anasarca vel ascite. Id quo dignoscitur ex summa compressione pectoris, pulsu intermitte & inæquali atque intercurrente, præsertim post animi affetum aut vehementiorem motum, suffocationis metu. Interea non negandum est, concurrentibus aliis causis verum hydropem succedere.

§. XXIX.

*Differ-
entia veri
& spurii
ascitum.*

Differentia quoque notabilis est, inter verum & spurium ascitem. Hic vocatur, ubi aqua in abdominis cavitate non continetur, sed in membranis, quasi in facco peritonæi inclusa hæret; hinc etiam dicitur hydrops fuscatus. Qua de re vide M.N.C. *Dec. II. ann. VIII. obs. 23.* item Dom. LIT. TRIS *loc. cit.* Consuli quoque potest dissertatio sub præsidio Clar. D. ALBERTI *habita de hydropē fuscato, per lapsum in abdomen curato.* Contra vero in ascite intra ipsam abdominis pectorisque cavitatem aqua stagnat extravasata.

§. XXX.

Quod attinet ad ipsam prognosin & morbi eventum, de hoc audiendus est ARETÆUS, qui lib. citat. adserit: *omnes quidem species hydropsis præse*, *inter ipsas vero leucophlegmatia mittor*, *difficilis flatuosa, difficilior anasarca*, *ascites certe periculosisima, & quando ascites cum tympanitide miscetur*, *magni etiam est periculi.* Deinde in universum dicere possumus, ascitem, si invaluerit & ex morbis aliis, in quibus jam tum viscera sunt corrupta, aut corrumpuntur, prodierit, & ubi a vasis lymphaticis vel hydatidibus disruptis extravasata est, atque superiora cum siti marcescent urinæque paucæ & valde rubræ cum sedimento minguntur, omnino esse incurabilem. Contra vero eum hydropem cum HIPPOCRATE sanabilem adserimus, in quo viscera quidem infarcta, sed non scirrhosa, nec corrupta sunt & æger adpetit, nec male respirat, urinas mingit tenues, sive ætas est juvenilis. Quando etiam hydrops, præsertim leucophlegmatia & anasarca, in plethoricis ex asthmate subnascitur, vel a nimio potu in febribus & a largidri ciborum adpetentia post ipsas exantlatas, vel etiam post enormes hemorrhagias suboritur, spes omnino sanationis superest, si tempestive convenientibus succurramus remediis.

§. XXXI.

Tussis quando asciti supervenit, *nihil boni portendit, quod suo jam si.* tempore HIPPOCRATES recte notavit *Secl. VI. aph. 35. & VII. aph. 47.* Non tamen de tussi ita leviori, quæ etiam inter initia plerumque adparet, hoc intellectum volumus. Malum iidem signum est, si cibi adpetitus cum viribus plane perit, sitis augetur, multum liquidi adsumitur & parum per urinam redditur: neque boni sunt omnis horrores febriles cum ardore interno in asciticis supervenientes, sed plerumque funestum pronunciant exitum. Pessimum quoque,

que, imo mortis indicium habendum est, si erysipelas cum febre in cruribus erumpit, cui HIPPOCRATES etiam lib. VII. epidem. adsentitur. Qui præterea recidivat hydrops ascites, difficulter admodum, & secunda vice vix unquam curatur: quod tamen aliter prorsus se habet cum anasarca, qui si periodicus est, non tantum periculi portendit, quam statarius. Ceterum vero notari meretur, ex nostro morbo non facile quenquam mori, nisi qui in corde gerit polypos, vel in hepate scirrum, vel glandulas in mesenterio tumefactas, vel etiam, si feminas respicimus, uterum scirrhosum atque corruptum.

§. XXXII.

*Hydro-
pis so-
luta.* Solvit interdum citra artem solius naturæ beneficio hydrops, dum aqua sibi viam & exitum per pedes pandit, veletiam per ruptum umbilicum aut alibi apertum abdomen. Ab HIPPOCRATE in Coac. annotatum legimus, diarrhoeam in hydrope incipiente esse salutarem. Et mihi quoque nota sunt ejusmodi exempla, ubi per longiorem diarrhoeam, effluente pura ex alvo aqua morbus feliciter fuit solutus. Contra vero, si in consummato & inveterato hydrope, visceribusque jam corruptis supervenit diarrhoea, spes in angusto posita est. Denique adhuc notabile est, quod FERNELIUS Patholog. lib. VI. de muliere habet, cui instante menstrua purgatione humor sub abdomine congestus per uterus sponte fuit profusus, ut omnis moles biduo subsideret, & quem proximo mense denuo succreverit, stat tempore totus iterum effluxit.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

*Indica-
tiones
curati-
riae.* **P**rius quam trueulento hydropis morbo manus adhibet auxiliatri-ces medicus, probe debet respicere, an curationem adhuc recipiat, an pla-

ne sit insanabilis. Hoc si animadver-tit, consultum erit, a tali cura se retrahere, quam famam periclitari aut minime hanc ipsam provido prognostico firmare atque munire. Ipsa autem genuina medendi ratio in eo consistit, ut primo aquam, quæ intra cutim & cavitates collecta stagnat, evacuemus, & dein caussam, ob quam accumulata est & adhuc quotidie accumulatur, perite tollamus. Evidem aquarum evacuatio parum admodum ad curationem videtur con-ferre, nisi caussa, cujus effectus est aquarum extravasatio, removetur: illa enim nondum sublata nova subinde moles aquarum brevi tempore re-nascitur. Verum enim vero, quoniam medicamentorum, abigendæ huic caussæ idoneorum vis atque ener-gia ab aquarum copia mirum quantum infringitur & viscera quoque ac partes, ubi stagnant, temporis successu valde laeduntur & corruptiuntur; eo omnino adlaborandum est, ut a nimia col-luvie corpus liberemus.

§. II.

Ad quem scopum obtinendum, ni-
si ipsa natura, vel per largam diar-
rhœam, vel per humoris ex pedibus in eductis
effluxum id præstet, deliberandum in eductis
est, num arte chirurgica per paracen-
tesin commode & sine periculo id fieri
possit. Qua de re egregius exstat locus
apud CELSUM lib. III. cap. 21. qui ita
se habet: Erasistrato, inquit, displi-
cuit per paracentes in eurandi via, quia
frustra aqua emittitur, quæ vitia hepatis
subinde nascitur. Sed prima non
uniuersus visceris hoc vitium est. Nam &
splenæ affectio, & in totius corporis ma-
lo habitu fit: deinde, ut inde cœperit,
tamen aqua nisi emittitur, quæ contra
naturam subsistit, & jecinori, & ce-
teris interioribus partibus nocet. Con-
venitque corpus nihilominus esse curan-
dum. Neque enim sanat emissus hu-
mor, sed medicinæ locum facit, quam
intus inclusus humor impedit. Ac ne
illud quidem in controversiam venit,
quoniam non omnes in hoc morbo sic curare
pos-

possint, sed juvenes robusti, qui vel ex toto carent febre, vel certe satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, qui ex atra bile hic deciderunt, qui ex malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt.

§. III.

De hac operat. Nostra de paracentesi hæc esto sententia: Quum in principio morbi viazione *ju*.scera adhuc sunt bene constituta & exstincta, cessiva aquarum mole totum abdomen turget, ut sæpe fit in leucophlegmatia cum & sine anasarca juncta, nec sine periculo aqua purgante potest educi, tum eam, si modo æger ferre velit, institui posse arbitror, si modo provide & cum certis cautelis, quas B. BRUNNERUS in M. N. C. Dec. II. ann. VIII. tradidit, administretur. Hic enim clarissimi nominis Medicus loc. cit. ad putredinem seri in abdomine contenti avertendam, quæ ab aere admisso post paracentesin facile contingit, injectionem tincturæ ex myrra & aloë cum spiritu vini camphorato suaderet. Nec est, inquit, quod hanc reformidemus in abdomine: temperatur enim aqua intus contenta, tollerant hanc tendines atque nervi, nam in cane spiritum terebinthinae, ardentiorem adhuc, intestinis inflammatis felici cum successu adhibui. Nec dubito, quin, si ulla arte aut ingenio hæc lymphæ fermentatio in abdomine & inflammatione impediri posset, paracentesis in majorem dignitatem adsereretur, eaque præstari posset, quæ aliis impossibilia visa fuerunt. Exanilita enim abdominis palude, vasa lymphatica vel rupta, vel exesa facilius persanrentur. In hydrope peritonæi sine omni periculo administratur, & fere absolute necessaria est hæc operatio. In ascite etiam desperato & incurabili eandem non ad curationem, sed ad suffocationis periculum abigendum, ut æger in vita adhuc conservetur, institutam novi.

§. IV.

At vero, ubi in anasarca vel leuco-Turgans phlegmata copia aquarum per medicamenta cum euphoria est educenda, id omnium maxime per purgantia paullo fortiora, in principio morbi, sufficien̄t dosi & debito cum regimine exhibita debet præstari. Dispiciamus igitur, quænam hoc fine medicis usui hactenus fuerint. Primo autem loco occurrit elaterium, quod a veteribus æque ac recentioribus, ad educendas aquas, mirifice laudatur. Ita DIO-SCORIDES lib. IV. c. 151. de eodem tale fert judicium: *elaterium confert hydropicis, extrahendo aquositatem mirabiliter sine noctumento, & non est stomacho nocivum.* Cui adsentitur AVICENNA, CELSUS, Alexander MASSARIAS & postea quoque Jacobus BONTIUS, HERCULES SAXON, Joannes HEURNIUS, Gabriel FALLOPIUS de medicinal. aquis pag. 55. REISNERUS obser. medie. pag. 167. & HENRICUS ab HEER, qui invicem hoc remedii genus mirifice extollunt. Ex Anglis pariter LISTERUS & SYDENHAM in tractat. de hydrope idem omnibus aliis purgantibus longe præferunt & hic ita scribit: *elaterium, sive sacula cucumeris agrestis potenter, in permodica quantitate, vires suas exserit in conturbanda alvo & facibus cum serosis & aquosis humoribus copiose egerendis.* Post elaterium guttæ seu de Peru ab uno circiter seculo, si ad aquam ejiciendam ad scrupulum dimidium, vel grana XII. propinetur, valde coepit celebrari. Extractum esula maxime estimatur a RULANDO & succus iridis nostratis, nec non corticis medii sambuci inter polychresta & magnæ efficacij hydragoga non modo a medicis, sed etiam a vulgo cura laude refertur.

§. V.

Quod ad ipsam operationem horum medicamentorum attinet, sciendum operandum est, quod acri, volatili caustico principio, nervosas ventriculi partes vel-

lican-

licando, agant & hinc vomitum in sanis vehementer cieant. In hydropicis autem æque ac emetica ex antimo-
nio parata per alvum magis quam per vomitum operantur. forte quod ner-
vosæ ventriculi & intestinorum tunicæ
ab aqua stagnante nimis sunt flaccidæ
& relaxatæ. Unde simul luculenter
adparet, ad ingentem aquarum mo-
lem ex univerlo corpore per alvum
exturbandam leniora & mitiora pro-
fus non sufficere, sed talia oranino re-
quiri, quæ subtili quodam & pene-
trante sale suo nervosarum & muscu-
losarum partium systema, maxime-
que ventriculum & intestina stimulan-
do insignem aquæ copiam eliminandi
vim possident; quæ inter purgantia
modo allata ipsaque vomitoria primas
tenent, si pro diversitate naturæ cor-
poris, plus minus sensibilis, conve-
nienti dosi exhibentur. Nam certe
non pauca dantur exempla eorum,
qui post triginta & plures dejectiones
excessiva hydragogi dosi integre con-
valuerunt.

§. VI.

Formulas purgantibus. Possunt vero ex fortioribus hisce
purgantibus, vel etiam emeticis va-
riæ concinnari formulæ, quibus ipse
haetenus in praxi usus sum insigni cum
fructu e.g. Rec. elaterii, extract. hel-
lebori nigri, absynthii, cent. min.
mercurii dulc. singulorum drachmam
unam, extract. croci grana duodecim.
M. fiant cum balsamo Peruv. pilulae ex
drachma dimidia no. XX. mane su-
mendæ. Veleriam infusum potest pa-
rari purgans in hunc modum: Rec.
corticis medii sambuci, rad. bryon.
iridis nostrat. fibrar. hellebor. nigri rha-
barb. Alexandr. rad. gentian. rubræ,
vincetox. levisticæ, cortic. aurantio-
rum recent. ana unciam semis, sum-
mitat. centaur. minor. pugill. quatuor,
caryophyll. drachmas tres, tartari tar-
tarisati unciam unam. Fiant species
cum duabus mensuris vini infundendæ
& ad sextam partem pro dosi bis in se-
ptimana bibendæ.

§. VII.

Præter purgantia ore adsumta, clysmata quoque ad educandas aquas mirabilem obtinent efficaciam, quæ ex radice asari, cort. medio sambuci, rad. irid. nostr. summat. centaurii min. flor. sambuci, seminibus IV. carminativis cum vino & aqua, addito oleo chamomill. vulgaris & drachmis duabus salis Epsloniensis possunt parari. Neque in omnibus hydropicis omni-
que tempore opus est, drafficis reme-
diis aquarum evacuationem moliri,
sed mitiora interdum ac leniora in ma-
jori paullo dosi exhibere consultum
est, quæ eundem saepe longeque tutio-
rem præstant effectum. Etenim non
semel sed aliquoties tribus uncis man-
na electæ cum duabus foliis. sennæ &
cremoris tartari drachmis in aqua fon-
tana lepiter solutis & intra dimidium
horæ epotis, plus quam decem libras
aquarum cum euphoria exturbatas vi-
di. Pulvis quoque mechoacanæ albæ
ad drachmam unam vel duas cum vel
sine tremore tartari inter securiora hy-
dragoga jure debet referri. Neque mi-
norem promeretur laudem rhabarba-
rum sive in substantia datum, sive in
essentiam cum terra foliata tartari re-
daatum. Quam in rem notabilis est
historia, quam ex observatione MON-
TANI Adolphus OTTO in epistola
SCHULZII posteritati reliquit. Me-
minit scilicet viri cuiusdam, qui quuma
ventre, pedibus totoque corpore in-
sperate intumuisset, rhabarbari con-
tinuo usu a drachmis ad uncias usque,
subducto sero plene convaluit.

§. VIII.

Post sufficientem per alvum evaca-
tionem diuretica, quæ simul virtutē
attenuante & viscidos humores dissol-
vente gaudente, in usum sunt vocan-
da. Splendent hac virtute præcipue
salia aquarum medicinalium, Egra-
narum, Carolinarum & Sedlicentium
in Bohemia, quæ in liberaliori paullo
dosi oblata non modo egregiam aquas
stagnantes evauantem, sed simul
etiam aperientem & diureticam possi-
dent

dent efficaciam: Quo nomine pariter laudanda veniunt salia neutra, ut tartarus tartarisatus & vitriolatus, terra soliata tartari, sal polychrestum, nitrum antimoniatum, solutio oculi canceris quæ cum tremore tartari fit, sal succini volatile cum oleo tartari per deliquium in sal medium redactum; ante omnia vero nitrum ipsum purificatum, vel quod majoris adhuc efficaciaz est, nitrum ex miscela spiritus nitri & olei tartari per deliquium regeneratum; quæ omnia ob eximiam, qua possent, in obstructionibus viscerum dissolvendis & tubulis rerum urinosis referandis virtutem insigniter merentur commendari.

§. IX.

Quæcumque amplius proficiuntur diureti- ca? Præter hæc vero in diuresi movenda non minorem pollicentur fructum familia herbarum per incinerationem parata, ut absynthii, cardui benedicti, vel solum sal tartari probe calcinatum, liquor nitri fixi atque silicum Glauberi &c. quæ paullo largiori dosi sumta in tumoribus cœdematosis expugnandis mirabilem sèpius effectum præstabilitissime novi. Spectant hoc quoque liquor nitri dulcis, liquor noster anodynus mineralis, clystus antimoni, spiritus tartari & tinctura antimoni acris, quæ liquida medicamina vel sola, vel etiam cum dictis salibus pro circumstantiarum ratione mixta dari possunt utilissime.

§. X.

Quotum vehiculo sumendis sumenda. Plurimum tamen refert, quo quis utatur in dictis remediis adsumendis. Hinc salia laudata neutra longe præstantiorem edunt effectum, si magis cum aqua petroselini, fragorum, vel etiam vino Rhenano, quam cum alio potus genere sumuntur. Ego quoque non sine insigni ægrotantium levamine decoctum ex radicibus quinque aperientibus, rad. eryngii, onydis, semine dauci, sellerie, bacis juniperi & alkekengi prescribere hactenus consuevi, quod simul potu ordinario potuit substitui.

§. XI.

Sudorifera ubi corpus totum colluvie aquarum scatet & subcutaneum *Ursus ferens doriferum resonum.* emunctorum clausum & constrictum est, parum merentur laudis. Nam hydropici difficulter ad sudorem disponuntur; & si regime extero nimis calido vel volatilibus sudoriferis cogantur, metus est, ne inflammatio cum febre, vel etiam metastasis seri ad ipsum cor vel cerebrum, ut suffocatione aut adfectus soporosus & apoplecticus sequatur, procuretur: quæ observatio circa balnea etiam laconica, quæ cum spiritu vini fiunt, probe meretur attendi. Quid si vero ab ingenti humorum copia tam per purgantia, quam dieretica corpus fuerit liberatum ipsaque natura ad liberiorem transpirationem ac sudorem vergit, tum quidem non validiora, sed temperiora diaphoretica, qualia sunt mixtura simplex, liquor mineralis cum refracta dosi spiritus bezoard. Balsi mixtus, tinctura antimoni selector, vel pulveres ex cerussa antimoni, sale cardui bened. nitro puris. sive per se, sive cum rob. lambuci vel eboli mixti laudabili effectu minime destituuntur, maxime si horum usum cum prudentia crebrius repetamus.

§. XII.

Laudatis itaque externis evacuantibus ad auspicaciorem effectum consequendum externa debent conjungi, quæ in nostro adfectu, si unquam in alio operam præstant laudatissimam. Etenim quam in habitu corporis extimo sub cute, ubi copiosi & effetti humores subsistunt, partiumque solidarum tonum & robur prorsus enervant, mali fomes latitet, ipsa sana dictitat ratio, extrinsecus sub varia forma admota remedia, quæ vi sua roborante, balsamica & resolvente humores stagnantes non modo attenuant &c, ut in vasorum poros recipi possint, aptos reddunt, sed & putredini resistunt, tonumque & robur relaxatis partibus restituunt, ad hosce humores per congrua emunctoria e corpore *Romæ dolorum exter- ruptum;*

exterminandos plurimum omnino conferre. Et si meam adponere experientiam licet, ego accommodatis ejusmodi subsidiis externis effectum saepe longe praesentiorem facilioremque, quam ab ipsis internis vidi consequutum. Quæ vero huic scopo & indicationi egregie inserviunt, sunt: radices levisticæ, iridis, squillæ, ciclaminis, folia ebuli, herba scordii, cardui bened. absynthii, flores utriusque chamomillæ, sambuci, baccae lauri, juniperi, semina carvi, cumini &c. ex quibus facculi vel epithemata possunt parari & ex vino, aceto viini & aqua calcis vivæ cocta abdomini, pedibus, & scroto calice imponi, si que refrixerint, reiterari. Atque talismodi epithemata aliis sub alia forma exhibitis externis, ut emplastris & unguentis, me quidem arbitro, longe multumque sunt præferenda.

§. XIII.

*Robor. &
sia, que
ad rect.
divam
p. ca-
vendam
co. fe-
runt.*

Equidem recensita jam remedia tam interna quam externa ad subigendum rebellem hydropis morbum omnino sunt præstantissima; attamen sola omne curationis negotium nondum absolvunt, sed ad causas hydropis radicitus tollendas adhuc ea requiruntur præsidia, quæ, ne aqua facile regeneretur, & recidiva fiat, prohibent. Hisce itaque generosis evacuantibus subjungere oportet roborantia; quandoquidem & viscerum, & vasorum partiumque fibrosarum vis tonica systaltica dejecta principalis circuitus sanguinis & lymphæ per vasa impediti & hinc stagnationis causa & ratio existit. Quare hæc remedia, si ulla alia, ad graves ejusmodi passiones earumque recidivas avertendas virtute pollent eximia. Quo nomine commendamus ex materia medica radices pimpinellæ, vincetoxici, ari, Zedoar. extract. absynth. gentian. rubr. cardui bened. scordii, centaur. min. cort. cascarillæ, capparum, myrrham, succinum, cinnamomum, quando ex hisce cum menstruo tenui & vino Hungarico essentia vel elixirium para-

tur, quod pro re nata etiam cum li- quore martiali, ut tinctura mart. Zwolfferi potest misceri & continuato usu convenientique dosi propinari; utpote hoc medicamentum non modo ventriculum & intestina, sed & hepar, pulmones & lien, quæ tum chy- lificationi tum sanguificationi inserviunt, corroborat, atque salutares excretiones, si impeditæ, vel retardatae fuerint, promovet utilissime.

CAUTELÆ.

§. I.

*Num
venæsei
tio in
hydropis
proficit.*

Questio est non minoris momen- ti, num venæsectione etiam in tumoribus hydropicis locum ha- bere possit? Dubium videtur, quia corpus plus ingenti seri, quam sanguinis copia est repletum, partesque lolidae omni vigore ac robore sunt destitu- ta, atque præterea apud auctores, præsertim recentiores, vix legitur, venæsectionem in ipsa curatione pro- fuisse; nihilotamen minus apud anti- quissimos medicinæ parentes, ipsumque HIPPOCRATEM multa exstant loca, ubi summa cum laude mentio fit venæsectionis in cura hydropis ad- ministrandæ. Ita HIPPOCRATES de diæta acutar. hæc habet: *Si hydro- picus difficulter spiraverit, & tempus vernum fuerit, & simul etas viguerit & virium robur adsit, de brachio san- guinem detrahere oportet.* Et eruditissimus Jacob SPONIUS valde notabili- lem in aphorismis novis Sect. V. §. 87. observationem subjungit: *Vidimus, inquit, hydropem viginti curatum ve- naectionibus, qui ab exhibitis hydra- gogis & diureticis, cuiusvis generis, magis ac magis intumuerat.* Et ALEXANDER TRALLIANUS pluri- bus verbis de ea ita differit: *hydropem anaæsarea per venæsectionem curare quandoque opus est. Si jecur non solum, sed & lien ac ventriculus tumorem ad duritatem habeat, confidenter educ per exiguae missiones sanguinem, tantoque*

id magis, si vires non prohibeant, & copia sanguinis in venis manifesta, & agrotus in flore etatis constitutus sit, nec tempus anni magnum frigus afferat. Paulus vero AEGINETA lib. III. cap. 48. de curatione hydropis agens paullo clarius, sed cum data conditio-
ne id confirmat, dum ait: *curantes initium factimus in anasarca ab evacua-
tione per venæsectionem, maxime si ob
hemorrhoidum, aut menstrua purgatio-
nis suppressionem conflata fuerit affe-
ctio.* Atque nos etiam, multiplici
edocti experientia, in hisce omnino
consensum addimus: in leucophleg-
matia & anasarca, si status adsit ple-
thoraicus, atque ab asthmate sanguineo
haec mala præcipuum duxerint
originem, venæsectionem magnum
ad curationem momentum afferre.
Negamus vero, in ascite hydrope &
tympanite id sine periculo fieri posse,
dum etiam ipse TRALLIANUS in
loco allegato sub finem addit, phlebotomiam in ascite & tympanitide peni-
tus esse excludendam.

§. II.

*Cantela
circ
purgan
tia.* Quemadmodum in leucophlegma-
tia & anasarca, ad colluviem seri co-
piosi exturbandam, validiore medici-
na purgante, majori etiam sub dosi
administrata interdum uti necesse est;
ita in ascite nihil drasticis periculosius
est, utpote quibus, quod per crebri-
rem experientiam mihi compertum
est, defubito inflammatio intestino-
rum sphacelosa & mortisera, quam
anatome detexit, excitatur. Id vero
circa fortiorum purgantium usum se-
rio monendum existimo, quod in prin-
cipio quidem locum inveniant, dum
vires adhuc constant, sed quod non
crebrius, & nisi interjectis sex septem-
ve diebus sint repetenda, atque interea
vires medicamentis & cibis, laudabi-
lem succum præbentibus roborandæ.
Præstat tamen a drasticis illis remediis
ut gummi-guttæ, elaterio, colocyn-
thide, helleboro, &c. quæ colliqua-
tivam quandam viribusque adversam
facultatem, quam natura debilis &

sensibilior stomachus ferre minus po-
test, recondunt, interdum plane ab-
stinere & potius in eorum locum pur-
gantia cum emeticis lenioribus mixta
propinare, quæ vel in forma pilulari,
vel infusi exhibita similem laudabi-
lem, longeque tutiorem exserunt ef-
fectum.

§. III.

Quum scorbutica humorum dyscras-
ia adfecti perfacile in tumorem inci-
dant hydropticum, tum medicamen-
tis, quæ etiam specifica adversus hy-
dropem virtute prædicta esse credun-
tur, sic dicta antiscorbutica, ut radix
armoraceæ, raphani rusticani, na-
sturtii aquatichi & hortensis, nec non
cochlearia succus multum sunt præpo-
nenda, maxime quando cum sero la-
etis, vel decocto betæ rubræ, libera-
liori paullo & repetita dosi adsuman-
tur. Vidi enim simplicibus hisce re-
mediis saepissime plebeios a tumoribus
hydropticis integre sanatos, mirifica
quotidie per vias urinarias copiosi seri-
educta quantitate.

§. IV.

Pulvis squillæ & ejus acetum a ve-
teribus, GALENO, CÆLIO AU-
RELIANO, CELSO & aliis maximis
semper in hoc morbo fuit æstimatum,
præsertim ubi asthma ad suffocationis
fere metum concurrit. Et secundum
meam quoque experientiam bona te-
stari fide possum, perplures misere ad-
flictos inopinatum inde & vix speran-
dum accepisse levamen. Namquæ haec
radix sale suo penetrante acerrimo in-
structa stomacho & aliarum nervosa-
rum partium tunicis sese insinuans
motum ipsis ac vigorem, stimulando,
restituit, humorumque circulum re-
tardatum insigniter adjuvat. Quod
dosin attinet, potest ad grana sex vel
octo cum eadem quantitate radicis
pimpinellæ vel ari misceri & additis
aliquot nitri granis, cum vehiculo
calido exhiberi.

§. V.

In tympanitide magnus & summe
proficius est usus clysterum, ex spe-
ciebus pantidis

ciebus carminativis confectionis. Observavimus quoque in hac passione pilulas purgantes cum anodynis maritatas, ut sunt massa pilularum Starckii, Wildegansii & quæ ex extracto hellebori nigri, mercurio dulci, sagapeno, opponace, afa foetida &c. concinnatæ sunt, insignem attulisse fructum. Præter hæc vero exterius in hoc adfatu inunctio totius ventris cum oleo philosophorum, vel oleo camphoræ cum oleo amygdalarum dolcum parato instituta, & per aliquot dies continuata summo solet esse auxilio.

§. VI.

*Ajstites de/po-
ratus quomo-
do for-
standus.* In malo ascinitico, ubi visceræ valde sunt affecta & spes sanitatis recuperandi pertenuis ostenditur, lenioribus laxantibus & roborantibus unice agendum est. Qui usui inserviunt pilulae polychrestæ ad mentem Beccheri paratae, & interposita semper salis aperitivi dosi propinatae. Qua methodo, nisi res omnino conclamata est, miliari vel curantur, vel certe diutius conservantur.

§. VII.

*Cautela stre-
si-
fendus.
hemo-
phlegm-* Incidit interdum, ut hydrope hæmorrhoides, vel per nares vel etiam feminæ per menses ingentem sanguinis profusionem, non sine virium notabili decremento & periculo patiantur; quo casu nihil absurdius & ineptius est, quam narcoticis, ut massa pilularum de cynoglossa, vel aliis stypticis ad eam comprimendam uti. Nam augentur inde viscerum obstrunctiones, quæ has fluxiones immodicas progignunt, & virium major sit defecatio.

§. VIII.

*Curatio mali a-
fia sal-
vatione uti.* Oritur interdum post perperam institutam salivationem hydrope labes, atque tum decoctis, quæ lignum guajacum, sassafras, radicem lapathi acuti, lignum quernum, argentum vivum & antimoniun, in petia ligatum ingrediuntur, debet expugnari.

§. IX.

Quando scrotum vel ex hydrocele *Cautela* vel ex delapsu aquarum ex abdomine *strea* magna humorum copia turget, adeo *tumors* ut valde situm in lecto & movendi posse sit, tentiam impedit, paracentesis multi commandant, qua tamen parum juvat, ut potius nonnunquam plus incommodi creet nec sine periculo supervenientis sphaceli suscipiat. Et quia humor intra membranas testicula fatis viscidus hæret, ejus effluxus plerumque parcior esse solet. Præstat in tali casu externis cataplasmatibus discutientibus, quorum catalogum supra recensuimus, inhærere & curam moliri.

§. X.

Quando ipsa natura, optima mediæ *Pedem* catrix, sponte suas sibi quærens vias *alera* cutis poros vel in pede, vel in abdo- *quomo-* mine aperit, per quos non sine nota- *do tre-* bili tumoris subsidentia dies noctesque *banda* multomi seri profunditur; cavendum maximopere est, ne corruptio accedat, quam per epithemata, quæ superiore loco præscripsimus, frequenter adhibita debemus prohibere. Interne vero tum temporis cum elixirii roborantibus balsamicis natura juanda, corruptio internarum partium avertenda, virtusque conservandæ sunt.

§. XI.

HIPPOCRATES lib. VI. epidem. *Metho-* *banc curam hydropeis proponit: Hy-* *drope laborantem convenit exercitatio-* *randi ab Hippo-* *nibus defatigari, sudare, panem ede-* *potuisse re, parum bibere, vino albo, nec redi-* *multo sonno uti, & purgantia adsumere,* *quibus aqua & phlegma vacue-* *tur. Utilissima hæc curandi metho-* *dus potissimum de prima hydropeis* *specie, leucophlegmatia, intelligenda* *venit, in quam perfacile ii, qui* *morbos longos & immodicas haemor-* *rhagias perpessi corpus nimio cibo vel* *potu replet, incurunt. Hisce com-* *mendat exercitia, quibus corpus evadit* *magis transpirabile, deinde sudorem,* *quo pars copiosi seri avolat, tum pan-* *qui non serofum sed laudabilem chylum* *gignit:*

ginit : prodest etiam potus abstinentia, tum quia *crescit indulgens sibi di-*
rūs hydrops, nec sitim pellit, nisi caufsa morbi fugerit venis, tum quia aucto per sitim calore superflua humiditates dissipantur. Neque infrequentes sunt historie hydropicorum, qui sola potus abstinentia per annum integrum convaluere omnino. Vinum album urinas movet, somnus humiditates auget; hydragoga vero medicamenta sacra hujus morbi anchora sunt, quia nimium humidum auferunt.

§. XII.

Caract. Quum ex flatulentia primarum via-
mali a rum, præsertim in hypochondriacis,
flatulen-tumores cœdematosi, qui initium hy-
dropis constituunt, facile gignantur, expedit tunc non purgantibus, sed enematibus sedulo uti, quæ ex speciebus carminativis & roborantibus, ut bacis lauri, juniperi, herba rutæ, majoranæ, foliis ebuli, flor.chamomill. vulg. & rom. & seminibus quatuor carminativis, ex aqua vel lacte coctis cum decenti olei anethi & chamomill. cocti quantitate optime conficiuntur. Eadem methodo feliciter sœpe usi sumus, ubi ex retropulsa, vel intus retenta materia podagræ spasmi & flatus in intestinis initium tumoris hydropici machinantur.

§. XIII.

Caract. Sequior sexus longe fere magis quam virilis tumoribus hydropicis est obnoxius, si deficit vel suppressa ad tempus remanet, vel ante quinquagesimum annum plane cessat menstrua per uterum purgatio: quod iis potissimum evenit feminis, quæ otio, somno & vitæ sedentariæ nimium indulgent, vel sollicitudine & mœstu diutius afficiuntur. Juvat tali in casu tum ad præservationem, tum ad curationem sanguinem mittere, corpus movere, peregrinari & locum mutare. Quæ si nihil proficiunt, aquis mineralibus tam interne quam externe uti convenit, quæ etiam in suppressis hæmorrhoidibus in viris, ad eas revocandas, magnō sunt præsidio & auxilio.

Tom. IV. Pars IV.

§. XIV.

Quod ad curationem cœdematum in pedibus attinet, ea provide est adoranda. Per multa enim eaque tristia cum se novimus exempla, quæ eam perverso ^{Caract.} pedibus modo institutam pessime cessisse testantur. Nam si adstringentibus, sive cataplasmatis tractantur ejusmodi tumores, detumescunt quidem pedes, sed intus serosus latex per metastasis repellitur & ad pulmones delatus ^{ca-} tarrum efficit suffocativum funestum. Longe securius est pannis calidis, vel saccis arena aut surfuribus calidis repletis eos sovare, ut in perpetua serventur transpiratione. Neque inutile est, fascia latori moderate adstricta partes tumentes convolvere, ita ut ab extremo partis incipiatur & usque ad tumoris finem inducatur. Sunt nonnulli, qui scarificationem, vel etiam profundorem incisionem cum CELSO suadent, qui eam his verbis præcipit: *incidentum quoque super talum, quatuor fere digitis, ex parte interioriore est: quo per aliquot dies frequens humor feratur: atque ipsos tumores incidere altis plagis oportet.* At vero, ne quidem judice, tale quid provide & prævia prudenti deliberatione debet fieri; nunquam vero in ascire, vel scorbutica humorum dyscrasia labrantibus moliri. Facile enim supervenit sphacelus & propter nimis iaxam carnem & aquosum astluxum difficulter ejusmodi vulnera consolidantur.

§. XV.

Ultimo loco, ut de eventu mali certiores fiamus, juvabit omnino teneare auream regulam CELSI, qua eventu Regula Celsi de medicina comprehenditur: *Commodum est, lino quotidie ventrem metiri, eo, quæ, qua comprehendit alvum, notam imponere: postero quoque die videre, plenus corpus sit, an extenuetur. Id enim quod extenuatur, medicinam sentit. Neque alienum est, metiri & positionem ejus, & urinam. Nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spe est.*

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Hydropis. **F**emina triginta annorum, sanguinosa cum lucculento prædicta, quæ semper larynx & syphona cum iunctis, enormi hemorrhagia & multis polyanatus positis concrementis ejectis perspissa est abortus; imminenti quandam mensium fluxu vehementi corripitur terror; unde ille mox suppressus varia attulit incommoda. Siquidem nunc optimam femina de ingenti corporis lassitudine, inappetentia, præcordiorum anxietate cum languida pulsuum celeritate pedumque intumescentia cœpit conqueri. Hisdemum malis jungebatur valde difficilis & anhelosa respiratio; ipse tumor ad femora usque ipsumque abdomen, quod tactu durum & tensum erat, adscendebat, cibi adsumpti in statu resoluti multas creabant anxietates, sitis intendebatur, &c, increscente spirandi difficultate, ægra in lecto erecta sedere & ob suffocationis metum liberari captare ausam per fenestras debebat. Varia hinc inde remedia tam emmenagoga, quam purgantia & diuretica nihil ferebant opis. Tandem vero ex pedibus sponte aperitis quotidie larga aquæ effluuebat copia, unde abdominis tumor mirum subinde decrescebat. Ego hinc ad putredinem arcendam pedibus exterius applicare jussi faceculos semine milii, anethi, carvi, baccis lauri & juniperi, herba absinthii, scordii, flor. chamomill. repletos & in vino rubro coctos. Interne singulis IV. diebus obtuli decoctum mannatum cum tartaro emetico acuatum sub tali formula: Rec. Mann. el. uncias duas, aquæ flor. acaciæ uncias V. terræ foliat. tartari drachmam unam. Coque & solve leni calore. Adde tartari emetici grana tria solut. ol. de cedro gutt. IV. essentiæ cortic. aurant. gentian. rubræ ana guttas XI. M.

quo medicamento mira aquarum quantitas summa cum euphoria, sine tormentibus & virium prostratione fuit educta. Præterea elixir nostrum balsamicum cum vino Hungarico ter de die sumendum suasi. Et hac ratione post aliquot hebdomades, tumore & duritate successive evanescitibus, appetitio cum viribus rediit, pulsus simul factus est naturalis faciesque redita coloratior. Denique circa illud tempus, quo menses ex utero ferri consueverunt, venam in pede secundam curavi, & en! altero die post ipsi menses prodierant & tam misere afflita femina exoptatissimam recuperavit sanitatem.

EPICRISIS.

Sistit hic casus exemplum hydropsis, qui ex mensium, vel in viris ex hemorrhoidum fluxu cohibito, salvis adhuc & sine induratione, obstructione vel scirrhescientia visceribus, subito solet enasci. Subortus autem a talismodi causis hydrops facilis, quam quidem alias potest sanari, si metuendæ viscerum, ob diurnam humorum extravasatorum stasin, corruptioni aptis occurtere remedii festinamus. Longe autem felicius succedit sanationis negotium, si sponte a natura in pedibus fit apertio. Nam copia humorum extravasatorum sublata relictæ adhuc in corpore aquæ facili negotio a medicamentis digerentibus & evacuantibus vinci possunt & excerni. Ego vero, si mitioribus res peragenda est, ad sufficientem & tutam humorum evacuationem vix convenientius & efficacius reperi medicamentum, quam quod ex majori mannae portione & aliquot tartari emetici granis concinnatur. Dic enim vix potest, quantum hoc remedium educat aquæ quantitatem, sine omni turba & vomitu, qui rarius in hydropticis per emetica solet cieri. Præter hæc notabile in hoc casu occurrit, quod frustra tentetur mensum repente suppressorum revocatio-

catio in his corporibus, quæ a diuturniori animi affectu & nimia humorum vitiolorum stagnatione omne partium robur perdidereunt. Multo magis eo respicere debet medicus, ut prius effectus morbosos removeat, &, viribus quodammodo resumtis ciborumque adeptentia restituta, circa illud tempus, quo menses fluere siveverunt, vel sanguinis missione in pede, vel pilulis balsamicis refracta dosi aloericis & crocatis naturam ad mensum negotium leniter stimulet.

OBSERVATIO II.

Lentio-phlegmatis, a febre quartana maletractata. Militiae praefestus, quinquagenarius, corpore valde robustus, ob variros in victu & potu excessus autumnaliter tempore in febrem incidit quartanam, qua quum per mensem & ultra laboraverat, hujus molestiae pertulit per quatuor dies larga in quantitate decoctum adsumit valde chinatum; unde febris quidem evanuit, sed non multo post, prægressa corporis refrigeratione ciborumque concoctu diffilium intemperantia, pedes cum abdome cœperunt intumescere, vires imminui & respiratio valde difficilis reddi. Ego consultus curam hoc modo institui: Primo sal quoddam aperitivum, quod sal tartari & Carolinarum, nitrumque purificatum habebat, ad drachmas unam in aliquor unciosis aquæ & vini solutum bis de die, ut mane & hora quarta pomeridiana sumendum obtuli. Dein in prandio elixir nostrum viscerale, & ante decubitum undecim pilulas balsamicas deglutientes dedi. Denique pro potu ordinario decoctum sarsaparill, cum tertia vini Mosellani parte remixtum præscripsi, tam felici eventu, ut intra mensis spatium integre miser convaluerit.

EPICRISIS.

A nullo morbo præcedente crebrius hydrops nascitur, quam ex febre quartan-

tana perperam curata: quod suo jam tempore GALENUS lib. III. de locis affect. & disertissimus CELSUS latulenter prodiderunt. Etenim, quem sedes tam quartana, tuus hydrope in ipso hepate, at jam veterum tulit opinio, præcipue debet collocari, evidenter adparet, quando haec febris nimis præcipitanter & antequam obstructio in hepatæ vel per ipsam febrem, que optimæ est medicina, vel per congrua remedia naturam adjuvantia, satis expedita fuit, collibetur, persicile reciditam febris, aut alium longe graviorem morbum, qualis hydrops est, succedere. Idque eo magis evenit, si forte ob nimiam ciborum adeptentiam, corpore adhuc debili, multi crudi spissisque generantur humores, qui ad hepatis infarctum denuo augendum mirum quantum conserunt. Evidem in longinquo artis exercitio complores ejusmodi casus, ubi ex quartana imprudenter suppressa vel novi insultus febriles vel anasarca hydrops prodierunt, adnotavi, sed nulla alia quam supra proposita methodo, que unice ad obstrunctiones viscerum tollendas & excretiones restituendas directa est, curam institui & benedicente Numine feliciter perfeci.

OBSERVATIO III.

Femina generosa, triginta annos *Lentio-phlegmata, ab abortu inducta.* nata, succulenti & formosi habitus, tertio mense gravida abortiendo increbilem sanguinis in magna frusta coagulati, quem molam dicunt obstetrics, ejecit copiam; unde mirum in modum debilitata, vires quidem ex parte refumst, sed quum crescente siti nimia erat in potu, exactis binis mensibus ad faciem usque a pedibus valde intumuit, anxie spiravit & de summa totius corporis gravitate loti que retentione conquesta fuit. Consultuit itaque medicum, qui grana decem elaterii in forma pilularum præscripti, unde mira colluviae serofte per quindecim fere sedes educta fuit

quantitas cum insigni tumoris decremento. Interpositis postea per sex cicerter dies medicamentis stomachicis, quæ ex extracto absynthii & cent. minor, spiritu nitri dulci, tartari, & essentia cortic, aurant, & cascarillæ constabant, eadem dosi pristinum subiungebatur purgans; quo iterum magna seri exturbabatur copia. Tum vero ter singulis diebus roborebili ad unciam dimidiā fuit oblatum, & pro potu ordinario vinum Mosellatum cum fontibus Donnsteinensibus adsumtum, & sic brevi post urina secedebat liberius, totumque corpus, quod antea fæcum erat, leni suffundebatur madore: ita ut intra sex hebdomandum cursus agra pristinæ redderetur integrati.

EPICRISIS.

A nimiis hæmorrhagiis per caussam tam internam quam externam inductis, vel a sola crebriori sanguinis & venæ secca detractione tumorem concitari hydropicum, plane non novum, sed in experientia satis obvium est. Sanguine enim notabiliter imminuto vasa minima tam secretoria quam excretoria collabuntur, & nec utiles ad motum sustinendum humores, ut cerebri fluidum, secernuntur, nec inutiles per organa excretoria rite separantur. Unde residua sanguinis portio non modo crassi sua valde immutatur, sed & in motu ac cursu suo impeditur; ut inde perfacile seri contingat secessio. Quod vero si incidit, non statim hydrope emergit anasarca & ascites, sed in principio solum leucophlegmatia corpus sollet occupare, quæ ex abundantia seri inter panniculum adiposum, ob motuum vitalium imbecillitatem, stragnante suam dicit originem. Et hæc hydropis species ex facilis potest curari, si modo medicamentis, sale quodam subtili volatili vim suam exferentibus mature succurramus. Hæc quippe dum non modo in tunicas vasorum motrices agendo, tonum ac robur ipsi resti-

tuunt, sed & glandulosas intestinorum partes stimulando, stagnantis seri coluviem per alvum ejiciunt utilissime. Qua virtute præ cæteris pollet elaterium, a medico cum bonis ægrotæ rebus oblatum; in cuius laudes, jam supra satis expositas, redire nolo.

OBSERVATIO IV.

Illustris foemina XL. annorum, suc-
Femina
ci sanguinisque plena, & semper lar.
so - hy-
giore mensium fluxum experta,
quinquennio abhinc autumno incidit
in dysenteriam, tunc temporis epidemicæ
grassantem, sub qua cum fævis
ventris tormentibus cruentas habuit de-
jectiones. Per mensem & ultra hoc
malο conflicta convalluit quidem, sed
abhinc vires recipere vix potuit; appre-
tentia ciborum erat fere nulla, potu-
lentorum nimia, abdomen flatibus
valde turgidum, alvus, quæ ante rite
respondebat, nunc constrictior, cum
languida pulsuum celeritate. Inter
hæc quum adhuc id haberet infortunii,
ut ob inopinatum trium filiorum obi-
tum magno adficeretur mœrore, acci-
dit, ut incremente virium defectione
& coloris pallidi in lividum conversio-
ne, universum corpus, maximeque
pedes & hypogastrica regio valde in-
tumesceret. Ad hunc tumorem acce-
debant summa spirandi difficultas &
ad leviores motum cordis palpitationes,
mensium copiosus & aquosus flu-
xus, urinæque tenuis secessio. Con-
sulti sunt plures medici, qui per acrio-
ra purgantia, martialia & calidioga-
diuretica curationem tentarunt, sed
irrita omni opera ægram hydrope pe-
ctoris lethali laborantem existimantes
derelictam habuerunt. Tandem & ego
consultus hanc iniī methodum. Primo
singulis diebus ante decubitum decem
pilularum balsamicarum & alternis
diebus mane drachmam unam salis di-
gestivi, quod terra foliat. tartari, oculor. cancr. arcani duplicati æquale pon-
dus cum dimidia nitri purificati por-
tione habebat, ex aqua & vino sumere
&

& infusum theiforme superbibere jussi. His ita per decem dies adhibitis radicem mechoacan.alb. ad drachm. unam cum rad. ipecacuanæ granis XV. & nitri purificat. gran.X. subjunxi ; quo medicamine mira aquosí liquoris, sanguine parum tincti quantitas per uterum excreta & alvus simul ad decem sedes stimulata fuit. Elapsis quatuordecim diebus idem remedium iteravi, interponendo elixirium meum viscera. le balsamicum, bis de die ex aqua foeniculi & meliss. citratae vinos. capiendum. Et sic convalescentia spes adparabat exoptatissima ; siquidem abdomen non modo detumescebat, sed & respiratio erat liberior, facies vividior & appetitus cum viribus vegetior; unde ego medicamentis balsamicis continuandum ratus, elixirium præscripsi ex tintura tartari, effent. gentian. rubræ, succini, & additis aliquot olei carminativi guttulis compositum; circa instans vero mensium tempus pilulas nostras balsamicas dedi, quibus ingens aquæ & viscidii humoris copia fuit expurgata. Adpropinquante vere loco acidularum & thermarum per mensis spatium in villa rurali mane adsumta fuit tintura martis pomata, defuper bibendo mensuram fere unam brodii medicinalis, in quo herba nasturtii aquat. rad. asparagi, foeniculi, petroselini, apii, addita tremoris tartari portione, erant decocta. Absoluta hac cura elixirium nostrum balsamicum & interdum ex rhabarbaro & passul's cum cremore tartari laxans ægra adhibuit, & sic intra biennium restituta jam integerrime vivit.

E P I C R I S I S.

Varia sunt in præfata morbi historia, quæ probe merentur adnotari, quorum potissima sunt :

1.) quod malum dysentericum, nisi finito morbo ionus & motus ventriculi ac intestinorum peristalticus convenienti medicina roboretur, perfacile graviorem, ut hypochondriacum &

cachectico-hydropicum excitare adfertum possit. Tono quippe & robore harum partium destructo, non modo ciborum digestio & chyli boni generatio, sed & sordium per alvum excernendarum secessio multum vacillat, adeoque ad spasmos & flatulentias, gravium symptomatum genetrices, intestinorum canalis disponitur.

2.) quod hydropicum malum longe facilius in feminis ob uterum & mensium negotium, quam in nobiliori sexu producatur. Nam propter difficilior. rem sanguinis per uteri venas, in semet ipsas valde implicatas regressum non modo vasa uterina sanguine facile infarcintur multumque serositatis ibi deponitur, sed & in toto corpore humorum circuitus languescit & retardatur, adeoque ad cachexiam hydropticam fit transitus. Qui tali vero fundamento nititur hydrops curato est facilior, quam ex hepatis vitio enatus. Longe enim expeditius est, obstructa uteri vasa referare, sanguinisque impeditum motum promovere, & collectas ibi serositates expurgare, quam hepar obstructum & induratum emollire, & sanguinis per ejus vasa circumatum in ordinem redigeré. Cujus rei luculento esse testimonio potest felicissima collectæ humiditatis in nostra ægrotia per uterum evacuatio, a medicamentis digestivis leniterque stimulantibus adjuta, quam ego non semel sed sepius in feminis cachecticis & leucoplegmatia laborantibus observandi occasionem habui.

3.) probe notandus est saluberrimus tintura martis pomata cum brodio carnis medicinali usus. In genere tamen notari velim, martialia in forma liquida & temperato acidulo menstruo parata majori cachecticis feminis quam viris esse præsidio. Hæ enim ob laxiorem & spongiosorem, quo præ nobiliori sexu gaudent, texturam ejusmodi roborans & subadstringens medicamentum optime ferunt.

OBSERVATIO V.

Hydrops acutes a frigido pustula in coctetum. Juvenis viginti annorum generosus, habitu corporis spongioso præditus, vitæque sedentarie addictus, a prima statim infantia ex scabie retropulsa insigni pedum abdominisque intumescentia, cum lividis maculis in cute hinc inde efflorescentibus laboravit. Academiam ingresso valetudinis emendandæ caussa exercitium commendabatur pugillatoriorum, a quo vehementer aliquando calefactus quum largiore frigidæ cerevisie haustum infunderet, mox pessime habebat. Languor enim universi corporis cum tussi valida & respirandi angustia sequebatur, aquosus pedum tumor incrementa, ut non modo scrotum, sed totum quoque abdomen occuparet & ad ruptionis usque metum distenderet. Præterea, quod notabile erat, a nimia scroti inflatione retrahebatur mentum; & præputium instar vesice inflatum urinæ excretionem, que communiter in hydrope parcius esse solet, retardabat, pedes frigidissimi nec ignitis tegulis ad calorem naturalem poterant reduci; adperitus tamen adhuc modice constabat. Præter variis generis medicamenta consilium initiant medici de scroto aperiendo, ex quo cum lancetta aperto ingens aquæ profluerebat copia, unde scrotum quidem cum abdomine diminutum, somnus quietior & vires quodammodo perfectæ videbantur, pedum vero tumor & que ac molestum tussendi conamen perseverabat. Sanato hoc ulcere pristina ludebatur tragedia: namque abdomen cum scroto denuo in magnam incresebat molem. Rufus itaque cutis in membro virili incidebatur & plus quam X. seri educebantur libræ. Hoc pariter vulnere consolidato vires iterum cum adpetitu vigore ventrisque tumor remittere videbatur. At vero quum patiens, ob summum domum revertendi desiderium, in-

genti angeretur moerors, accidebat, ut prævio horrore & succidente æstu erysipelas in pede erumperet, cui depellendo vix ulla par erat medicina. Dolor enim & tumor inflammatorius mox totum corripiebat pedem & circa quintum diem lividæ, cum interspersis magnis vesiculis, emergebant maculae, pulsus ferebatur debilis & celer, sitis urgebat fere inexhausta, noctes erant insomnes, alvus prætermodum fluida, urina albæ & clara, tandemque viribus consumptis & rarer placide exspirabat. Corpore post mortem disseccato, intra abdominis musculos & pinguedinem magna observabatur aquæ quantitas; in cavo vere abdominis mensuræ quatuor, in thorace mensura dimidia, in pericardio quatuor circiter unciae fluitabant aquæ limpidissimæ. Hepar & lien, insolite magnitudinis & coloris pallido-albicans, reperiebantur durissima, sanguine pene omni destituta, qui tamen supererat in hepate sanguis ex globulis instar milii solis duris videbatur compositus. Bilis erat pauca & instar glutinis compacta, bruni coloris. Vasa venosa valde extensa parum continebant sanguinis, loturæ carnis non assimilis. Duplicatum peritonæi, que uretheres & vasa spermatica, ipsamque vesicam continet, copiosis hydatibus erat obsessa, ex quibus discessis magna aquæ profluebat copia. Pulmones denique erant fere ex sanguine & candidi, in corde vasa coronaria valde instata. Dissectis pedibus membrana, sub qua adeps reconditur, aqua turgescebat, & quum pervenit erat ad membranam, quæ musculis supersternitur, ea instar vesicæ aquæ repletæ adparebat, factaque dissectione aquæ instar rivi effundebantur & glutinosa materia tragacantham referens conspiciebatur.

EPICRISIS.

Ex hac memorabili morbi historia plura notatu digna in usum medicum possunt elici;

1.) extraordinaria vasorum venosorum magnitudo sanguinis circuitum per venas indicat impeditorem & valde retardatum, a quo etiam derivandum est, ut vasa lymphatica, ob lymphae a sanguine secessionem ampliata tandem disrupta fuerint.

2.) induratio illa viscerum malum ostendit incurabile, quam dudum jam optimus juvenis intus absconditam recondidisse videtur. Quare non mirum est, a pluribus abhinc annis eum cachexia laborasse, quam tumores pedum oedematosi & maculae in cute flavæ & lividae commonstrant luculentissime.

3.) peculiarem meretur animadversionem, quod exigua sanguinis in vasibus & visceribus reperta fuerit quantitas, maximeque hepar, lien & renes omni fere rubidine adparuerint exuta: cuius rei ratio exinde venit deducenda. In tali statu cachecticohydropico, ob segniorem sanguinis progressum, sanguificationis actio, seu chyli in sanguinem conversionis minus quantum lœsa est ac depravata; hinc omnes, qui ingeruntur cibi in serum potius, quam sanguinem solent transmutari. Et inde quoque fit, ut sanguis hydropicorum evena emissus nunquam non copioso sero sit refertus.

OBSERVATIO VR

Hydrope *sympt.* *matutin.* Vir quinquaginta annorum, laetiori dietae virtuteque sedentariae addimatis, etus & lacticinia cum fructibus acidis horæis in deliciis habens, prægresso diuturniori mœrore incidit in cachecticum corporis habitum, ex colore faciei lurido, sublivido & ad flavedinem inclinante satis conspicuum; unde ciborum appetentia, satis antea

vegeta una cum viribus valde concidebat, flatus & borborygmi in abdomine, ob segniorem alvum, miras creabant molestias, respiratio cum præcordiorum anxietate reddebat difficultima, ut per intervalla morti proximus æger haberetur, &, quod maximum erat, pulsus micabat debilis, nonnunquam intermitens, pleurumque inæqualis. His tandem malis jungebatur icteritus faciei color cam majori pectoris angustia pedumque intumescens, quaæ altius subinde ascendendo ipsa demum femora & scrotum obsidebat. Multa a variis medicis adhibita medicamina nihil afferebant levaminis. In consilium itaque adscisciebatur aliis cura hydropis famigeratus medicus, qui extractum elaterii & enulæ ad drachmam unam cum juscule calido aliquoties propinabat; unde *xxi* *xvi* fortiter expurgabatur ingens viscidi copia, & decrescente pedum abdominisque tumore lœta convalescentia spes affulgebat. Nihilo tamen minus quam anxia præcordiorum oppressio aucta potius quam diminuta & vires cum adipititu magis inde prostratae viderentur, ego cum aliis adstantibus medicis validius illud catharticum seponere & non nisi temperata balsamica & roboratitia adsumere suasi, donec omnibus in pejus ruentibus æger diem obiret supremum. Cadavere aperto in abdomine pariter ac thorace magna seri extravasati conspiciebatur copia. In cordis & pulmonum vasibus delitescebant concrementa polyposa, ex dextro cordis ventricolo per arteria pulmonalis ramos dispersa. Fellea cystis calculo, tres minimum drachmas adæquante multisque minoribus lapillis erat referta. Totum vero hepar cum liene atro sanguine inveniebatur infarctum valdeque flaccidum & reliqua vasa venosa omni fere sanguine privata.

EPICRISIS.

Docet in primis hic casus, quomodo

ex praecedentibus & ad unam quasi conspirantibus caussis hydropis fiat generatio. Siquidem habitus corporis spongiosus, acidorum & lactis abusus, animi moeror & vita laboris expers ejus sunt naturae ac indolis, ut spirituascentiam sanguinis immiuendo, humores valde glutinosos ingenerent, qui ad vasculorum obstructiones, concretionesque polypolas & calculosas materiam subministrant largissimam. Videtur autem hydrops in praesenti casu magis symptomaticus, qui obstructionem hepatis & spasmos praecordiales, ob calculum in cystide fellea & polypum in corde atque pulmonibus contentum, inducitos exceptit. Anxietates enim & spasticæ praecordiorum strictræ, multo magis vero concreta ista fibrosa, pulmonum vasa repletia liberiorem sanguinis circuitum non modo in pectoris regione, ubi sedem fixam habent, sed per reliquas quoque remotiores partes impeditunt; unde ob tardiorum ejus circuitum serum in vasa lymphatica secedit, & in porosum habitum effunditur. Quodsi vero polypola ejusmodi repugna hydropicorum tumorum caussæ existunt, facile est judicatu, cum haec ipsa nulla ex pugnari arte queant, morbum fieri insanabilem. Videmus hinc purgantium, praesertim validiorum usum positis hisce circumstantijs magis esse noxiū quam proficuum: quandoquidem haec, validissime in genus nervosum agendo, anxietates & spasmos in praecordiis sanguientes augent, ut inde non possint non vires cum appetitu magis prosterni. Nos in genere ita judicamus, longe consutius esse, hos morbos tempestive averttere, quam, ubi increverunt, iis curandis multam operam impendere frustraneam.

OBSERVATIO VII.

Hydrope. Vir triginta annorum, complexio pectoris nis sanguineæ, qui adolescentiæ annos tristis inordinato vita genere transgit ma-

ximeque spirituosos potus magna in copia ingurgitavit, militæ deditus corpus quondam vehementi exponebat frigori, quod quum pectus potissimum occuparet, brevi post de stabili & fixo sinistri lateris dolore, spirandique difficultate conquerebatur. Mutato vita genere, quum a vita valde laboriosa ad quietam transiret, non modo dolores & praecordiorum auxietates, sed tussis quoque & spirandi angustia tanta cum vehementia ingravescebat, ut per fenestras non nunquam liberiorem anhelare aerem debuerit. Accedebat dein pedis & femoris sinistri intumescientia, quæ scrotum simul valde distendebat, alvus & appetitus satis bene constabat, & urina mingebar flavescentis coloris tenuis. Tandem cum data occasione in nimium effusus rism pectus vehementius commoveret, mox de summa spirationis angustia conquerens in horas suffocari videbatur & sub debili & inæquali arteriarum pulsatione per validam tussim eliciebat sputum sanguine leviter tinctum; & demum viribus penitus dejectis tertio die post animam efflabat. In sectione cadaveris totum abdomen conspiciebatur integrum, in thoracis autem cavitate in sinistro latere mira aquarum fluctuabat quantitas, quæ ad septem propedium libras accedebat. Cordis vasa concreta alba instar calami scriptorii continebant, pulmones erant depresso ac collapsi, & arteria pulmonalis, polypo intus referta, visui se offerebat nigra & sphacelata, foetidum spirans odorem. Penitus deinceps inspecta thoracis cavitate in dorso variae se objiebant membranæ & cuticulæ dilaceratae, a vertebris & costis thoracis separatae, quæ non obscure indicabant, magnum hic delituisse sacrum membranaceum aqua repletum, qui disruptus tantam aqua copiam in thoracem effuderit, ipsamque mortem acceleraverit.

EPICRISIS.

Mortuus est hic æger hydrope thoracis, quo orthopnea vexati, ut rete monet BAGLIVUS, qui non nisi erecta cervice spirare, nec in lecto, ob suffocationis metum stabilem inventire locum possunt, plerumque laborant. Sed memorabile in nostro casu videtur, quod hydrops fuerit saccatus, & aqua extravasata facio membranaceo ex pleura a costis separata producto inclusa, quæ dolorem fixum peperit, liberamque pulmonum expansionem, præsertim sub dia phragmatis a ventriculo inflato compressione impedivit. Postquam vero, tumore per risum rupto, serum in tanta copia effluxit, ut pulmones inundaverit, non potuit fieri, quin denegata horum expansione, sanguinis circuitus plane fuerit interceptus, & strangulatione quasi æger interemptus. Quod vero ex aspera arteria serum sanguinolentum russi fuerit rejeatum, hæc videtur ratio, quia sanguis per arteriam pulmonalem in pulmones reductus, & regressu suo impeditus, cum impetu ad tunicam asperæ arteriæ glandulosam confluxit, ibique inflammationem excitavit. Quod dein pedum intumescentiam attinet, sciendum est, hanc fere inseparabile hydropsis pectoris esse symptomam. Si denique curationem truculenti hujus mali attendere velimus, nihil dubii est, quin in ejusmodi casu paracentesis cum fructu possit institui; si modo ægrotus hancce admittere operationem non recusat: præsertim quum jam olim HIPPOCRATES tandem in hydrope pectoris commentaverit.

OBSERVATIO VIII.

Hydrope pectoris. Annus est, & quod excurrit, quum lethalis asthmatico-hydropicus, sexagesimum-

ætatis annum supergressus, meum postularet judicium de transmissa totius morbi historia, quæ hæc continebat momenta. In adolescentia vir generosus multum sape crux e naribus fundere suevit, & cum academicam ingressus vitam, litterarum studiis & lucubrationibus in multam noctem productis, neglecto corporis motu plus justo indulsisset; affectionem incidit hypochondriacam cum hemorrhoidibus cœcis junctam; ad quam mitigandam aquas Wildungenses & Schwabacenses aliquoties cum fructu potavit. Ante duodecim vero annos medicus fontes Pyrmontanos bibere jussit; enim vero ab horum usu mox redierunt hemorrhoides cœcae valde surentes, quæ tandem applicatio hirudinum in ulcus fistulosum transierunt. Post hæc per aliquot annos anxietatibus cardialgicis, & asthmaticis pectoris oppressionibus per intervalla fuit obnoxius, quibus duobus abhinc annis dolores podagrī & nephritici cum pertinaci ischuria stipati accesserunt. Nunc dimidium effluxit anni, ex quo prævia iracundia adfectus asthmaticum cum summa præcordiorum anxietate graviter invaluit, & pedum primo, mox femorum & scroti, totiusque abdominis tumor successit. Consuluit itaque medicum, qui infusum purgans exhibuit per sex dies bibendum; unde, magna seri sollevie excreta, inferiores quidem partes detumescere coeperunt, sed remanente asthmate, licet remissori non multo post in sinistro thoracis latere dolor obortus est cum sputo cruento punctarius, ipseque tumor recrudescens pristina loca repetit; unde urina secessit parvior, & spirandi difficultas cum somno paucò & perpetuo pleuritico dolore denuo increbuit. Hæc morbi fuit historia, qua attente perfecta singulisque probe penitatis responsum dedi: quod asthma, hæmoptœ, pleuritis, & ipse tumor hydropticus pulmoni male adfectio, & vel obstructio, vel polypis obpresso suam debet.

debeat originem. Quodsi enim sanguis ex uno cordis ventriculo ad alterum minus liberum habet transitum, aliter fieri non potest, quam ut in dextro ventriculo & toto venæ cavæ systemate ejus cursus sistatur ac retardetur; hinc stagnat & serum secedens substantiam porosam & cavitates intrat. Pulmones vero, me judice, vix aliunde suam contraxerunt labem, quam a sanguine per spasmos & flatus intestinorum, qui hypochondriacis, podagrīcīs & nephriticis valde familiares sunt, ad pectus nimium congerito. Neque de nihilo est, polypofam in pulmonibus concretionem suspicari, utut de pulsu, qui in tali casu plerumque intermitens & inæqualis est, nihil relatum mihi fuerit. Sapius enim iterumque in asthmate cum dolore punctorio & sputo cruento juncto polypos in thorace adnotavi. Et hac ratione ductus mox tristem morbi eventum judicavi, qui etiam inopinato post venam in brachio sectam sequutus est.

EPICRISIS.

Hypochondriaci, maxime hæmorrhoidarii, nisi se præcipitare in graviores & funestas adfectiones velint, exquisite præcepta servare diæterica & potissimum a vehementibus animi motibus abstinere, atque paucis, sed fidiis uti remediis debent. Id quod tanto magis necessarium est, si forte doloribus nephriticis, arthriticis & podagrīcīs confluantur, ne materia morbosa, ad superficiem corporis salutari motu propulsa ad interiora reprimatur. Perfacile enim hac ratione asthma succedit hydropicum lethale, atque tum asthma utplurimum primarius est affectus, cui hydrops ut symptomā ad sociatur: unde præcipua menditis cura ad caussam asthmatis removendam dirigi debet. Multum itaque peccantii, qui solam curandi intentionem ad tumorem abigendum dirigentes hydragogis fortioribus

aquas educere moluntur: qua per-versa methodo inflammationes intestinali lethales possunt accessere, præfertim si hæc ipsa cardialgia & spasmodis, a materia podagrīca repulsa jam fuerint affecta. Tali in casu antispasmodica cum diaphoreticis mixta, vel etiam V.Sio, aut clysteres perniciibus ejusmodi symptomatibus avertendis valde sunt idonea. Denique id probe tenendum est, ne facile in asthmatīcīs, si polyposi quidpiam subest, ut ex variis signis judicare licet, vena in brachio seceretur, multo minus si lāgori quantitate nec interrupto flumine sanguis mittatur. Cor enim coagulo jam infarctum sanguinis affluxu sufficiente destitutum quam facile ex toto systole amittit, ut syncope lethalis inde emergat, qualia exempla non pauca in recenti memoria teneo.

OBSERVATIO IX.

Vir Illustrissimus, quadraginta & *Astma* aliquot annos natus, mediae staturae, *cum hydrope* habituque corporis spongiosiori & *anæsthesia*, temperamento sanguineo prædictus, *ea junctum* qui a prima adolescentia integro vi-*ritatem* & adpetitus vigore gavilis, in militariibus exercitiis cum defatigantibus corporis motionibus junctis quotidie fere summam quæsivit voluptatem; ante quinque vel sex annos ob lautiorem diætam vimique spirituosis & cerevisiæ triticea valde nutrimentum potum præter modum cepit pinguiscere, terque quaterve in anno leviori rheumatismo, mox manus, mox pedes pererrante tum maxime temporis corripi, quum frigida & humida regnabat aeris intemperies. Huic dein superveniebant adhuc alia, ea-que longe graviora mala. Nam pedes occupabat tumor, & in pectore spirationis difficultas per intervalla pessime affligebat; quæ non parum capiebat incrementi, quum a nimia ciborum variorum adpetentia abdomen satibus distentum liberiorem diaphragmatis descensum sœpe impediret, ita proles, ut

ut illustrissimus ægrotans in lecto non decumbere, sed erecto potius corpore somnum capere per aliquot annos debuerit. Sopor quoque interdum non raro per horæ dimidium & ultra invadet inopinatus atque tam gravis, ut excitari vix posset. Præterea nullam in omni vita toleraverat sanguinis per nares vel sedales venas fluxionem, quam deficientem ex parte compensare medicus studebat venæsectione bis in anno instituta, quæ vero quum in pedibus, qui tomore continuo erat obsiti, administraretur, parumque inde sanguinis efflueret, nihil hac methodo proficiebatur. Nam vanus erat timor, ob quem medicus, ne forsitan periculi plenam suffocationem arcesseret, venam in brachio secare dubitabat. Multo magis justa metuendi erat ratio, ne tumor aquosus in corpore adeo plethorico, & faciei colore ad nigredinem vergente, magis ac magis incresceret; quod etiam brevi post insequebatur. Etenim mox totum corpus æqualiter intumescebat, & quod pessimum erat, consueti manuum & pedum dolores rheumatici nunc sub tempestate frigidiori vel plane non apparebant, vel mox remittebant. Quum is esset depravatus valetudinis status, & indies pejora ingruerent symptomata, ego pariter in consilium vocatus, hunc morbum asthma cum hydrope anaæraca junctum, & a nimia sanguinis abundantia, qua cum pulmōnibus pñne oppressum erat, inductum judicabam. Quam Medicus ordinarius ante meum accessum in brachio admiserat venæsectionem & laudabam & approbabam, consultum fore ratus, ut aliquoties pro re nata iteretur: & iterabatur quoque cum insigni spirandi levamine pulsuumque augmento. Accuratori instituto examine, cui intererant adhuc alii peritissimi medici, ex certis & evidenteribus signis viscera nec obstructa, nec scirrhosa, sed integra, nec intra pectoris abdominisque cavitatem serum extravasatum, nec pulmones polypis

obsessi deprehendebantur: & quum sub modica ciborum adpetentia aliud satis bene responderet, abstinuimus ab omnibus fortioribus hydragogis & diureticis, & potius injuncto accuratori vitæ regimine medicamenta dedimus ballastica amara, stomachica & carminativa, interpositis subinde salibus detercis & aperientibus. Potui præscriptissimus cerevisiam insigniter diureticam, & ad discutiendos flatus ano clysteres carminativos frequentius injiciendo curavimus. Hæc inter uno vel altero mense transacta natura, optima gravissimorum morborum medicatrix, sponte sibi exitum parans copiosas in pedibus excitabat vesiculos, & quibus cum febri quodam motu & redeunte podagrico insultu ingens aquæ expellebatur copia. Et sic tandem Illustrissimus æger melius respirare, quietiorem somnum capere, urinam, quæ antea parcior fluebat, magis reddere, & resumis viribus penitus convalescere incipiebat, ut nunc, quæ Dei gratia est, ab omni malo immitnis sanus degat.

EPICRISIS.

1.) Permultum interest, ut medicus in cura gravioris & sertici morbi prudenter adornanda veram caussam primamque scrutetur originem, quæ in hoc nostro casu nimia fuit sanguinis abundantia, & exinde ortæ in visceribus nobilioribus & extimis partibus stagnationes; unde simul asthma & ex hoc hydrops fuit enatus, qui facile potuisset averti, si e vena brachii tusa tempestive conveniens sanguinis detracta fuisset quantitas. Minime enim a tali venæsectione, in brachio instituta metuenda est major sanguinis ad superiores partes attractio, & ex hac oriunda suffocatio; ut hæc ipsa potius certo avertatur, si nimia, quæ jam adest, plethora imminuitur: quod suo jam tempore optime præcepit HIPPOCRATES, eo loco, quem in cautelis §. I. allegavimus.

2.) Lu-

2.) Luculenter edocemur, in maximiis morbis viacendis lenissima & fere simplicissima remedia optimum ferre levamen, si modo satis diu continuantur. Quodsi enim in nostro casu ad educendas e corpore aquas fortiora purgantia & diuretica adhibuimus, facile pernicialis induci potuissest intestinorum inflammatio, quam ego quidem non raro in anasarca & a scite laborantibus vidi. Longe itaque consultius fuit praeter justam & sufficientem sanguinis missionem ejusmodi remedia, quæ discutiendis flatibus & tono intestinorum roborando idonea sunt, in usum vocare. Etenim, cum primarius morbus fuit asthma, cuius effectus seu symptoma hydrops debet haberi, & quoniam illud a nimia sanguinis abundantia & congestione ad thoracem partesque superiores, neque minus a flatibus ex primarium viarum cruditatibus originem traxit, facile intelligitur, quare adhibita remedia omne in curatione absolverint punctum.

Plura de hydrope exempla reperiuntur, licet in responsis & consultat. medicinal. Sect. III. casu LVI. & LXVII. usque LXXI.

C A P U T X V .

DE FLATULENTIA VENTRICULI ET INTESTINORUM, ET AFFECTIONE TYMPANITICA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Flatu-
lentia
quid sit? **I**N nulla corporis humani parte tantas molestias creant flatus, (qui sunt, nisi vapores halitulosi, expansiva elastica vi prædicti,) quam in ventriculi & intestinorum cavitate, ubi velut in carcere inclusi, hosce canales ex tunicis mere musculosis &

nerveis, quæ motu & sensu gaudente, conflatos, remittente ipsarum tono, non sine dolore & anxietate vehementer distendunt, & ut multum inde omnis generis functiones laedantur, efficiunt.

§. II.

Si speciatim ventriculus a flatibus *sympto-*
mata, *incarceratis* supra modum expanditur, *que ve-*
gravissima subinde oriuntur *sympto-*
mata, qualia sunt summae circa *præ-*
cordia *anxietates* cum valde difficulti &
nem co-
segræ spiratione, *pectoris* *oppressione*,
inquietudine *extremorumque* *frigore*
& *ingenti* *virium* *collapso*. Inter hæc
facies cum *adspicere* lurido contracta
est, & interdum cum difficulti deglu-
titione faucium urgent constrictio,
cordis palpitatio, phlogoses, scotoma,
vertigo & hujus generis alia.
Cognoscitur autem flatulenta hæc ad-
fectio ex intumescencia, quæ circa
cordis scrobiculum versus latus dextrum satis saepe ad tactum manifesta
est, nec non ex crebra & vehementiori eructatione, qua notabiliter sym-
ptomata mitescunt.

§. III.

Quod vero vehementem ventriculi *Ratio*
inflationem tam *læva* *excipient* *sym-*
ptomata, *hæc* *sunt* *præcipue* *causæ* *matum*,
Notum quippe ex anatomis est,
quod ventriculus pars sit valde nervosa,
& quod octavi & paris intercostalis rami inter tunicam ipsius nerveam
copiose dispergantur, qui quum ad omnes corporis nervosas sensuque &
motu prædictas partes excurrant, non mirum esse debet, si propter eximiam
hanc, quæ partes in vicem intercedit,
communionem, in omnibus fere reliquis corporis partibus sensibilioribus
tam diræ orientur afflictiones. Quæ
dein comitatur difficultis & anxia ipsi
ratio itidem a ventriculi expansione
inducitur, qua diaphragmatis alter-
nus expansiorius & constrictorius mo-
tus, a quo inter alia respirationis pen-
det negotium, impeditur: & quum
hac ratione cavitas thoracis simul
coarctetur, pulmones non rite possunt
expli-

explicari; unde liberior sanguinis ex uno cordis ventriculo in alterum transflus remoratur.

§. IV.

Flatulentæ ejusmodi distensioni præter ventriculam, tota intestinalis fistula, quæ ex ejusdem generis tunicis, nervorumque & sanguineorum valorum ramificationibus, ut ipse ventriculus constat, obnoxia est. Quodsi vero totus intestinorum tam crassorum quam tenuium canalis a flatibus violenter expanditur, non tantum tumor totius abdominis, sed dolor quoque maxime circa umbilicum, ubi tenuum sedes est, sat gravis cum pertinaci alvi strictura, inquietudine, anxiate, extremonque refrigeratione, & virium lapsu conjunctus oboritur, atque tum adfectus dicitur colica flatulenta. Quande hæc flatulentia non est transitoria, sed in longum tempus, menses, vel annos protrahitur, tumor abdominis durus instar tympani sonora edens tympanites vocatur & malum portendit vix ulla medicina sanabile, præsertim si ascitem, superiorumque partium marcorem habet contumem.

§. V.

Quod attinet ad caussam morbosæ ejusmodi flatulentia proximam, hæc utique duplicit esse generis recte statuit. Altera materialis, quæ in flattum facili & copioso proventu residet, debetur ingestis, quæ præ aliis tenaces, mucide & pronæ ad inducendos flatus consistentia sunt; quæ inter merito oleracea, raphanacea, legumina, pisa, fabas, pisces marinos exsiccatus & fructus horæcos, ornariaque fermentabilia, dulcia, mellita, cerevisias triticeas & farinacea quoque triticea, pulticulas, præsertim milio paratas, pinguis ovilla & vervecina, maxime si his frigidus superingeritur potus, referrimus. Scire tamen licet incongrua ejusmodi ingesta tam sicca quam fluida longe majorem inferre noxam, si in magna quantitate adsumuntur.

§. VI.

Altera, quæ formalis dicitur, per-nicialis flatulentæ caussa in insigni ^{causa} ^{formal} motu peristaltici debilitate, quæ ab illa impedito liquidi nervei & sanguinis arteriosi in intestina influxu dependet. quærenda est. Quemadmodum enim iste motus, si recte & secundum naturæ ordinem se habet, non modo vaporibus, qui temper ob humidum in intestinis contentum præsto sunt, resistit, sed eos ipsos etiam per totum tractum sine omni molestia propellit; ita e contrario, si propter nimiam roboris ac toni intestinorum remissionem, & membranarum inde ortam flacciditatem vacillat, huic maneri vix amplius præest. Preter hæc quoque ingesta, aere quam ad intestina ferantur, diutius in ventriculo subsistunt, & in vapores resolvuntur; unde in vicino duodeno & jejunio ob acrimoniam particularis oboritur spasmus, qui dextrum ventriculi orificium sive pylorum, & per consensum etiam instrumentum constringit, ut inde vapores non habeant exitum, sed inclusi vim suam elasticam in nervosas ventriculi tunicas vehementer exerceant. Cui distensioni quando natura majori liquidi nervei adfluxu occurrit, restituta ad tempus vi tonica renitente, flatus magno cum impetu per superiora erumpunt.

§. VII.

Quæ cum ita sint, judicatu est facil- ^{causa} limum, quicquid ad motus peristaltici depravationem contribuit, illud ^{sunt &} pariter ad flatulentiam producendam ^{ramen-} esse aptissimum; unde evidenter patet ratio, quare homines, qui habitus corporis sunt laxioris, & spongiosiores, ut fere phlegmatici, sexu feminæ & ætate senes atque infantes esse solent, ad inflationis malum valde sint proclives. Et quoniam liberior vaporum, qui continuo in intestinis progignuntur, transpiratio sub inordinato intestinorum motu constrictorio & dilatatorio valde impeditur, multumque inde incommodi infertur;

facile poterit intelligi, quare ab insolita & nuda abdominis artuumque refrigeratione, vel pedum super frigido pavimento incessu, manusumque in aquam frigidam immersione, vel etiam a potu gelido, æstivo tempore corpori sudanti ingurgitato, tam frequens colicæ flatulentæ & torminum imi ventris sit proventus. Siquidem hæc omnia ita sunt comparata, ut eximiam intestinorum tonum debilitandi potentiam obtineant.

§. VIII.

Morbi pectoris. Sunt vero adhuc aliæ, majoris momenti caussæ, quæ robur nobilissimum istarum partium destruendo, nostrum morbum producunt. Attenta enim observatione discimus, periculosas abdominis inflationes iis quam maxime contingere, qui a præcedente morbo, v.g. dyfenteria, febre acuta & variolosa, aut diurna intermitente, vel etiam ob nimias sanguinis profusiones, sive per vulnerationes, ac haemorrhoides, sive in feminis per abortum, per partum, aut extra ipsum per lochia & menses ingentem virium lapsum liquidique nervorum spiritali elasticæ & sanguinis depauperationem passi sunt; idque eo magis si, posthabita virium ratione, plus ciborum ingerunt. Et inde perspicue poterit colligi, quid statuendum sit, si, ut saepissime in morbis periculosis & acutis evenit, circa tempora critica molestæ præcordiorum distensiones cum borborygmis & flatu in imo ventre fluctuatione percipientur. Ut plurimum enim mortis indicium præbent, tum quod extremum virium lapsus indicant, tum vero maxime, quod ad penitus sufflaminandam respirationem multum omnium valeant: quæ abdominis inflationes post mortem, ob plenariam roboris destructiōnem ab internis tam potulentis quam medicamentis semper fere auctiores evadunt, ut, ne rumpatur abdomen, pondere rerum incumbentium comprimentum sit.

§. IX.

Simili quoque ratione per attentam experientiam innescit, atroces diutiusque perseverantes in primis viis ^{primis} ~~rum~~ spasmis intestinorum atoniam & flacciditatem motusque peristaltici imbecillitatem, & ex hac demum vehementes inflationes subsequi. Hinc colicam spasmodicam frequenter excipit flatulenta; quæ, nisi rite tractetur sed ad dolores mitigandos, potionis anodynæ offerantur, perfacile in paralysin transit. In cuius rei illustrationem notatu digna celeberr. WEPF-FERI experimenta, quæ in tractatu *de cicuta aquatica* ad effectus venenorum demonstrandos attulit, multum conferre arbitror. Etenim ab arsenico canibus ingestio gravissimas vomitiones & spasticas ventriculi contractiones, post has vero, flaccidente ventriculo vehementes ejus distensiones flatulentas observavit. Id quod etiam clarissime in oculos incurrit, quum a sumto veneno corrosivo, quod atrociibus spasmis operatur, demortuis totum intestinorum volumen, sectione abdominis facta, propter flatus imputuose erumpit, ut vix in locum suum reduci possit. Ex quibus probe consideratis clarius nunc poterit intelligi, acriora purgantia & emetica, dyfenterias, nec non colicas spasmodicas & haemorrhoidales ordinario ingentem primarum viarum imbecillitatem relinquere, quæ molestæ abdominis inflationi caussam præbet aptissimam.

§. X.

Verum enim vero, non raro evenit, ut spasmī & flatus simul intestinorum canalem obsideant, quorum illi tunicas constringunt, hi vero in intestinorum cavitate contenti vehementem & contrariam expansionem genit, moliuntur. Id quod potissimum fieri solet, quando materia flatulenta acrimonia quadam biliose imbuta est, quale quid animadvertere licet in infantibus lactantibus, qui horrendis torminibus & borborygmis, extrorsum etiam per violentas explosiones seminanti.

manifestantibus, valde cruciantur & fæces deponunt ab acido arrodente admixto virides, quæ linteæ tenuiora instar aquæ fortis exedunt. Idem observamus, ubi materia tenax, mucida cum vitellina bile, vulgo dicunt Eier gehadtes, commixta ejicitur. Sæpe etiam lentores mucidi, quos infantes e tussi humida mucilaginosa sursum propulsos deglutiendo ventriculo & intestinis obrudant, in culpam veniunt, e quibus flatus copiosiores cum terminibus excitantur.

§. XI.

Flatu-
lenzia
& spas-
mi par-
ticula-
res.

De flatulentis, quæ totum intestinorum tractum æquali nisu distendunt, hactenus diximus, sequitur jam, ut de particularibus istis inflationibus & spasmis, qui certam tantummodo intestini partem occupant, quædam, quæ in attentiōri praxi consideratione digna sunt, proferamus. Scire autem licet morbosos ejusmodi effectus in hypochondriacis vel semi-nis hysteris potissimum contingere, ubi e. g. ventriculus sine intestinorum expansione inflatus est: quod plerumque sit, cum spasmus in duodeno vel principio jejuni existit. Intestinum quoque ileon citra inflationem ventriculi aut crassorum intestinorum in verminosis infantibus, vel herniosis cum exquisitis doloribus juxta umbilicum sæpe valde expansum deprehenditur, & in hypochondriacis hæmorrhoidariis, ubi intestinum rectum & inferior pars coli ob sanguinem stagnantem, ejusque denegatum per venas sedis effluxum a spasmis violenter angustatur atque constringitur, superior pars intestini coli, maximeque ejus flexura in hypochondrio sinistro & circa regionem lumbarem vehementer expanditur; unde dolor emergit pressorius, quem leni vulgo, sed perperam adscribunt. Fit quoque interdum, ut flexura coli in dextro hypochondrio circa hepatis & ventriculi regionem valde elevetur, multumque creet molestia; cuius causa, ut ego arbitror, in principio coli, quod

circa confinia ossis ilei, valvulae coli & intestini cœci situm est, residet, eo quod convenienti tono ac robore systaltico, quo sursum pelluntur excrementa, destitutum eorum copia infarcitur, quæ ingentem flatum materialm suppeditat. Neque tantum spastica strictræ & subsequens inflatio, quæ transitoria est, certam intestini portionem occupat, gravissimorumque symptomatum cauſa existit, verum etiam præternaturalis quædam angustia, durities, aut occalescentia ex variis cauſis contracta, certam intestini partem obſidet, & totum intestinorum motum peristalticum pervertendo sevissimis symptomatibus cauſam subministrat, que nonnisi per anatomen defunctorum in conspectum venit. De quo singulari & in praxi utilissimo argumēto celeberr. Lipsie Professor WALATHERUS eruditam de intestinorum angustia edidit dissertationem.

§. XII.

Accedimus jam ad disquisitionem *Tympanitidis* illius affectus flatulenti, in quo totius *signis* abdominis inflatione non transitoria, sed stataria & continua est, quæ *tympanitidis* nomine venit, quem CEL-SUS lib. III. cap. 21. ita describit, quod sit tumor ventris vehementer intenti cum crebro ex motu flatum sono. Hic morbus hisce se phænomenis & signis manifestat: Plerumque post dolorem & tensionem circa regionem lumbarem sinistram, alvique constipationem venter vehementer distenditur, flatus ac ructus per superiora violenter per vices extruduntur, pulsus est inæqualis & adpetitus dejectus, sed litis increscit, circa præcordia & umbilicum tensivus dolor, rodens & punctarius cum æstu quodam observatur. Sæpe etiam urinæ adeſt cum compreſſione killicidium. Tumor etiam, si æger supinus jacet, nunquam subsidet atque in neutrum latus æger potest decumbere.

§. XIII.

*Causa proxi-
ma.* Hujus continua, valde molestæ & periculose ventriculi ac intestinorum inflationis caussam non sine ratione WILLISIUS, BAGLIVUS, aliisque recentiores in spastica tunicarum intestinalium strictura reposuerunt, utpote qua diutius inhærente pori & meatus intestinalium, per quos vapores transpirant, angustantur & obstruuntur, ut postea intus retenti via sua elatica propter admixtum aerem expansiva tam violentam intestinalium distensionem efficiant. Et quod genuina hujus mali caussa in tali strictura spastmodica jure querenda sit, non obscure HIPPOCRATES lib. IV. aph. 1.1. his verbis suauindicare videatur: *quibus termina adsunt, & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque a medicamento, nec alter solvit, in tympanitem, sive hydropem secum firmatur.*

§. XIV.

*Nymphae
nitis n.
semper
affectu
jungit
sas.* Hic affectus communiter pro specie hydropis a veteribus æque ac recentioribus habetur, quia sèpe seu symptoma, præterim affecti admiscetur, cum tamen morbus sit plane pecularis & sine ulla aquæ extravasatione in abdomen contingat. Ita DOLÆUS in Encyclopæd. lib. III. cap. IX. pag. 157. refert, se in pueræ tympanitica novem annorum demortua abdomen ne guttulam quidem feri vel aquæ observasse. Atque in M.N.C. Decur. I. ann. 2. obser. 85. recenset anatomicia pueræ tympanite demortui, cuius ventriculus mirum distentus nihil præter fatus, & aliquid viscidi humoris continuit, intestina autem omnia tam pellucida transparuerunt, ut etiam multis in locis compuncta statim considerint, ne guttula quidem aquæ in illis ad parente. Pari ratione VALESIUS comment. in lib. IV. Hippocrat. de vultu rat. in acut. & COELADUS. adversarijor. l. II. c. XL. ex aperto simili cadavere nihil notatu dignum aquæ exiisse, sed crasso exspirante statu torum repente ventrem detu-

muisse annotarunt. Notatu quoque digna sunt, quæ PLATERUS obs. 53. p. 616. de puerò tympanitico mortuo refert, ubi intestina tantopere distenta apparuerunt, ut femoris crassitudinem certis in locis adæquare videbentur, atque ex compressione disrupta stercus magno impetu profunderent. Aliis autem locis adeo fuerunt convoluta, contorta & inflexa, ut nec excrementis nec flatibus deorsum pateret via, & sicul vermbus oblongis quam plurimis repleta.

§. XV.

Hæc inflatio tympanitica sexi ^{subiectum} *tympani-
sis dis-* minino circa hydropem quam maxime est familiaris, præsertim post puerperium, quando lochiorum fluxus non rite sucessit, vel ipse ab admissio frigore animique affectu cohibitus omnino fuit. Idem contingit, quando non rite deligato & compresso post partum abdomine error in dicta fuerit commissus, nec prima regio tempore puerperii a sordibus sufficienter expurgata. Tum enim non raro mulieres durum & inflatum abdomen cum magna molestia, spirandi difficultate & anxietate, alvique pertinaci adstrictione satis diu gerere solent. Eadem symptomata post partum laboriosum, si secundine non ex toto secesserunt, sed pars quedam remansit, aut si ab earum imprudenti extractione utero-inducta fuit lassio, non semel sed si- pius observavimus. Quandoque etiam post abortum, si imprudens accedit medicatio, ejusmodi tympaniticaæ affectiones eveniunt; quarum caussam & originem in perverso & turbato per uterum, & dein per intestinalium tractum sanguinis circuitu reponendam esse existimamus. Quod si enim ob vitium utero inhærens naturalis sanguinis cursus, vel ejus critica excretio non rite & libere succedit, ob subsequentem stagnationem per consensum etiam liber sanguinis per viscera abdominis, speciatim vero per intestina transitus impeditur, ubi portio vel sanguinis vel seru substiens *corrum*

eorum fibras teneriores & sensibiliores distorquet, constringit, easque duriores & tensiores reddit, ut dein libera vaporum in intestinis contentorum respiratio minus recte fieri possit. Quod vero si incidit, flatum proveniens magis productum & effectus, quam tympanitidis esse solet.

§. XVI.

Quod ut in infantibus & pueris, præfertim si vermis laborant, item post variolarum vel morbillorum morbum frequentius observare licet: cui malo nisi in tempore accommodata succurrerit medicina, partes superiores marescent & hectico superveniente calore ægri intereunt. Maxime vero propter adephagiam, ubi ventriculus & ejus tonus imbecillior existit, pueri & infantes in grandes ejusmodi tumores incident, quorum variae existunt causæ. Dum videlicet variolas & morbillos, vel etiam continuam febrem, ob vires valde suppressas, liquidum que spiritu osum nimis exhaustum, ingens motus peristaltici subsequitur imbecillitas, & ob insignem sanguinis & humorum a morbo contractam dyscrasiam tunicæ intestinorum & peritonæi a sero acri spastica vellicantur strictura, que flatum exitum prohibet, per facile evenit, ut hic morbus producatur. Quandoque glandularum mesentericarum & vasorum lacteorum est infarctus, qui succum chylosum non transmittens sordes in primis viis accumulat, que ex parte in flatus resolvuntur, ex parte vero per alvum exturbantur.

§. XVII.

Tympanitis affectio. At vero non tantum feminæ hystericae, & qui ætate sunt pueri vel intefantes ob vermium colluviem & exantepjunctur ob latos difficiles morbos, tympaniticas huic passioni sunt obnoxii, sed & ipsum potissimum in eandem incurront, qui ad hydropem ascitem inclinant; cuius quidem rei hac mihi videtur præcipua causa, quod in ejusmodi corporibus, ubi viscera abdominis, præfertim he-

par, minus rite suo funguntur mune-
re, succus quoque biliosus nec in quan-
titate, nec in temperie recte sit con-
stitutus, ideoque suis, quas in dige-
stionis negotio exercere debet, viri-
bus privatus. Repetendum enim hoc
loco ex physiologicis est, bilem ge-
nuinam atque naturalem esse medici-
nam præservatricem. Non enim so-
lum propter principium, quo pollet,
alcalino-sulphureum & saponiforme,
quo intimorem alimentorum solutio-
nem & digestionem promovet, insi-
gniter prodest, verum etiam propter
amaritatem temperate sulphuream at-
que balsamicam, blande stimulando
& intestinorum tunicas roborando,
motum peristalticum sartum tectum-
que servat: quo perverso & vitiato
tota motuum vitalium œconomia,
una cum salutaribus excretionibus, ut
fere videmus in hypochondriacis, tur-
batur atque pervertitur.

§. XVIII.

In illustrationem & confirmatio-
nem hujus sententiae non possum hic illi can-
silientio præterire singularem & pro-
filius raram observationem, que in fusione
Transact philos. Societatis Reg. Londi- que id
nenfis ann. 1330. no. 414. legitur. Ac- confir-
cepit nimis miles vulnus, ex
quo post varia symptomata septimo
die mortuus est. In ejus cadavere nul-
la penitus lœsio ullius partis internæ,
excepta sola vesica fellea, inventa fuit,
ut pote que in fundo leviter perforata,
ob effusionem bilis omnimodam y col-
lapsa & fracta deprehensa est. Nul-
lius visceris inflammatio vel levissima
adparuit, canalis tamen intestinorum
valde inflatus atque extensus, & colo-
re flavo a bile effusa, abdomen inun-
dante, tinctus . observatus, vulnus
etiam externum siccum, tumore va-
cuum fuit, nec durante vita ultum
maturationis signum habuit, ut sane
mirum sit, quo pacto ex vulnera adeo
levi, ut videtur, tam brevi temporis
spatio, absque febri aliquaque graviori-
bus symptomatibus, fauciatus inter-
ierit.

§. XIX.

Singula
saria lo
sodem
anno
ta sym
ptoma
so.

Inter symptomata notata digna in isto vulnerato annotata, primo omnium referri meretur inflatio abdominis, quae statim ab accepta plaga sequuta est, & talis absque notabili incremento & decremento permansit, & post mortem etiamnum adparuit, qua homo ascitici vel tympanitici faciem retulit. Nihilo tamen minus, praesente hac canalis alimentorum distensione, inflationis abdominis causa, nullum fuctum nec flatum per superiora aut inferiora reddere potuit. Quamvis etiam alimenta liquida ac potum in sufficienti quantitate adsumferit, alvus tamen officio suo per omnem morbi decursum nec semel satisfecit, nec fortissimis purgantibus ac clysteribus applicatis ullo pacto moveri potuit. Urinam paucam, flavam & quasi croco tintam, omni sedimento destitutam reddidit. Nihil tamen caloris febrilis in toto ejus corpore observare licuit, sicut nec pulsus citatus fuit, sed potius æqualis ac fortis, usque ad vitæ diem penultimum, quo inæqualis redditus est, duravit. Lingua etiam non dura, scabra aut nigra, qualis in febris, præcipue inflammatorius quandoque conspicitur, arida tamen ob defectum saliva fuit. Ut ut quoque idem per illud tempus, parum & saltet aliquando per semihorulam dormitaverit, neque etiam opii usu ad somnum disponi potuerit, tamen nullum in illo, vel minimum delirii indicium adparuit. Atque sic iste absque ulla gravioribus symptomatibus, si singultum levemque vomendi conatum, pridie ante obitum accedentem, excipias, exspiravit.

§. XX.

Conse
gusta
minde
dicta

Et hæc est peculiaris illius casus cum symptomatibus descriptio. Liceat jam nobis nonnulla, ad scopum nostrum utilissima, exinde elicere. Præcipue vero docemur, quantum non interrupta bilis laudabilis secretio ad sanitatem conservandam præstet utilitas, & quid quantumve econtrario

ejus defectus aut vitia ad gravissimos morbos, maximeque tympanitidem, contribuant. Etenim in hoc nostro casu a nulla alia causa, quam ab effusione atque totali bilis defectu deducenda est, quæ vulnus exceptit, canalis alimentaris inflatio, qua hic ipse ultra sphæram elasticitatis extensus, tonum suum motumque peristalticum omnino amisit. Hoc autem deperdito non modo naturalis chyli per vasa lactea transitus impeditus, verum etiam reliqua in aliis visceribus secretiones labefactatae tandemque sufflaminatae fuerunt omnino. Unde non potuit non ultimum omnium mors brevi post inseguiri.

§. XXI.

Quod attinet ad prognosin, merito *Prognos*
tympanites valde periculosus habetur *si, fu-*
ffectus, quo ægros sæpius mori, *nella*.
quam servari videas. Hinc ingenuus non minus quam vere fatetur doctissimus PUERARIUS, se nullum unquam tympaniticum convalescentem vidisse. Vid. addit. ad Barnetti thesaur. med. tom. II, lib. VIII, quia pertinacem meatum constipationem flatuumque incarcerationem vix dissolubilem, & gravem partium distensionem cum atonia significat. Quando morbo chronicò, ut hydroponi jungitur vel supervenit tympaniticus effectus, vix ullam admittit curationem, eo quod valida intestinorum ac musculorum abdominis distensio sanguinis per viscera progressum, vasa venosa comprimendo, valde difficilem imbecillitatemque reddit, atque excretiones per alvum & sudorem magis sufflaminat. Tympanites simplex si inveterascit, nec cito curatur in feminis & infantibus, in molestissimum chronicum malum transit & tandem ad interitum ducit.

§. XXII.

Contra vero abdominis distensionem, *Prognos*
quæ colicæ flatulentæ nomen habet in *si, salu-*
se & sua natura non multum alit peri-*taris*.
culi, atque facilem admittit sanationem, quando tonus intestinorum de-
perdi-

perditus per convenientiam tam interna quam externa remedia restituitur. Quodsi vero spasmodici quidpiam ad flatus excitandos concurrerit, ut in feminis, quibus menses non rite fluunt, vel in iis, qui ex calculo in uretheribus, vel in ductibus biliarum hærente laborant, fieri solet, aut si pathemata spasmodica haemorrhoidalibus moliminiis superveniunt, tunc utique paullo difficilior est curatio, quia tum remediorum vis & operatio partim spasmodis sedandis, partim atoniæ tollenda debet esse dicata, quæ tamen inter se contrariare videtur.

THESES THERAPEUTICÆ.

§. I.

*clysteri
us in
fistula
bantia.* IN affectu ventriculi & intestinorum flatulento curando nil prius habere debet medicus, quam ut flatibus per inferiora moveatur exitus, materiaque tenax viscida, quæ flatuum proventui velificatur, attenuetur & per alvum leniter educatur. Quo fine primo omnium in usum vocare decet enemata, quæ tam derivandi quam discutiendi & evacuandi prædicta sunt efficacia; cujus generis sunt, quæ ex herba hyssopi vel hormini, floribus chamomill. vulg. & roman. summitat. millefolii, baccis juniperi & seminibus carminativis majoribus &c. cum juseculo carnis vitulina & decenti salis gemmæ, ammoniaci, aut Ebsonensis & olei chamomill. cocti portione optime possunt parari. Sed notari me retur, vix unum alterumve clysterem allevando malo sufficere, sed corum usum crebrius esse repetendum.

§. II.

*Quoniam
confec
tante la
mentis.* Hisce dein interponenda & sub jungenda sunt laxantia, virtute simul carminativa & quodammodo anodynna instructa. Quo nomine commendare licet pilulas balsamicas ad Becheri, Stahlii & nostram methodum confectas, vel si natura paullo robuster & inflatio tympanitica fuerit,

duas partes extracti panchymagogi Crollii cum una parte massæ pilularum Wildegansii, Starckii vel de Syrace ex aqua carminativa minus spirituosa offerre soleo.

§. III.

Posthac ordine sequuntur medica-*Roborati-* menta, quæ principio temperate bal-*ta in* samico & volatili oleoso aromatico *formati-* constant & vulgo carminativa dicun-*pulveri*-*ris.* tur, quorum operandi ratio non ita debet explicari, ac si sale suo volatili subtili materiam flatuum tantum re-solvant tenuoremque reddant, sed potius, quod tonum tunicarum intestinalium eorumque syltolen vigorando prohibeant, ne flatus subsistant, sed e sede sua dimoti per tubum intestinalem facilius exturbentur, aut novus subinde flatuum fiat proventus. Etenim, quoniam destructus ventriculi & intestinorum motus peristalticus principalis flatulentiae causa existit, ea omnino, quæ cæmilia has partes roborandi efficacia pollent remedia. in nostro morbo sunt indicatissima. Splendent vero maxime ejusmodi virute & ob insigne sibi usque comprobata utilitatem eminentiorem merentur laudem primo pulveres ex radicis ari, zedoar. pimpinell. albæ, salis digestivi Sylvii, vel tartari vitriolati, feminis cymini, summat. centaur. min. cort. aurant. exsiccat. ana drachma una, olei chamomill. veri, vel de cedro aut cort. aurant. guttis VI. compo- siti, quibus, si suspicio adsit acidii in primis viis copiose stabulantis, com mode adduntur oculi cancerorum.

§. IV.

Huc quoque deinceps referenda sunt *la forma* in forma liquida sequentia medica-*ms. la* menta, quorum prius sit mixtura ex essentiis carminativis conflata, eximiū usus. Recipe essent. cort. aurant. zedoar. carminativa Wedelii, singu- lorum unciam dimidiā, spiritus nitri delcis vel liquoris nostri anodynii, spiritus de tribus ana drachmas duas M.D. ad XL. guttas. Alterum medi- camentum constituit potio, cuius hæc:

est formula: Recipe aquæ carminativæ Dornrellii, chamomillæ, vulg. zedoar. cum vino ana unciam unam, spiritus nitri dulc. drachmam unam, olei carvi puri guttas VIII. cum sachari drachmis duabus subactas M. D. S. Potio qu. 2. Loffel. voll.

§. V.

Quæ pro. fuit ex- tenuata. Nec denique negligenda sunt exter- na remedia, quæ inter commendan- tura. fuit linimenta tori epigastricæ re- gioni inungenda. Horum præcipua ingredientia sunt oleum chamomilla & rutæ coctum, oleum nucistaræ & bal- famus Peruvianus, quibus admiscantur olea juniperi, carvi, anisi vel cy- mini. Instar omnium vero esse poterit balsamum nostrum liquidum, vi- tæ dictum, quo i cum tribus partibus aquæ reginæ Hungariae remixtum ventrique inunctum summa depre- hendi efficaciaz.

CAUTELÆ ET OBSERVATIO-
NES PRACTICÆ.

§. I.

Caute- elatio- medita- mensa. **S**I flatulenta abdominis distensio partim a spastica tunicarum intestinalium strictura diuturna, partim mensa, a præternaturali earundem tensione atque duritate proficiuntur, atque hac ipsa a stagnatione humorum & acrimonia biliosa fovetur, cautissime cum carminativis calidioribus, aromaticis, volatilibus & sulphureis, qualia sunt olea desillata ætherea carvi, juniperi &c. mercandum est, siquidem flatuum elaterem & turgescientiam humorum augendo, tumorem reddunt contumaciorem & symptomata longe sape periculosiora, ut æstum præternatu- ralem eum ingenti siti, anxietate & summa spirandi difficultate arcessunt. Et hinc est, quod FIENUS lib. de fluzib. cap. 21. mentionem fecerit mulierculæ, tympanite misere afflidente, que usu electuarii admodum calidi, quod discussioni flatuum prescriperat medieus, in novum tantumque incidit.

tamocem, ut totum inde pectus mi- rum in modum fuerit distensum & paullo post misera supremum diem objerit. Quam in rem etiam egregia sunt verba HELMONTII, quæ lib. de flatibus continentur. Si ventofita- tes, inquit, in nobis sunt vapores aut exhalationes, certe major dolorum atque flatuum excitatio & distensio par- tum sequetur, adhibitis calidis, eo quod vapores augeri est necesse & cru- ciatus ac distensiones multiplicari.

§. II.

Purgantia omnia, non exclusis et. *Circa* iam fennatis & valde aloeticis omni modo fugienda esse suadeo, quia magis intestina exsiccant, & fibras ten- das, constrictas durioresque reddunt. Multo vero majorem noxam non sine periculo adferunt, si quis repetita eorum dosi remorationem flatuum promovere velit. Commendanda potius sunt manna cum cremore tartari in sero lactis, vel fonte Sedlicensi soluta, non omissis enematis emollientibus & blande discutientibus.

§. III.

Ubi spasmi flatuum secundæ gene- *Quæ p. ou- trices sunt, quod sepe fit in statu ple- fuit in thorico hemorrhoidali in juvenili & flatu virili ætate, nitrofa cum salibus deter- rito he- sivis & refrigerantibus juncta fœturifor- mibus sunt. Prosuat quoque spiritus datt. nitri dulcis, liquor noster mineralis, succus citri cum sale absynthii, oleum amygdalarum dulc. emulsiones ex se- minibus IV. frigidis, masse pilular. Sylvii & Starckii, quandoque etiam confert venælectio. Hinc Carol. de la FONT Academia Avenionens. Prof- fessor in diss. de hydrope tympanite ex emplum adserit curati a se tympaniti ope tinctoriae resarum, aliquot spi- ritus vitrioli guttulis imprægnatae, & julepo ex aqua portulacea, cichorei, nymphæ, syrupo de nymph. de pa- pavere, sale prunellæ & spiritu sul- phuris confecti, interposito subinde usu emulsionis temperantis, vel deco- di hordei cum syrup. de limonia & sale- grunellæ, ac opiatæ ex crystallo mine- rali,*

rali, sapidibus cancerorum, vitrioloque martis cum conserva rosarum compositæ.

§. IV.

*Curatio
mali ex-
uteri
utero.* Ex uteri vitio post partum laboriosum, puerperium, aut abortum mensiumque irregularem fluxum, si ejusmodi graves & contumaces abdominis distensionis accident, certe pilula ad imitationem Becheri ex extractis amaris & gummatis reñosis temperatioribus eum refracta ales portione præparata convenientique ordine & dosi exhibita incomparabilem exserunt efficaciam. Idem valet etiam de elixirii temperate balsamicis ex iisdem speciebus paratis, quippe que, dum blanda sua sulphurea balsamica virtute tonum & robur ventriculi & intestinorum deperditum restituunt, mirum effectum, præsertim ubi bilis deficiens & bilioſa est, præstant, modo non nimia dosi adhibeantur: nam natura iisdem adsuicit & successu temporis etiam in certis intestinorum partibus, exsiccando tunicas intellinales, hinc inde præternaturales angustias pariant, & funesta ſe symptoma post se trahunt.

§. V.

*Circo
alyste-
sus.* Magnum certe clysteres præstant usum tam in accessione & præsentia mali, quam extra illud tempus, ad ejus incursum avertendum. At vero si spasmus in intestinis tenuibus levit, non sufficiunt clysteres, sed tunc fudenda fuit manna, cassia, sal Anglicanum, Sed license, item serum lactis caprini cum cremore tartari vel tartaro vitriolato paratum. Thermarum quoque & acidularum providus unus in hypochondriacis non est spernendus, sed magnam potius promittit opem.

§. VI.

*Circo
externa.* Inter externa in vehementi abdominis inflatione fomenta ſicca & maxime omnium arenam in igne vel sole ſiccata ceu magnum præſidium habuerunt antiquiores medici. Hinc varia exstant loca, ubi eandem commendarunt. Vid. CELSUS lib. III. cap. XXI, & PLINIUS his tor natural. Lib.

XXI. cap. VI. arena littorum maris, inquit, præcipue tenuis & sole candens in medicina eft ſiccandi corporibus hydropticorum. Nec aliter ſentit Cælius AURELIANUS, qui lib. III. tardarum paſſionum cap. VIII. ex arena littoris, ſole ignita torrenda hydropticorum corpora flatuit. Noſtris temporibus ut multa alia, quibus veteres felici cum ſuccetu utebantur, arenatio in defuetudinem venit: neque tamen adeo negligenda videtur. Arena enim calida non modo compressione, quam mole ſua efficit, intumescentiam cohibet, ſed & calore ſiccum humores pravos intercutem stagnantes attenuat, ut ſuccis per vafa ſua itos reditusque restituatur: mo cutis quoque spiracula aperiuntur & transpiratio adjuvatur. Vulgare noſtro tempore experimentum eft, avenas calidas & exſiccatas in facculo regioni ventriculi & umbilici imponere, eo quod vim habeant diſſolven- di & diſcutiendi utiliſſimam. Præter hæc vero emplaſtrum de ſapone bene camphoratum & cum oleo hydroſi ami malaxatum in flatuosa abdominis diſtentione non ſine inſigni levarmine applicatum novi. Cui virtute parum cedit galbanetum ventri impoſitum.

E N A R R A T I O N E S M O R B O R U M .

O B S E R V A T I O I .

QUæ vigesimum ætatis annum ſu-
pergrella eft virgo generofa, te-
nia cu-
nioris texturæ & faciei admo-
dum pallide, jam per biennium pa-
ciori & irregulari mensium fluxu ad-
ficta graviter ſubinde de doloribus cir-
ca umbilicum tenſivis, abdominis in-
flationibus, & præcordiorum anxietati-
bus cum inſigni laſitudine & adperitus
proſtratione conqueſta fuit. His brevi
ab hinc tempore jungebatur febricula
vaga, circa vesperam maxime adſli-
gens, urina inſtar ſeti laetis mingebatur
turbida & pallida, atque virium tanta-
lūce-

succedebat prostratio, ut lipothymiae & pectoris accederent. Qui consulebatur medicus, ad menses solum respiciens fortiora obtulit emmenagoga, sed tantum aberat, ut levaminis quidquam sequeretur, ut potius insigne symptomatum augmentum ægra perciperet. Ego tandem in consilium adhibitus, ante anni circiter dimidium aliquot ascarides per alvum excretas comperiebam; unde verminosam coluviem pro genuina causa habendam ratus primo essentiam ordinabam tanaceti & santonici cum liquore anodino æquali portione remixtam, & serum lactis mane per aliquot hecmodades bibendum. Tum vero præscribebam pilulas ex gummi ammoniaco, aloe rosata, rhabarbaro, mercurio dulci & croco, interpositis subinde pulveribus digestivis. Et sic, ingenti putridæ & foetentis pituitæ copia cum aliquot necatorum vermium frustis exturbata, pessima ægrotantis symptomata sensim sensimque evanescebant. Nihilo tamen seciū remanebat magna ventris debilitas & ad flatus generandos dispositio, ad quam debellandam essentiam corticum aurant. & carminativam Wedelii cum spiritu nitri dulci inter prandium commendabam, tam felici eventu, ut ægra ab omnibus malis liberata nunc integrime vivat.

EPICRISIS.

Docet in primis hic casus, quantum medici intersit, veram morbi causam & originem probe nosse; qua ignorantia non modo remedia eidem removenda opposita nihil iuvant, verum etiam, quod pessimum est, plus noxæ afferunt. Fuisse autem in nostro casu vermes præcipue accusandos, testis est ipse morbi eventus. Nec adeo difficile est, ex hac causa rationalem symptomatum suppeditare ætiologiam. Etenim, quum iniquiisti hospites in intestino ileo potissimum sedem suam habeant, facile ibi mortu dolores effi-

ciant, & passioni iliacæ non absimiles, unde flatus exitu suo per inferiora præclusi superiorum intestinalium tractus occupant, eosque distendunt & ita divellunt, ut continui quasi solutio- nem moliantur. Et quum hac ratione ingens his partibus inducatur atonia, non mirum esse debet, cur materiali etiam causa sublata remedii stomachicis, non secus ac in iliacis sanatis, per longum adhuc tempus, ad tonum restituendum, insistere consultum sit.

OBSERVATIO II.

Femina triginta annorum, tempe-
ramenti sanguineo-cholerici, a matre Infatio-
progenita, quæ per viginti & plures ^{tympani}
annos molesta laboravit flatulentia, ^{cum ma-}
jam per triennium sine omni dolore & ^{stria}
incommodo, salvoque mensium flu- ^{re uter}
xu, gravi abdominis distensione adf-
cta fuit, quæ accidente vita deside &
concurrentibus varis animi perturba-
tionibus septem abhinc mensibus mul-
tum increvit & vehementes ventris
dolores, spirandi angustiam, alisque
obstructionem cum mensium imminu-
to fluxu comites habuit. Hac contra
mala medicus pugnavit carminativis,
aperientibus & eximiæ virtutis robo-
rantibus, sed in eodem statu morbus
permansit, somnus tamen & adpeti-
tus bene semper constituit. Non multo
post, ob errorem in diæta commis-
sum, optima femina febrem incidit
tertianam per septem hecmodades du-
rantem, unde viribus cum sonno &
adpetitu dejectis pedes intumuerant
& inflatio abdominis adducta cum ali-
quali fluctuatione ad manus percussum
instar tympani sonum edidit. Elapso-
mensis spatio materia grysea purulen-
ta, omnis expers odoris, cum inter-
mixtis sanguinis striis, præcedente
leviusculo horrore, per aliquot dies
in notabili quantitate per uterus ex-
cernebatur; quo facto levamen qui-
dem misera percipiebat in utroque hy-
pochondrio, sed non modo pedum
tumor

tumor perseverabat, sed abdominis quoque ita subinde invalesceret, ut in lecto decubitus impedit. Aberat tamen, quod bene sperare licebat, sitis, aberat febris & nimia virium depresso, aberat quoque, quod alias adesse solet, ciborum fastidium, sed modice potius appetitus constabat. Præterea urina mingebatur flava cum nubecula alba, fæces secedebant duræ, mensum plenaria erat suppressio, & insignis dolor cum tumore anum occupabat.

E P I C R I S I S C U M C O N S I L I O.

Non omnis, præsertim in sequiori sexu, abdominis expansio pro inflatione intestinorum tympanitica habenda est, sed incident sape casus, ubi post puerperium aut laboriosum partum, mole pinguedinis aucta abdominisque musculis crassioribus redditis, abdomen valde tumidum observatur. Nam frequenter obvium est, per violentos & diu perseverantes spasmos in partu sanguinem ad partes moliores minusque resistentes, quid? quod ad ipsum collum & ejus glandulas copiosius delatum vasa ibi nimis dilatare & stagnationes efficere, ut strumæ quoque haud raro inde encrantur. Fit tamen nonnunquam, ut etiam inflatio intestinorum tympanitica, uti in præsenti casu diuturno abdominis tumor superveniat, quæ procul dubio propter crassam diætam vitamque sedentariam inducta, & dein retardato mensum fluxu post tertianam febrem ita adaucta fuit, ut ordinarius medicus verum ascitem hydrozem adesse judicaverit. Ego tamen potius morbi augmentum adscripti antifebrilibus, quibus forsitan nimis cito febris fuit suppressa. Increvit enim inde infarctus in utero, a quo demum abscessus ibi formatus & magna materiaz grylæ, nullius odoris, copia excreta fuit, quæ optatum symptomatum levamentum attulit. Quapropter

præcipua curationis fuit intentio, ordinarium sanguinis per hepar & uterus cursum restituere. Quo fine fontem Egranum tepefactum, interpositis pilulis balsamicis, ad mentem Becheri confectis, & elixiriis stomachicis, per aliquot hebdomades cum recto regime bibere jussi. Et quoniam clysteres carminativos in ejusmodi casibus nunquam fere non utiles deprehenderim, crebriorem eorum usum summopere commendavi & cataplasma ex herbis, floribus & seminibus carminativis, ex vino coctis regionis pubis imponenda suasi. Denique roborandi fine elixirium ex essentia succini, corticum aurant. zedoar. & liquore anodynō, æquali ad pondus omnium proportione sumto, præscripti & sic curam feliciter perfeci.

O B S E R V A T I O III.

Virgo generosa, viginti & aliquot annos nata, constitutionis teneroris, ^{lentis} ^{abdominis} tamen sat amplis prædicta, quæ mensum fluxum ultra annum sat largiter & supra naturæ modum experta ^{adstricta} habitum obtinuit cachecticum & postea loco sanguinis sinceri & puri humorem per uterum ejicit valde aquosum & mucidum; ex imperiti juniores medici consilio per quatuordecim dies balneum Lauchstadiense, adjecta semper aluminis portione, adhibuit. Subtilit quidem inde fluxus, sed non multo post incidit in satis grandem ventris tumorem cum sensibili duritate in dextro inguinis latere, summa anxietate, pectoris oppressione totiusque corporis languore conjunctum. Circa tempus somni obtuli dosin salis nostri aperitivi, postero vero die mane pilularum balsamicarum, nostræ præparationis no. XIV. & circa prandium elixirii nostri visceralis centum guttas, idque per quatuor continuos dies. Postea ordinavi balneum circa vesperam adhibendum, quod sequentes habuit species: recipe herbae majoranæ, salviae, matricariae, men- thæ,

the, artemisiæ, rosmarini, florum chamomill. rom. & simplicis singulorum manipulos duos, baccarum lauri, juniperi ana unciam unam. Includantur sacculo & in aqua leniter coquuntur. Huic balneo insideat agra per horam & sacculus imponatur ventri maximeque regioni inguinali. Consumatis iterum lavando quatuor diebus, pristina rursus methodo agra per sequens quatriduum mane pilulas balsamicas & inter prandendum elixirium sumvit viscerale, atque simul vesperi balnei usum continuavit. Quorum remedium ope mira colluvie glutinosa & viscida ex utero promanavit quantitas & remittentibus flatulentis symptomatibus exoptata redit integritas.

EPICRISIS.

A præpostero balneorum adstringentium usu pessimorum symptomatum productam fuisse syndromem, extra omnem quidem positum est controversiam; placet tamen in meliorem hujus rei confirmationem similem fere casum allegare GALENI, qui de præcognit. ad posthum. elegantem prodidit, uxori Boethi, fluore albo laboranti ex adstringentium usu ventrem ita intumuisse, ut utero gerentis suspicionem subjerit. Plures ejusmodi sat memorabiles observationes existant in M. N. C. ann. II. Dec. I. obs. XXVI. & ann. VI. obs. 103. quæ dignæ sunt, ut probe annotentur. Subsistunt enim hac ratione non modo in uteri, verum etiam in partium ipsi vicinarum vasis humores excernendi atque mora viscidiores tenacioresque redditi, intercipiendo liberum sanguinis circulum variasque congestiones & impetuosos motus ad certas partes efficiendo, omnes corporis functiones valde turbant & symptomata accrescent gravissima. Omnis itaque opera & cura medentis in eo maxime est defigenda, ut dissoluta fluxiorique redita tenaci obstruente materia, ejus

per uterum exitus promoveatur. Cui scopo obrinendo præscripta nostra methodo remedia egregie inservierunt.

OBSERVATIO IV.

Juvenis viginti annorum, temporamenti phlegmatici, crassiori diæta^{stagea}, & sedentiaris vita^{arisi in} addictus, vehe^{testini} mente in dextri lateris dolorem ex imo^{celi stan} abdomen ad superiora adscendentem, præsertim a cibis, quos in delicis habebat, flatulentis, ultra anni spatiū persensit, multaque ad eum compescendum adhibuit sine effectu remedia. Ego consultus, omnibus rite exploratis in regione inguinali dextri lateris circa os ilei tumorem annotavi sat magnum; unde consilium dedi, ut huic loco emplastrum imponeret ex terebinthina veneta, mastiche, cera & balsamo Peruviano conflatum, idque bis in hebdomade renovaret. Intra prandium dedi elixir meum viscerale balsamicum cum essentia Zedoariae & liquo anodino minerali remixtum & pilulas balsamicas bis intra septimanam sumendas suasi. Et hac ratione intra duos menses inflatio ista detumuit tandemque penitus æger convalesuit.

EPICRISIS.

Nihil dubii est, quin in præsenti affectu intestinum colon in ea parte, ubi a cœco prodiens magnis valvis, membranisque & nervis robustioribus eo fine instructum est, ut excrementis sursum pellendis capax sit, atonia labrassæ, qua factum est, ut fæces retentæ diutiori mora in flatus se explicaverint, qui reliquam coli portionem, ad hepatis viscus anfractuoso ductu procedentem ita inflarunt, ut exterius quoque tumorem observare licuerit. Quod vero si incidit, ea omnino remedia adhibere consultum est, quæ flatus & accumulatas in intestinis fordes blande evacuandi & simul robordandi virute pollent. Quo nomine pilulæ

pilulae nostræ balsamicæ & ad eandem methodum paratae alia cum elixiris temperatis stomachicis insignem merentur commendationem. Sed interna hæc medicamina externis debent secundari, a quibus non exiguum felicis curationis pendet momentum, ita prorsus, ut his sepositis supervacaneus saepe sit otium, etiam optimorum internorum usus.

OBSERVATIO V.

*Colles
flatulenta
ta cum
salivatio
rara &
fogula
st.*

Judæus sexaginta & aliquos annorum, bene alias valens & robustus, per biennium ob varios fortunæ infestos casus animo-perturbatus male habuit. Nam subinde de flatulenta abdominis & hypochondriorum distensione, alvo adstricta, somno inquieto, & languente appetitu conquerebatur, urinam per intervalla turbidam & sabulosam cum ardore mingens. Hic cum caussam coram judice amitteret, gravi animi affectu commotus, mox in brumali gelu iter conficiebat plurium milliarium, quo fiebat, ut domum reversus summa praecordiorum anxietate, pectoris oppressione, dolore circa cordis scrobiculum tensivo, insigni totius corporis languore, nausea & subinde vomitionibus vehementer coriperetur. Qui primo accersiebatur medicis, audacter curam adgrediebatur essentiis stomachicis & carminatibus, sed mirum inde singula increscabant symptomata. Quum itaque meum æger postularet consilium, ego caussam horum malorum curatius inquirens, in primo intestino, quod duodenum vocatur, ipsoque pyloro vitium latitare exinde argumentabam, quia continuo æger querebatur, quod ingesta, præseritum solidioris consistentia, ob angustiam, quæ transistum impediret, difficileiter descenderent, & inde ad superiora cum anxietate & vomendi conatu fieret regurgitatio. Præterea abdomen flatibus valde erat turgidum, alitus adstricta, soranus paucus & inter-

ruptus, tantaque virium & corporis languescentia cum faucium ariditate aderat, ut non parum periculi in tam fontico affectu & ætate jam provectiori suspiceret. His ita constitutis ægrotanti potionibus analepticis, jufelis cum canceris fluvialibus & radicibus aperientibus decoctis, pulveribusque leniter nitrosis prospiciebam, & clysteribus emollientibus ventrem apertum fervare expediebam, eo quod solventia medicamina dejectæ vires non admittebant. Et enī non parum inde levaminis percipiebat. At vero, quum per quatuor menses hisce malis consuetatus nondum restitutus se penitus videret, aliis vocabatur medicus, qui per medicamentum, quod & sudorem proliceret & spasmodum sisteret, certissimam promittebat opem. Erat autem ita compositum: recipe cinnabaris, antimonii diaphoretici ana drachmas tres, salis volatilis cornu cervi, croci, castorei ana drachmam unam, misce dividatur in octo doses & singulis quatuor horis una sumatur. Sed a quatuor sumitis anxietates invalescerent, & largus subsequetur salivæ fluxus. Impeditis faucibus illæ tota aphthis ardentibus & dolentibus erant refertæ. Durabat hæc salivatio multis remediis allevanda usque ad mortem, quæ terria septimana ab adsumto remedio accedebat.

EPICRISIS.

Quod si veram hujus malis pessimumque symptomatum originem scrutari velimus, certe vix aliam, quam vehementem iracundiam affectum corporisque refrigerationem deprehendere licet. Tal enim ratione obortus in duodeno spasmus adnexum pylorum vehementer constrinxit, & ita angustavit, ut nullus prope flatibus & ventriculo patuerit exitus, unde hic supremum distentus ingenti praecordiorum anxietati, inquietudini & reliquis symptomatis ansam præbuit largissimam.

Nec

Nec dubitandum, quin intempestivus medicaminum calidiorum usus anxietates permultum adauxerit, utpote quæ occlusis excretoris viis semper magis obsunt, quam proflunt. Cæterum dignus est, qui probe annotetur peculiaris plane pulveris oblati effectus, quem ego, pharmacopæi errorum accusandum ratus, vix credidisse, nisi facta inquisitione hunc omnino culpa vacuum deprehendissem. Sar graves igitur erant rationes, quæ mihi fidem faciebant, tam largam salivationem in corpore vehementibus spasmis ab effusa bile exagitato, soli cinnabari, in largiori dosi præscriptæ & per admixtum sal volatile cornu cervi ad majorem activitatis gradum adactæ esse adscribendam, ut inde discere omnino liceat, quod sinistri sepe effectus ab optimo alias medicamento præter spem ac opinionem nostram proveniant.

OBSERVATIO VI.

Praffo, flaminis, ta cum barborum gnis. Vir triginta annorum, sacerdotali munere fungens tribus abhinc annis, quum in academia degens Belgica ci- bis uteretur crassioribus & piscibus marini, neglectoque potu & sufficienti corporis exercitatione, litterarum studiis cum profundis meditationibus junctis plus justo incumberet, graves primum sensit ventriculi & intestinorum inflationes, murmura, flatuumque & aquarum in abdomine fluctuationes satis sonoras, quæ plerumque a prandio & adsumto Theæ vel cerevisæ potu sub vita motus experte augmentabatur. Idem observabat, quando profundioribus meditationibus mentem defatigabat, cum contra a fuscepta exercitatione & ructuum per os explosione insigne mali perciperet levamentum. Præterea alvus plerumque bene respondebat, ciborum tamen adpetentia languebat, caput vertigine & aurium fufurru tentabatur, facies erat pallida, totumque corpus marcore conficiebatur. His malis debellan-

dis varia æger opposuerat remedia, sed omnibus nihil proficiens, meam tandem implorabat opem. Consilium igitur dedi, ut primo omnium e vena pedis tusa sex minimum croris uncias detrahendas curet & aliquot diebus interjectis, ad primam regionem a cruditatibus viscidis, flatuum genericibus repurgandam, per tres dies fontem Sedlicensem duarum librarum pondere pro dosi biberet. Paruit æger consilio & inde melius habere ecepit. Ad malum itaque penitus submovendum bis in septimana primam regionem a viscidis cruditatibus beneficio pilularum balsamicarum liberandam & elixir nostrum balsamicum per sat longum tempus sumendum suasi. Denique, quum ad curationem tam molesti affectus accuratum vitæ regimen plurimum conferat, frequentiore corporis exercitationem, & ut æger a nimis meditationibus, ac cibis, qui difficilioris sunt solutionis, infumatis, piscibus marinis, fructibus leguminosis, fermentationem facile lubeuntibus, omnibusque lacticiniis se abstineret, commendavi.

EPICRISIS.

Licet hæc flatulentia effectus magis & symptoma sit mali hypochondriaci, quam primarius morbus, ideoque hoc strictim non pertinere videatur, discere tamen potest attentus medicus, quantum, si non omne, ad morbi flatuenti generationem contribuat motus intestinalis peristaltici imbecillitas, variis ex causis inducta; quas inter in præsentí ægroto præcipue referre decet intensiores mentis labores per multas noctes productos: utpote nimia mentis fatigatio eximiam habet potentiam canalem istum, qui digestioni præst, nerveum & valde sensibilem debilitandi, quod eo magis accedit, si vita motus expers & ciborum duriorum ac flatulentorum usus accesserit. Quoad curationem scire licet,

licet, quod fontes medicati tam thermales quam frigidiborboros & murmura ventris sape augeant, præsertim si non alvum sufficienter ducent, nec urinam moveant, ut sunt Wildungenses & Selterani &c. Tum enim ob languidiorum motum peristalticum facile stagnant, & atoniā augent. Confultius itaque duxi, solum Sedlicensem, interpositis & subiunctis balsamicis stomachicis medicamentis, commendare.

C A P U T . XVI.

*DE CACHEXIA UTERINA ,
SIVE FLUORE ALBO.*

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*Fluor
albi
quid sit?* **Q**ui fluoris albi nomine in scholis medicorum venit adfectus seminasque summe molestat & cruciatur, malum est cachecticum, quod inordinatum humoris impuri, mucus, plerumque albi ex muliebris effluxu cum magno incommodo functionumque naturalium lassione juncto consistit.

§. II.

*Quod
lib: &
præ-
pue-
vidat.* **H**uic fluxui quamvis ætas plerumque consistens sit obnoxia, minime tamen declivior est excludenda, id quod suo jam tempore optime annotavit **HIPPONCRATES lib. II. de morbis mulierum.** At vero dantur etiam observationes, ut rariores, quæ testantur, puellas teneriores vix sex septemve annos natas hunc fluorem fuisse perpessas. Qua de re consularunt **FERNELIUS lib. VI. Pathol. cap. XIV.** **RODERICUS a CASTRO lib. I. morb. mulier. cap. XIV.** & **Acta Haffniens. Vol. I. obs. 83.** Frequentius vero evenit & incipit hic fluxus circa annum decimum tertium vel quartum, quo tempore foeminitas menstrua erum-

pere solent. Nec maritæ tam intra quam extra graviditatis statum ab eo sint immunes. Novimus enim gravidas toto gestationis tempore eidem obnoxias. Quodsi denique habitum corporis respicimus, experientia teste, feminas & nervis & fibris minus solidis sed laxioribus & natura, ut ajunt, serosiori prædictas præ aliis huic malo obseruamus subjectas.

§. III.

Inordinatus dicitur fluxus, quia non certam servat temporis periodum; *Quare
dicitur
inordi-
natus.* siquidem aliis continuus est & quotidianus, in aliis per intervalla repetens *natas.* bis terve in mense accedit; licet sint exempla, ubi etiam periodice & statim quasi tempore venit. Dein in nonnullis menstruam fluxum modo præcedit, modo comitantur, modo sequitur, vel etiam intermedio tempore prodit; quinimo in graviori statu ipsorum mensium loco oritur & ne illis quidem, quibus menstruorum tempus secundum naturæ ordinem præterit, ut vetulis parcit.

§. IV.

Variat hic fluor quoad colorem & *Quoad
coloram
& consi-
stentia.* stravit **PLATERUS in prax. tom. III. p. 670.** in hoc fluore, inquit, humor differt. interdum serofus copiose plerumque, nunc limpidus sine morsu, nunc acris vel falsus, alias flavescens, virescens, aut nigricans nonnihil, aliquando *&* saniosus, interdum inodorus, alias foetidus ei copulatur. **H**uic pituitosus etiam miscetur aliquantum glutinosus, inodorus *&* frigidus pauciore, vel eadem, aut etiam majore quam serum quantitate.

§. V.

Huic fluori, si moderate se habeat, *Est vel
moderata
acciden-
tia.* nulla alia graviora superveniunt accidentia, atque tam mulieres quam virgines multis saepe mensibus vel etiam annis sine noxa eundem perferte solent. Quodsi vero immoderatio sit, tum malus corporis habitus seu cachexia eum comitantur; unde non modo insignis oritur corporis languor & fun-

ctio.

Aionum imbecillitas, sed & prauitus, mordatio & ardor in pudendo & circa illud diveuant. Tum quoque in plerisque mulieribus permagnata, in aliquibus tamen nullum in conceptu sentitur impedimentum, atque si foetat materia, turpitudo haec non modo iplis feminis molestiam, sed maritis quoque fastidium, ut ab ipsarum conlortio abstineant, parit.

§. VI.

*A causa
ab initio
param
differe
pi incre-
scit.*

Quod noster adfectus multum cum cachexia alat affinitatis, eleganter ostendit HIPPocrates lib. II. de morb. mulierum §. 9. fluxus, inquit, albus fuit velut alba asini urina & in facie sunt tumores albi & partes ambe sub oculis tument & hydropiformes ac non valde bona specie prædicti sunt oculi & color corporis albidos, & venter imus tumidus & in cruribus tumores laxi, & si presseris digito nota imprimitur & stomachi morsus percipiunt, dum jejuna fuerint vel etiam vomuerint velut acidam aquam & si accutem locum procedunt, anhelatio corrigit, crurum perfrigeratio, genuum impotentia, uterus prater rationem appetitur & ad osculum proeedit gravis. Tales difficile est a morbo liberare. Minime haec Hippocratis adserita de fluore albo, moderato, incipiente, sed potius de pertinaci chronico, qui primam caussam & fontem suum in malo & tam quoad solidas quam fluidas partes depravato corporis habitu, præcipue omnium vero in magna ventriculi imbecillitate habet, sunt intelligenda. Nam quia fluidum illud chylosum & lymphaticum temperamentum subtile, quod solidis partibus vires & robur conciliat, nimium simul per vias devias uteri decedit, fieri omnino non potest, quin virtus solida & systalica cordis & arteriarum, atque peristalica ventriculi & intestinalium immunitur, uade languor & magna vitium prostratio sequitur, & vi digestrice ventriculi deperdita, crudi & viscidii succi in massam sanguinis delati atque accumulati nutritionem non

modo & pulchritudinem faciei viviant, sed & animi vigorem demunt, & tristitiam inducunt.

§. VII.

Sedes hujus mali omnino est uterus, *Sedē
cojus anatomicam fabricam, & potis
mali est
uterus.* simam ejus vasorum structuram accuratori paulo consideratione dignam existimo. Et primo quidem tenendum est, nullam in universo corpore partem tam numerosa vasorum copia instructam esse, quam ipsum uterum. Ex his enim primæ sunt arteriae & venæ spermaticæ, quæ ovaria continent, ac in fundum uteri copiosissimis ramificationibus feruntur. Deinde rami arteriae & venæ hypogastricæ ad partem medianam & inferiorem uteri, nec non vaginali excurrunt. Haec largissime per uteri corpus disseminata sanguifera vasa, mirum tortuoso ac serpentino quasi flexu discurrent. Id vero peculiare sibi servat exquisita vasorum uteri per anastomoses' connexionem, quod in plurimas cellulas mutuo communicantes diversæ magnitudinis canalium alvei definant, & cellulas ovalis figuræ forment, quæ substantiam ipsius uteri spongiosam & fungosam reddit. Notandum insuper est, quod non modo hypogastricæ venæ, quæ sanguinem revehunt, dimidio majorem capacitatem obtineant, quam arteriae hypogastricæ, verum etiam, quod vene sic dictæ spermaticæ non recto sed anfractuoso admundum & in orbem quasi recurvo ductu porrigitur, ita prorsus, ut si easdem extricare, earumque longitudinem supputare velimus, aliquot ulnas æquarent, arteriasque spermaticas longe superarent.

§. VIII.

Ex plane peculiari jam exposita vasorum uteri structura luculenter patet, *Ratio
formæ
vasorum
utriusque.* tardè uique ac segniter per venas has, præsternim valvulis desitutas, sanguinis cursum & circulum succedere, ut adeo ex hac theoria anatomica, seu fundamento, & mensum fluxus, & vitia omnia, quæ ex utero contingunt mulier.

muleribus, commode possint explicari. Qua propter nunc etiam ex hisce perspicua erit ratio, quare virgines & que ac conjugata tam frequenti tamque diurno & molestissimo seri, variæ consistentiae, variique coloris ex utero & ejes vagina profluvio divergentur. Nam quia tonus & motus uteri, qui æquabilis fibrarum ejus constructione & remissione continetur, tam facile leditur, debilitatur & dejectur, prætereaque tardus admodum per circumflexa, & in serpentinos ductus porrecta uterina vasa sanguinis & humorum cursus, lentiò quoque sanguinis per venas valvulis destrictis regresus est; perfacile utique non soluvi infarctus & stagnationes sanguinis ac serpi in matrice oboriuntur, sed ingle etiam serosus & lymphaticus humor, segniori progressu lentescens, tandem exitum sibi parat, ac per passim in utero & vagina obvia orificia effunditur. Communis quidem plurimorum auctorum est sententia: ex lacunis GRAAFII, sive foveis circa urethram conspicuis, & parvis ibi consistentibus glandulis, humorem hunc excerni, ac in his lacunis, nullum quod setam admittat, foramen facile reperire licet, sed potius ad utrumque latus orificii, & per totam vaginae substantiam lacunæ apparent plures, quæ quamfacile setæ ad digitii dimidium aditum concedant, earumque ductus prelli liquorē, semini haud dissimilem plorant. Vid. Cel. HEISTERI compend. anat. pag. 81. & 82.

§. IX.

*Eaque
bus viti
in utero
proveni-
tia.* Verum enim vero, ut relaxatae hæ glandulae stillare possint humorem paulo copiosorem; neutiquam tamen hæ ipsæ unicam & genuinam fluoris albi fedem constituunt, sed longe plures dantur meatus, e quibus materia fluoris albi, nec non liquoris serosi impuri, in puerperis, cum & post lociorum fluxum manantis, ortum trahit. Et licet RUY SCHIUS glandulas in utero unquam vias esse, aut demonstrari posse neget, nullum ta-

men dubium est, quin ex ipsis ostioliis quæ sub mensum fluxu sanguineum fundunt, serum etiam exitum moliri possit. Per quam enim notatu digna est Cel. FANTONI anat. C. H. pag. 186. observatio, qua fidem facit, quod flatus per venas uteri in cavum matricis & vaginae, ac vicissim ex hoc in venas adigi possit atque transmitti. Deinde etiam teste GRAAFIO & HORNIO pori & foraminula in cervice uteri conspiciuntur. Neque præterea sunt quæ VERHEYEN in Anat. C. H. cap. 33. o. f. tab. XVII. fig. 2. 3. prodidit, quod scilicet in utero, in aqua mactato, & per aliquod temporis spatiū in blando calore detento, in interiori non modo vaginae superficie, plurima corpuscula globosa, & alibi quidem racematis ipsi inherentia, alibi vero per eam disseminata, sed in inferiori quoque parte cavitatis uteri, similia corpuscula viscerit, eademque pro glandulis, seroso-pituitosis humoris secretioni inservientibus non inmerito habenda esse existimet.

§. X.

Nil itaque est dubii, quin per eadem vasa, vias & poros fluxus materiarum mucidæ contingat, e quibus ipse menstruus sanguis fertur. Atque hujus adserti evidens argumentum est, quod mensibus suppressis fluor albus in quibusdam loco horum superveniens observetur. Quod autem revera loco sanguinis albus liquor, unde etiam nomen morbus obtinet, proveniat, ea de re elegantem observationem habet SEVERINUS PLINEUS de notis virginitat. lib. I. problem. III. qui in dissectis cadaveribus virginum & mulierum uteri profluvio albo, dum viverent, laborantium, licet ob aliud morbum extinctarum, humorem limpidissimum in utero inventit, ex cavitate ejusdem guttatin in sinus pudoris stillantem, in quo candorem, ut calcem aqua dissolutam dixisses, acquirebat, forsan ab aere frigido admisso particulis serosi se interponente, non excluso tamen

acore, a glandulis uteri forsitan profecto.

§. XI.

Causa Quum igitur causa fluoris albi proxima recte in tono fibrarum & vasorum uteri destructo & circulatione sanguinis per ejus vasa impeditiori, *media-* *materiæ* *fluminis* *sanguini* *suppon-* *ditant.* *qua* serum a sanguine sequestratur, reponenda sit, sequitur jam, ut dispiaciamus, quænam ex causis mediatis remotoribus ad constituendam hanc proximam causam conspirent atque concurrant. Jam vero a nulla re magis, quam ab aere frigido & humido tonus fibrarum relaxatur; hinc facile patet ratio, quare tempore autumnali & in locis frigidis ac humidis, paludosis, humilioribus, vappidis, quæ aer purus & septentrionalis flatu suo non latis purgare potest, hic morbus inter feminas præcipue dominatur, & teste SYLVIO in præxi lib. III. cap. IV. in Belgio longe frequentior sit quam alibi, maxime si error in cibo & potu accesserit. Nam omnes illi cibi, qui ob viscositatem minus resolubilem digestioni minus obsecundant, ut sunt leguminosa, lacticinia, farinacea, nimis dulcia, item ex cibis marinis cochlearia, ostrea, pisces palustres, neque minus fructus horæ in copia adlumti, omnia acida, acetaria, dum chylum progernerant glutinosum & crudum, qui ad assimilacionem & nutritionem plane inidoneus est, hunc fluxum multum fovent & augent. Idque eo magis accidit, si nimia voracitas in puellis vel etiam infantibus accedat. Deinde quoque experientia firma & fere quotidiana observamus, mulieres quæ otio, vita sedentaria, & somno nimis indulgent, longe facilius sibi hæcce incommoda accersere, quam illas, quæ labore & motu corpus firmant. Quam obrem etiam agrestes minus exposita sunt huic fluxui quam urbanæ, quæ ob motum & laborem constantiori fruuntur sanitatem.

§. XII.

Ceterum quoque id sciendum est, *Quod* *amplius* *obendi-* *ter* eas mulieres, quibus per nares mucosæ destillationes frequentiores fuerunt, si supprimuntur, facta metastasi ad uterum, humoris albi ex utero emanationi valde esse obnoxias. Maxime omnium vero id evenit, quando fluxus menstruus recto ordine & decenti quantitate non succedit. Nam ab eo tempore confessim incipit vacillare sanitas, vasa impuris humoribus implentur & principium sit cachezia.

§. XIII.

Exposuimus jam eas caussas, quæ crudorum humorum abundantiam corpori ingenerant & materiam molestissimo huic fluxui suppeditant. *Causa* *media-* *uternis* *ad flu-* Nunc etiam ad eas considerandas progressimur, quæ ipsum uterum, ceu sponte veram hujus mali sedem ad illum disponunt. Cujus generis præcipue sunt, quæ nimium relaxando vasa & fibras uteri, ipsum robur tonicum adimunt: quo vacillante & deficiente sanguinis & humorum massa per vas tot copiosa & convoluta lentiori & impeditiori cursu feratur necesse est, unde quam facile sit seri viscidii per pores uteri secessio. Hinc etiam observamus, in maritatis partus laboriosos, a quibus magna utero conciliatur imbecillitas, frequentes abortiones, secundinarum improvidas & violentas post partum avulsiones sapissime primam huic malo originem & causam suppeditasse. Simili ratione observatum a nobis est, quod ex feminæ, quæ immodicæ raensium fluxioni sæpius obnoxiae sunt & quæ molas per abortum excernunt, eodem fluxu frequentius laborare. Namque hæc omnia nimiam indicant vasorum distensionem & relaxationem, quæ, nisi mature & tempestive convenientibus corroborantibus remedii tollatur & vasorum tonus reparetur, procedente tempore difficiili admodum negotio restituitur.

§. XIV.

§. XIV.

Differ- Plurimum vero refert, tum ad
eventum morbi recte dijudicandum,
tum ad rite instituendam ejus curatio-
nem, nostrum affectum ab aliis simi-
libus uteri fluoribus, cum quibus
quandam alit convenientiam, recte
discernere. Primum itaque non con-
fundi debet cum mensibus decoloribus,
quibus mulieres, præsertim juniores
sepe sunt obnoxiae; & licet ii sint vi-
tiosi, exacte tamen suam servant per-
iodum, quem contra fluor albus non
modo substantia & colore sit diversus,
sed & promiscue & sine ordine feratur
& cum inordinatis vel etiam nimium
fluentibus mensibus jungatur. Tum
quoque multum interest, album fluo-
rem a virulenta gonorrhœa, quæ ab
impuro coitu contracta est, distingue-
re: quippe miasma venereum non
prostatas solum glandulosas, verum
etiam vaginam uteri cum insigni do-
lore & molestia exulcerat, & viros,
qui coeunt, contagio inficit. Deinde
copia fluxus venerei longe minor est,
quam in fluore albo, tanto vero acrior
cum intenso ardore & dolore juncta,
& cum menses fluunt & urina fertur,
permanet, quum fluor albus vel men-
ses antecedat vel sequatur. Hinc clar.
BAGLIVUS in *prax. medic. lib. II.*
cap. VIII. §. 3. infallibile tales morbos
ab invicem distinguendi dedit signum:
Pete, dicit, a muliere, an tempore
mensum fluor ille albe materie adsit,
si dicat quod sic, significato eidem,
quod morbus, a quo divexus est, sit go-
norrhœa gallica; si vero durante men-
struatione fluor albus evanescat & ea-
dem finita denuo regrediatur, pro certo
habeas, mulierem fluore albo uterino
laborare.

§. XV.

Gono- Neque vero omnis saniosa materia
pro gonorrhœa virulenta & contagio-
sa habenda est. Nam interdum,
quamvis rarius, abscessus & ulceræ in
fœminis sterilibus gignuntur, quæ fi-
ne contagio sunt. Potest haec de re legi
CLASIUS in *obs. medicis rarioribus*

obs. IV. & V. de ulcere muscularum uteri
vagine vicinorum & utero purulento.
Deinceps quoque non omnis erosio &
exulceratio certum gonorrhœa puru-
lentæ præbet signum; siquidem in
fluore albo, & magis adhuc in scor-
buticis, seri vitium eo acrimoniae pro-
vehi potest, ut vicinas partes exedat
atque exulceret, sed hæc exulceratio
magis est superficialis & cum insigni
pruritu juncta, facilioremque admit-
tit sanationem. Verum, ut omnis er-
ror in dijudicando evitetur, consultum
duco per mulierculas, quæ omnes cir-
cumstantias accurate debent examina-
re, in veritatem inquirere.

§. XVI.

Denique ut etiam prognostica quæ *Progres-*
dam subjiciamus, statuimus, fluorem *fit.*
album, si moderatus, si recens atque
ex caussa externa subortus sit, non
adeo multum in recessu habere, atque
in sanis alioquin fœminis, aut virginis
bus per plures menses sine symptomati-
tum atrocia procedere. Nihilominus
tamen tarditate sua sexui delicatori
& munditiei dedito valde est incom-
modus & tædiosus, eo quod colorem
faciei roseum cum tempore inde amittunt,
nonnullæ valde inde tristantur
& melancholicæ fiunt, quia maritis
& sponsis exosæ evadunt. Alia vero
est ratio fluoris albi, qui ex summa
ventriculi imbecillitate & malo cor-
poris habitu oriundus nimium inva-
luit, aut alios graves morbos subse-
quitur, quippe qui, omnes partium
functiones laedendo, ingentem in uni-
verso corpore mutationem inducit;
oritur enim non raro summa macies
cum lenta febre & sterilitas quoque ina-
de emergit, uti jam dudum docuit
HIPPOCRATES *sect. V. aph. XLII.*
que prahumidos habent uteros, gravi-
dari nequeunt; extinguitur enim in
ipsis genitura. Et *lib. de sterilitate*: si
uteri lubrici fuerint, mulier non concipi-
pit, semen enim foras elabi sinunt.
Deinceps ex fluore albo diutius labo-
rantes facile & frequenter patiuntur
abortum, quia laxato nimium uteri
tono

tono conceptus non satis firmas radices agere potest, sed assidua illuvie corruptitur & foras ejicitur. Sequitur quoque ex hoc malo non raro uteri procedentia.

C U R A T I O.

§. I.

*Causa diffici-
loris
curatio-
nis.*

Quum valde pertinax sit, si rades egerit malum, & difficilis admodum curationis, ita prorsus, ut inter medicorum scandalum non immerito referri debeat; non abs re sed operae erit pretium, tam difficilis sanationis causas paullo accuratius inquirere. Ex quibus prima mihi videatur, quod medici proximam hujus morbi causam in sola tantum impuritate & nimia seri colluvie constituant, quem tamen potius ad uteri vitium, ubi mali sedes est, ejusque vasorum destructum tonum respicere deberent, non omisis iis remediis, quæ sordes expurgant. At certe præstantissimis roborantibas & magno negotio opus est, ad naturalem & valde deperditum utero vigorem reparandum, idque ob ingentem vasorum inter se complicatorum copiam & hinc dependentem segniorem sanguinis per ipsa transiunt, quo vasa & glandulæ nimis relaxatae tono suo defituuntur. Dein inter causas difficultioris sanationis & illud referendum esse puto, quod medici plerumque vel prorsus non, vel saltim levi admodum cura ad primam mali originem, quæ in summa ventriculi imbecillitate residet, respiciant. Quodsi enim digestio ciborum minus rite succedit, pravi accedunt, succi ad sanguinem, & eupepta quoque in biliosam vel pituitosam amurcam convertuntur, quæ fastidiosum vel pinguedinis rancidæ, vel dulcedinis quasi melleæ, vel acoris & nidoris senum ingignunt. Nisi itaque in prima statim regione vitium corrigitur, frustranea sunt, quæ ad sanguinem depurandum & humores vitiosos ex-

terminandos adhibentur remedia. Nec denique ex causis ægræ sanationis omittendum est, quod per naturam suam mulieres ita sint comparatae, ut rarius diæteticis medicorum præceptis obedient, sed ad ingenium suum viventes iis omnibus, quæ ad fluxum hunc proritandum facere possunt, ut sunt vita deses, fructuum dulcium, acidorum, farinaceorum & infusi quoque Coffeeabus, potio parcior & somnus longior, ventris & inferiorum partium refrigeratio, fumus calidus ex ignitis carbonibus hiemali tempore in naturalia admissus, nec non potus frigidus corpori æstuanti ingurgitatus, &c. nimium indulgeant: utpote quæ omnia sanitati sunt infesta; longe tandem majorem noxam eo tempore adferunt, quo jam uterus labem quandam, v.g. per partum, abortum vel alium gravorem morbum pergessum contraxit.

§. II.

Quod ad generales & curatorias at-
tinet indicationes, qua ratione istæ ^{Indicatio-} _{curato-} rias.

fint expedienda, paucis explicabo. Ante omnia prima regio, & universum corpus a nimia seri colluvie per congrua evacuantia & solennia naturæ emunctoria est liberandum. Deinde tonus & robur uteri deperditum præstantissimis tam internis, quam externis remediis debet restitui, quo facilior & expeditior sanguinis & humorum per ejus vasa fiat progressus, & inde molestæ pravorum humorum stagnationes ac secessiones pororumque & glandularum relaxationes tollantur, ac ulteriores avertantur. Post hæc ventriculi habenda estratio, quo boni succi ad sanguinem ferantur, qui vitiosos corrigan & bonos laudabiles, que amissos restituant. Denique, si malum gravius est & simul sachepticum, opera danda est, ut tota sanguinis & humorum massa in meliorem reducatur temperiem, excretiones naturales promoveantur & visceribus pristinum suum robur ac naturalis redetur functio.

§. III.

§. III.

Primo itaque studendum est, ut primæ viæ a lordibus excrementitiis repurgentur: quod tamen non per remedia valide commoventia ac purgantia, sed potius per benigna & mitiora, quæ repetita dosi data per epibibilia, crasim operantur, debet præstari. Atque in eo consentientes habeo peritiores artis nostræ antistites, e quorum numero vel unicuius allegasse sufficiat, doctissimum RIVERIUM, qui cent. III. obs. 81. testatur, se frustra tentatis aliis remedis, in prisana laxante certum ac fiduciam invenisse auxilium, eaque sola per meusum integrum usurpata melierem diuturno fluore albo laborantem sanasse; quod medicamentum in præxi lib. XV. cap. IV. rufus valde commendat. Ex omnibus vero laxantibus in hoc morbo proficuis certe eminent rhabarbarina, eo quod præter laxantem, etiam blande balsamicam & amaricantem reconducunt virtutem, quæ acidum vitiosum corrigit parteque simul dejectas egregie roberat. At vero ne seligatur rhabarbarum leve & cariosum, sed, quod optimum est, solidum, sincere moneo. Potest hoc medicamentum cum aliis appropriatis comode remisceri & vel in forma pulveris, vel infusi & decocti, vel etiam in extractum & essentiam redactum exhiberi. Pulvis ita componitur: recipe rhabarbari optimæ drachmam dimidiad, terræ foliatæ tartari grana XII. M. detur pro una dosi. Infusum utilissimum hoc modo est præparandum: recipe rhabarbari opt. drachmas sex, radicis zedoariæ, aristolech. rotundæ pimpinellæ, cort. aurantior. ana drachmas tres, seminis dauci, anisi stellati, salis tartari ana drachmam unam & dimidiad, M. F. species pro una vini mensura. Extractum optimè ingreditur pilulas, quæ laxantem & roborantem exserunt virtutem, si ita conficiuntur: Sumator extracti rhabarbari, aloës rosatæ, gummi galbasi, myrræ elect. gummi hede-

Tom. IV. Pars IV.

ræ, sandaracæ, extracti aristolechi rotundæ, succini portione anatica drachma una. Fiant cum essentia balsami Peruviani pilulæ ex scrupulo uno, no. XX.

§. IV.

Quando cachexia urget & ventricu-
li magna adest imbecillitas viscerum.
que laxitas, nunquam non præstan-
tissimæ deprehendi efficaciaz, quæ se-
quantur medicamina: Recipe croci
martis tenuissimi, sive antimonii
maritalis cachectici, fecula ari, sa-
lis absynthii, solution. oculor. cancer.
singulorum drachmam unam, corti-
cis cascarillæ, succini, cinnabaris,
ana drachmam dimidiad, olei ligni
sassafras guttas VL M. F. pulvis, qui
ad drachmam unam cum aqua vino
diluta mane potest exhiberi, cujus
tamen operatio longe conspectior erit,
si infusum Theiforme, ex herba mel-
lissæ, menthe, utticæ mortæ, sat-
viæ, semine dauci & aniso stellato
paratum superbibatur. Post hæc ad
robur uteri restituendum, neque mi-
nus ad amurcam dissolvendam & ex-
turbandam longe utilissimum erit hoc-
ce remedium: recipe essentiæ succini,
ligni aloes, tincturæ antimonii acris,
liquoris nostri mineralis, spiritus cor-
ni cervi ana unciam dimidiad, quod
ad guttas L. pro re nata cum infuso
Theiformi, vel vino diluto potest af-
sumi.

§. V.

Hactenus dicta certe sunt pulcherri-
ma & appropriata adversus nostrum ^{que pro-}
malum medicamina, sed opus etiam ^{sint ex-}
est, ut extensis eorum virtus secude-
tur, quæ inter diuturno usu compro-
bata laudem merentur balnea, cum
speciebus roborantibus, nervinis, sa-
le oleoso volatili refertis, præparata,
quarum cenulum subeunt herba maj-
oranæ, fatureiæ, thymi, melissæ, ca-
laminthæ, matricariae, abrotani, ori-
gani, rorismarini, hyssopi, flores cha-
momillæ romanæ, bacca lauri, juniperi,
&c. quæ includi debent sacculo
& per horæ dimidiad in aqua leniter

S 3 deco.

decogi. Talis sacculus dein, dum ægra balneo infidet, regioni uterinæ est imponendus. Nec extra balneum inconsultum est, sacculos ejusmodi tenuiores, in vino rubro leniter decoctos per noctem inguinali regioni applicare. Præterea quoque laudem externe merentur sulfatigia, quæ ex tacamahaca, mastiche, succino, benzoe & thure confici & ad uterum admitti commode possunt.

§. IV.

Dietœ. Quod ad diætam attinet, sub hac cura paucò, tenui & eucepto cibo opus est, abstinendo ab omnibus carnis, præsertim durioribus, pinguis, intumatis, plicibus marinis, neque minus a leguminosis, acidis & dulcibus, lacticiniis, farinaceis, & assatae carnes præferri debent. Pro potu ordinario commendamus decoctum ex radice chinæ, ligno sassafras, Santalo rubro & flavo, ligno lentisco & cinamomo. Vinum etiam bonum Hungaricum moderate inter cibos sumitum coctionis imbecillitati succurrat utilissime.

CAUTELÆ ET OBSERVATIO-
NES CLINICÆ.

§. I.

*Cres-
ad-
genia.* IN fluore albo, sive simplici, sive virulento, vel etiam in mensibus aequalibus, adtrimentiibus tam intermis quam externis nihil perniciens est; siquidem inde materia serosa in utero ejusque valsis retenta in massam sèpius valde tenacem concrescit, qua non modo excretio hæc impeditur, sed ingens quoque & ad tactum durus tumor in regione pubis non raro subnascitur, qui, nisi cito succurratur, nunquam fere non gravia accersit accidentia. Vidimus enim exinde lentas febres cum atrophia, phthisis, purpuracea exanthemata, tumores tympaniticos, & erodentes in fauibus defluxiones uvulam & amygdalas pessime adficienes, nec non uteri

scirrhos, apostemata & exulcerationes pene insanabiles.

§. II.

Pessi sive clysmata uterina sicuti ab antiquitate ipsoque Hippocrate in mulierum affectibus magno in pretio habita & in frequentiorem usu tracta fuerunt; ita mirum videtur, nostro tempore eorum ulum penitus in praxi medica penitus evanuisse, cum tamen in certis calibus & maxime, ubi substantia uteri læsa est, non sine insigni fructu eadem usurpari experientia doceat. Vidimus enim in fluore albo inveterato, qui difficulter alias sanabilis est, nec non in abscessibus & exulcerationibus peculiarem plane effectum. Nam sicuti gonorrhœa tam benigna quam maligna in viris non facile, si inveteravit, sine injectionibus sanari potest; ita etiam in fluore albo necesse est, ut ad partem graviter adfectam & læsam medicamenti accommodati virtus proxime accedat. In genere vero illud notandum arbitror, quod tales injectiones non simul ac semel & magna in quantitate, sed crebrius & in refracta portione ad uniam scilicet unam vel duas adhiberi debeant. Vitanda autem sunt omnia salsa, acria, nimis pinguis & lubrictantia.

§. III.

Thermæ Carolinæ ut ut in cachecti-
cis desideratissimam ferant opem, ni-
hil tamen secus ubi substantia uteri
nimium læsa est, & nimia feri fit pro-
fusio, multo vero magis, si fluor est
venereus & exulceratio præsens &
cum urina multum glutinis, quod
fundum petit, cum dolore fecedit,
caute cum iplis, sive interne sive ex-
terne adhibeantur, mercandum est.
Utpote hæ aquæ propter calcariam
subtiliorem, qua pollent, terram,
externe valde constringunt, interne
vero, si corruptio adsit, relaxatis &
exesis partibus ob nimiam copiam no-
cent. Melioris conditionis sunt fon-
tes, martiali principio imbuti, ut
Lauchstadienses & Freyewaldenses,
qui

qui cum herbis nervinis decocti, ad serum superfuum per transpirationem educendum, & adfluxum ab utero avertendum, efficacæ sunt præstansissimæ.

§. IV.

*Circa
menstru
flosma*
Sæpius observavi a menstruo fluxus per duos tres menses non ex gravitate, sed aliis caussis retento ingentem sanguinis profusionem obortam fuisse, quam postea fluor albus exceptit. Quare ad utrumque malum præcavendum venæ sectio, expensis prius omnibus circumstantiis, administrata est utilissima. Namque uteri vasa a nimia sanguinis copia distenta suum amittunt tonum ac robur, ut solennes ibi fiant stagnationes non tam facile removendæ.

§. V.

*Cinta
balnea*
Balnea ram siccæ quam humida ante convenientem corrington, roborantium & evacuantium usum adhibita tantum non semper majori solent esse detrimento quam emolumento. Nam impuros humores, nimium commovendo, ex ignobiliori fede ad nobiliorem sæpe non sine ingenti periculo appellunt. Balnea siccæ sive laconica, si a superfluo & excrementio humido corpus prius probe liberatum fuerit, in feminis phlegmaticis usum omnino habent laudatissimum, dum externo calore, sudorem elicendo, partibus ob excretam nimiam humiditatem relaxatis pristinum tonum exerto restituunt.

§. VI.

*Que pro
fini, fi
ventri
culus.
ordina
tibus.
statu.*
Si ventriculus, ut sæpe incidit, ingenti cruditarum sentia scatet, cum fructu iteratis vicibus offeruntur blanda emetica, ex quibus radix ipsecuannæ, quæ leniter roborat, & perspirationem adjuvat, omnibus reliquis est præferenda. Nec suo fructu defituitur elixir nostrum viscerale, cum essentia cascarillæ remixtum & inter cibos adsumptum.

§. VII.

*Circa
infimi
gia ob
servatio*
In inveterato fluore albo, si quid adhuc, cura finita, de fluido ex gen-

talibus extillat, præter jam dicta extra-
terna & interna, suffitus ex olibano, tacamahaca, mastiche & succino me-
rentur laudasi, quæ viæ ad uterum tendenti, commodo instrumento sunt applicanda: quodammodo enim rela-
xatas glandulas roborant.

§. VIII.

Quandocunque feminæ scorbuticæ, imo venereæ, vel que crebrius pur-
puram rubram patientur, hac fluxio-
ne perniciosa corripuntur, abstinen-
dum omnino est a calidioribus pur-
gantibus & balneis, sed mitissime sunt
primis temporibus tractandæ diapho-
reticis fixioribus, & ejusmodi medi-
camentis, quæ corruptioni lymphæ
maxime oblitunt. Ego igitur tali in
calu cum fructu adhibui pulverem no-
strum bezoardicum cum uno altero
sulphuris antimonii nostri grano ma-
ritatur, atque simul decoctum præ-
scripsi, quod solet in lue venerea ex
lignis & radicibus sanguinem depurantibus, addito antimonio crudo,
comparari. Et si corpus per mensem
& ultra ita fuerit præparatum, interna pariter ac externa cum meliori fru-
tu pro sanatione possunt adhiberi.

*E N A R R A T I O N E S
M O R B O R U M .*

O B S E R V A T I O I .

*P*Ervenereunt haud ita pridem ad *Fluor*
me doctissime celeberrimi Pari-*albus et c.*
ni medici & Archiatri Regii litteras, *allis*
quæ aceuramat morbi nostri cum mil-*malis*
le aliis malis complicati exponebant *compli-*
historiam, quam non possum non in-*tatu.*
tegre hinc transcribere. Nobilissima
matrona annos XXXV. nata, par-
tium omnium symmetria rite consti-
tuta, latoque satis pectore, sed a pa-
tre genita, qui phthisicus interiit,
ætatis anno XX. venereum luem a
marito contraxit, unde, brevi inter-
posito temporis spatio, hydrargyrosi
rite administrata optime convaluit.
Quinto vel sexto anno post ex peri-

pneumonia graviter ægrotavit, quæ in suppuratum versa est, & per ana-catharsin feliciter expurgata. Inde tamen quinque circiter abhinc annis variis coepit morbos symptomatis conflictari, quæ nunc sigillatim re-censenda veniunt, sed paucis, nam ut vulgari fertur axiomate, intelli-geni pauca.

I. Laborat ægrotans ventriculi im-beccilitate tam varia & sibi jam parum constante, ut modo rite appetat, & rite concoquat: modo appetat debilius, & ignavius quoque concoquat: plerumque appetat quidem satis bene, sed tam male concoquat, ut cibaria, etiam epepra, in biliosam amurcam, vel in piquitosos micos, quod ad maxi-nam partem, convertantur. Al-vus aliquando satis libera, pigrior ali- quando. Interdum nulla anxietae premitur stomachus, sèpius vero ali-quot post paucum horis inassueto pon-dere, quod ad cardialgiam proxime accedit, gravatur, & ægra fastidio-sum vel pinguedinis rancidæ, vel dul-cedinis quasi melleæ sensum experitur: numquam vero, vel rarissime saltet, acorem, nidoremve ullum empyreum-aticum.

II. Interdum, sed maxime dum instat catamenia, laborat ægra dolore in ovario dextro, dextroque uteri latere, qui non raro ad muliebria usque extenditur, sed subobscure, & qui levit præsentim si ægrotæ erecto corporis truncu aliquamdiu pedibus insistat, maxime statim a pastu. Ce-terum menstrua & ea, qua pars est quantitate, & stato, quo debent, tempore solent ut plurimum profluere, quasquam contigerit non semel, ut tardius segniusque manaverint. Ap-paret interdum fluor albus nec copia multus, nec colore aut acrimonia ullo modo vitiosus, qui menstruorum eruptionem antecedit vel subsequitur, sed quo nec erosionis, nec caloris ul-lus in, mullebris, sensus inducit. Matrona de qua quæstio est, peperit olim semel atque iterum ante contra-

stam luem venereum, sed parturio-fausta, partusque vitales fuere, atque optima sanitate etiam auctum fruuntur.

III. Quod nunc potissimum est, & de quo peritiam tuam postulamus, Vir illustr. en paucis accipe. Aegrotans ab eo tempore, quo ex peripneu-monia graviter decubuit, solita erat interdum e pulmone & ex illo pulmo-nis loco, ubi peripneumonia sedem habuit, exscreendo mane emitte-re, ter aut quater in mense, sputum unum vel alterum, spissum, rotundum, cineritii coloris, aquæ præponderans, sed non graveolens. Jam vero circiter ab uno mense drepente & absque sen-sibili quavis causa, tussiendo spuma ali-quot ejicit sanguinea, seu potius pi-tuitosa sanguine vivido & rutilante imbuta, vel striatim interspersa, quæ larga venæctione in brachio, bis in-tra horas sex repetita, celerrime & felicissime cohita sunt. Inde neque febre ulla, neque ullo spirandi labore, neque ulla omnino tussi ægra tentata-fuit, sed jam ab aliquot diebus queri-tur se experiri quandam doloris obscu-ri sensum in superiora & dextra thora-cis parte, e regione tertia vel quartæ costarum superiorum, scilicet in eo-dem loco, ubi olim latuit abscessus, in quem peripneumoniam degenerem-fuisse supra dictum est. Ab eo vero, tempore matutinis horis, ubi primum, expurgiscitur, unum alterumve sputum educit e pulmone, facillimo qui-dem nisi & fere sine tussi, sed quod plerumque cineritii, grisei, subfulvi coloris est, aquæ præponderat, laxe est & spissum, & ad puris concocti na-turam videtur paullo nimis accedere, si revera purulentum non sit. Ceterum ægrotæ febre, tussi, dyspnoea om-nino vacat, & in utrumque latus per-indé jacet sine noxa, etiam in situ cor-poris plane horizontali, qui nobili ma-trona connaturalis est. Notari autem, velim ægrotam, ante brevem illam hæmoptoëm, qua laboravit semel, ut modo dictum est, lacte vaccino per-duos aut tres menses usam fuisse semeli in.

in die: initio quidem solo, vel cum admixta aqua communi, sed minus feliciter, utpote quod ventriculo nostram inferebat: postea vero cum aqua Spadana ad medias partes addita, unde ventriculus melius quidem habuit, sed menstruorum fluxus tardior parciorque evasit, atque tussis quedam sicca & quasi convulsiva & hysterica per duos menses & agrotam pertinaciter cruciavit. Porro non omittendum censeo, tot tamque variis morboris symptomatibus, insultus quosdam hystericos, sed leviores, quos vapores vocant, interdum superadiici, maxime dum instant catamenia, aut a stata periodo paullo diutius cessant, quo tempore agrota de quadam pectoris angustia quasi spasmatica, de distractione mediastini & de continua ad tussiendum suspensione queri solet. Demum quamquam agrota medicis praescriptis obsequium non denegat, stomachus, sive natura, sive ex antiquo vivendi more, in concoquendis cibis ita varius illi est atque mutabilis, ut qui uno die proficere visi sunt, noceant sequente, uade evenit, ut habent diætae severioris interdum remittenda sint: siquidem experientia compertum est, quod & ab Hippocrate dictum tenet, cibos ab agrotantibus avide experitos felicius promittit & minore tumultu conficit, utcunque paulo magis dyspepti videantur, quam qui concoctu faciliores esse censerunt, si eos agrotæ palatum respuat. Est tamen modus indulgentiae nostræ, sunt certi denique fines, intra quos agrota, nec reluctans, se contineri facile patitur..

R E S P O N S I O C O N- S U L T A T O R I A.

Est omnino hæc adfectio inter graves, diurnas, curatuque difficiliores & eventu ancipites referenda. Totus enim corporis habitus tam quoad solidas & fluidas partes, quam quoad functiones, vitiatus videtur.

Pulmones in dextro latere cavitatem reconduant ulcerosam callositate obductam, quæ ex peripneumonia ante sex annos contracta, temporisque successu ita adaucta videtur, ut timor sit, ne in maiorem corruptionem & febrem hecticum calorem ex facilis transeat. In uteri quoque dextra regione non exigua delitescit labes & obstru-
ctio, quæ ingravescens mensium pariter negotiorum in ordine magis turbat, unde fluoris albi & pathematum spasmodicorum, seu hysterico-hypo-
chondriacorum origo, quæ, dum totum nervosarum partium systema in coensem rapiunt, quantas in ceconomia motuum vitalium excitent turbas, res artis perito non obscura, sed fatis clara ac evidens est. Foven-
tur autem & augentur singula hæc ma-
la, ut ego quidem arbitror, a vitiose ventriculi & primarum viarum im-
becillitate pravaque alimentorum di-
gestione, qua fieri solet, ut loco chyli probe temperati & subtilioris, qui materiam boni sanguinis, lymphæ nutritiæ & ienuissimi cerebri atque nervorum fluidi suppeditat, succi crudi, lenti & viscidi ad sanguinem delata minima emunctoriorum vascula, per qua optime fit chyli & san-
guinis depuratio, obstruant; unde ortus mali cachectici, quo primario Illustrissima nostra laborat. Quodsi itaque adhuc spes recuperanda sanitatis, vel mitiganda adversæ valetudinis superest, meo quidem judicio, initium curationis moliri oportet a restituendo ventriculi & primarum viarum robore ciborumque digestio-
ne promovenda. Ad quem scopum obtinendum primo omnium exquisita diæta vel accurrioris vitæ regi-
minis habenda erit ratio. Sicut enim apud feminas, quæ molliori & sensibili præditæ constitutione defidiæ, somno variisque generis edulis & animi adfectibus indulgent, malii cachectici, hysterici & hypochondriaci facilis fit proventus; ita etiam, nisi hæc omnia, quæ cauſam-

morbo dederunt antecedentem, rite submo veantur, supervacanea est omnis reliqua per medicamenta curatio. Quod ad ipsa remedia attinet, quæ nostræ ægrotanti existimem proficia, primo omnium suadrem, ut prima regio a sentina & illuvie vitiisorum humorum per lene & benignum emeticum expurgetur, exhibendo videlicet, prout ventriculus magis vel minus sensibilis est, scrupulum unum, vel grana XXIV. radieis ipecacuanæ. Hæc quippe radix sine omni noxa ventriculi & duodenii cavitatem a sordibus inibi hærentibus, quæ instar fermenti chylum inficiunt & contaminant, liberat, perspirationem simul egregie adjuvat, tonumque & robur ipsi partibus consiliat, ideoque pro circumstantiarum ratione bis vel ter tertio die potest iterari. Subiungenda postea sunt temperata balsamica, quæ digestionis negotium promovendo tonum ventriculi corroborat. Quo fine in usum trahi potest elixirium, quod cort. auarantiorum recent, uncia dimidia, extracti absynthii, gentianæ rubræ, cascariæ, myrrhæ electa ana drachma una, salis tartari drachmis tribus cum aqua menthae uncii octo compositum, vel solum vel cum quarta parte spiritus nitri dulcis aut liquoris nostri anodynæ remixtum ad LXXX. vel C. guttas intra prandium & quatuor horas post cum potu ordinario potest exhiberi. Hoc enim medicamentum, valde temperatum stomacho, pectori & utero est amicum, nec ullam insanguine excitat commotionem, sed ut ejus usus per longum tempus continuetur, necesse est. Posthæc commendarem, ut alternis diebus circa lecti introitum numero decem offerantur pilulæ, hujus compositionis: Rec. extracti rhabarbari, zedoar. myrrhæ, succini ana drachmam unam, extracti castorei scrupulum unum. M. F. cum essentia bals. peruviani pilulæ ex scrupulo uno no. XX. Postero die mane drachma dimidia pulveris leniter ape-

ritiviæ ex lap. canceror. irid. florent. ana drachmis duabus solution. ocul. cancer. cum succo citri, salis polychresti, nitri purif. ana drachma una conflati cum fructu erit sumenda, desuper bibendo. infusum. Theiforme, quod ex herba veron. melissæ, pulmonar. malulos. & aniso stellato potest componi. Pro potu ordinario, cuius summa est in diutinis affectionibus sanandis efficacia, suaderem decoctum radicis chinæ & sarsaparill. cum passulis, addita in fine coctionis cinnamomi portione acuatum & cum pauxillo vini inter cibos potissimum remiscendum. Cæterum moderationem in sanguinem mittendo plurimum commendabo. Vidi ex relatione ad præcavendam hæmoptoœn, intra sex horarum spatium bis largiter e. vena tusa sanguinem detractum; nolle tam in nostris regionibus, ubi sanguis non adeo ebullit, id imitari. Nam in fagine, nisi nimium exundet, virum latec thesaurus, qui si supra modum subtrahitur, minima viscerum concidunt & angustantur; unde non modo utilium succorum secretio & inutilium excretio imminuitur, sed & vis digestrix & tonica ventriculi & intestinorum mirum labefactatur, ut periculum sit, ne status cachecticus inde plus increbeat, quam decrebat. Idem sentiendum velim, in hoc morbi statu de cura lactis, quæ licet, si præsertim cum aquis mineralibus instruatur, in pectoris affectibus egregio sit solamint, in nostra, tamen ægrotanti ventriculum magis debilitare, mensum negotium retardare, quam proficere videtur. Et hæc sunt quæ circa Illustrissimæ personæ curationem vernalem proponere placuit.

OBSERVATIO II.

Illustri loco natæ feminæ, tringitæ annorum, constitutionis tenerioris, albus o. in loco degens mari vicino, vitæque mensæ sedentariae & cibis durioribus, ut pi scibus marinis, præsertim ostreis, stone adsueta,

adsueta, per annum sere, parcum & inordinatum mensum fluxum experita, jam albo tentatur fluore molestissimo, facies incipit pallescere, corpus marcescit & animus quoque ad tristitiam & metum nunc longe magis, quam antea pronus horrenda sibi fit, pericula, maxime quando matris, eodem affectu olim detenta, subit recordatio. Ne itaque malum majora sumat incrementa, meam & gra imploravit opem.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

Ventriculi imbecillitati & pravociborum digestioni ego præcipue omnium in hoc casu succurrendum ratus, primo blandiori emeticô, radice videlicet ipecacuanæ ad drachmam dimidiam cum deceem tartari vitriolati granis bis in septimana exhibita primam regionem a vitiosorum humorum faburra expurgandam soasi. Dein singulis hebdomadibus pilulas nostras balsamicas cum extracto rhubarbari mixtas capiendas commendavi, intermedio vero tempore vinum stomachale, egregiæ virtutis ad tres quatuorve uncias mane hauriendum imperavi, cuius hæc erat compositio: recipe radix zedoar. calami aromatici, enule ana unciam semis, herbae absynthii, rosmarini, marrubii albi, menthae, salviae, centaurii min. singulorum manip. unum, baccar. juniperi unciam unam. Concisa contusa infundantur in vini Canariensis mensura una & dimidia, calidoq[ue] loco reposantur. Coletur usus tempore & per mensem hæc cura continuetur, addito monito, ut corpus moderato motu frequentius exerceatur & cibi capiantur eopepti, abstinentia a victu duro & crassiori, cui oleracea, lacticinia, farinacea & acida jure debent adnumerari. Et hac medendi methodo ego affectum hunc recentem ex mala digestione ortum, nisi jam in

cachexiam degeneraverit, in aliquot feminis sanavis felicissime.

OBSERVATIO III.

Femina, triginta & aliquot annorum, macilenta, post abortum tertia vice passum, per annum & ultra ^{plus} _{albus} ^{post cræ} _{brisem} _{abortionis} fluore albo correpta fuit satis molestâ, mensibus inordinate & interdum largiter profluentibus. Ordinavi pilulas, quales in curatione prescripimus, balsamicas, circa tempus de cubitus per triduum devorandas, de super bibendo postero die mane vinum laxativum uterinum ad tres circiter uncias, isdem diebus immittendam iussi ægram balneo aquæ dulcis cum herbis roborantibus, sacculo inclusis decocta temporeque infessus saccum hunc inguinali regioni imponendum. Interjecto trium dierum intervallo pristinam curam per totidem dies repetendam suasi; idque rursus tertia vice, hac tantum caotela, ut sub quavis cura nova herbe pro balneo sumantur. Denique uterum thure, mastiche & succino incensis commendavi suffumigandum, rectamque viatæ rationem per longum adhuc tempus continuandam injunxi. Qua methodo, quum non modo per alvum, sed per uterum quoque ingens humorum sentina fuerit expurgata, optima hæc femina, sicut plures aliae pertinaci & molestissimo hoc affectu laborantes, pristinam recuperavit sanitatem.

EPICRISIS.

Quando auspicio succedere contumacis fluoris albi curatio debet, non satis est primam regionem & universum corpus a colluvie seri vitiōsi liberare, sed omnium maxime uteri habenda est ratio, ut is ipse nimis relaxatus & humorum viscidorum copia fartus roboretur, quod per balnea jam laudata, herbis nervinis & aromaticis efficacia redditâ expediri posset

est commodissime. Et quoniam plerumque sterilitas vitiosam ejusmodi uteri fluxionem comitatur, eadem hac methodo hæc ipsa potest tolli & exopratæ fœcunditas reddi.

OBSERVATIO IV.

Fluor Illustris matrona viginti septem annis cūnorum, constitutionis valde teneræ, *fluo-* & temperamenti sanguineo-phlegmatici, ante novem circiter annos post puerperium, lochiis cessantibus, molesto albæ viscidæque materie ex genitalibus profluvio cœpit laborare: quod inter initia, cum parum exinde percepitur incommodi, non adeo multum estimavit. At vero invalescente hoc malo, cum multa alia accederent symptomata, plures consuluit medicinæ peritos, quorum quidem ope se levataæ paululum vidit, penitus tamen liberari nunquam potuit. Jam brevi abhinc tempore fluxus tanta sumvit incrementa, ut non modo copiosior ex genitalibus feratur, sed &c., mensibus durantibus, non cesseret: unde vires valde decrescunt, atque pedum tanta est imbecillitas, ut vix viginti passus sine ingenti virium defectione progrexi agra possit. His accedit summa cutis sensibilitas; siquidem sub quavis fere aeris mutatione subito corripitur rheumatismo, cum cephalalgia, doloribus odontal-gicis & faciei erysipelate slipato. Haud ita pridem, accepto tristi de subita propinqui morte nuncio, vis morbi ita invaluit, ut nec extra lectum esse, nec somnum capere posset. Imo nunc quoque, per intervalla, quod pessimum est, frigus accedit, extremorumque tremor ac animi deliquium. Tam misere itaque adflicta ægrotans, meum requisivit per doctissimum Medicum consilium.

EPICRISIS CUM CONSILIO.

In praesenti hoc casu non tam ad fluorem album, quam potius ad ejus effectum seu statum cachectico-atrophicum summamque virium prostrationem respiciendum existimavi. Quam difficile autem sit, in tam depravato temporisque diuturnitate confirmato affectu convenienti medicina succurrere, abunde satis notum est. Si qua tamen recuperandæ salutis spes superest, ita curationem suscipiendam esse edixi. Primo omnium, injuncto accuratori vitæ regimine, usum elixirii nostri visceralis cum cibo bis de die ad LXXX. guttas commendavi. Dein curam præcripsi fontis Selterani cum tertia parte lactis asinini remixti, exhibendo per mensis spatium singulis diebus mane mensuram dimidiā & ultra. Omni triduo, ad moderandum fluorem uterini circa, decubitus dari jussi no. XI. pilularum balsamicarum; exteriorius vero succurrentum duxi suffumatio, & epithema ex aceto florum fimbriarum cum aqua reginæ Hungariae æquali portione remixto, inguinali regioni applicandum suasi.

OBSERVATIO V.

Femina viginti annos nata, constitutionis quoad corpus teneroris, *fluo-* quoad animum valde sensibilis, cibis *albus &* dulcibus, fructibusque horæs & la- *laborante.* *so per-* *ticiniis* pimium indulgens vitamque amans fudentariam, a primis adolescentiæ annis perpetuo fere visci muci per nares stillicidio laboravit. In conjugio primum gravida parta functa est admodum laborioso, idque propter paullo vehementiorem secundinarum extractionem, & inde obortum dolorem valde acutum. Neque dein lochiorum fluxus, ut debuit, successit, sed omnino fere substitutus; unde febrem incidit optima mulier *valde*

valde acutam, a qua tamen brevi post convaluit. Retinuit vero ab infelici hoc puerperio magnam uteri atoniam, & perpetuum fere seru albicantis & putridi ex sinu ejus profluvium, quod post mensum effluxum semper infestat gravius. His accedunt adhuc aliae rectae valetudinis lassiones: nam a frigore admisso, vel flatuento ciborum adsumto, aut a levi quadam animi commotione, dolore lumborum adficitur valde gravativo, macilenta in dies magis redditur, & vesperi inferiores pedum partes tumidae conspiciuntur. Durarunt singula haec mala per integrum sex menses, quare ne his pejora adhuc eveniant, meum maritus efflagitavit consilium.

EPICRISIS.

Meretur attentionem in praemissa morbi historia, quod humoris serosi ex muliebris profluxio violentum partum & vehementiorem secundinæ evulsionem exceperit, quale quid mihi in artis exercitio annotare licuit sappissime. Namque tali ratione non exigua utero inducitur lassio & atonia, quæ plerumque majorem languinis affluxum & decubitum post se trahit, quo fit, ut serum per poros & meatus nimis patulos secedat, & copiose non-nunquam ex pudendis promanet. Augetur vero hic fluxus circa tempus mensum, quia tunc majori nisu & copia sanguis ad uterum confluit, a quo major ejus relaxatio sequatur necesse est. Dolor lumborum, qui fere individuus diuturnioris albi profluxii comes est, sanguinis stagnationi & distensioni vasorum tam spermaticorum quam hypogastricorum, quæ sanguinem ad uterum vehunt & revehunt, debet adsignari. Namque difficiliori reddito languinis per uteri venas regresso, si ipse in vasis adducentibus accumulatur, eademque nimis distendendo partes adjacentes nervosas comprimit, unde doloris sensus. Quod curationem attinet, con-

silium dedi, ut per tres continuos dies pilularum mearum balsamicarum no. XV. circa decubitum, postero die vero mane dosis pulveris salino-nitrofi sumatur, idque aliquoties, interpositis semper aliquot diebus, repetaatur. Pro potu prescripti decoctum mastichinum cum pauxillo cinnamomi acuatum & inter cibos cum vino remixtum. Ad uterum roborandum exterius commendavi suffimigia ex sandaraca, mastiche, benzoe & cinnabari vulgari confecta, saepiusque inguinali regioni imponendos suast facculos herbis nervinis repletos & ex vino rubro coctos; interne vero eodem fine balsamum nostrum vitæ cum tintura tartari æquali portione remixtum cum infuso theiformi mane exhibere jussi. Quæ methodus, sub juncto simul accuratori vita regimine, opem attulit exoptatissimam.

OBSERVATIO VI.

Generosa femina, viginti & aliæ ^{Flor} quot annorum, temperamento ^{albus} prædita cholerico-melancholico, cui ^{en invra} primis pubertatis annis menses fluxerunt parciores & decolores, ante ^{dinato} midium fere anni circa menstruam periodum sat copioso muci albi ex muliebris vexatur profluvio; unde mille malorum circa id temporis origo. Nam subinde gravis capitidis dolor affligit, & exquisitum refrigerationis sensum, als menn ein Stud Eihs auf den Ropf lage, inducit. Flatus hypochondria moleste distendunt, alvus est adstricta, urina secedit pallida, transpiratio fere nulla est, & circa vesperam horror invadit febrilis: extrema frigent, appetitus languet, omnesque artus laxitudo & gravitas occupat. Ad expugnanda haec mala varia ægrotans adhibuit remedia, quæ tamen neglecto vita regimine, parum vel nihil attulerunt levaminis. Ego igitur consultus primo omnium accuratam dietam injunxi, & ut ægra a cibis crassio-

crassioribus, quos in deliciis habebat, sedulo abstineat, juscumque utatur tenuioribus cum radice ciehorei, petroselini, asparagi, graminis &c. decoctis; ad meliorem autem digestiōnē promovendam obtuli elixirium nostrum viscerale inter cibos adsumendum. Dein ad primas vias a cruditatibus & sordibus repurgandas, flatusque discutierendas clysteres emollientes & carminativos crebrius anno injici, & pilulas balsamicas ad Becheri mentem confectas, ter in septima- na circa decubitum adsumere jussi. Post harum usum sequenti die mane præscripsi pūlverem ex lapidibus caneror. nitro depurato, tartaro vitriolo, solutione oculorum cancri componendum, defuper bibendo vascula quædam infusi theiformis ex melissa turcica & citri corticibus conflati. Potus loco ordinavi sōntem Selteranum cum tertia parte vini Rhenani remi- tum, & circa instans mensium tem- pus pillulas balsamicas reiterare impe- ravi. Exterius succurrendum duxi suffimigis, & sacculis roborantibus inguinibus applicandis, nec non ve- nælectione ter in anno celebranda.

EPICRISIS.

Sistit hic easus fluorem album cum adfectu hypochondriaco -- hysterico complicatum, de quo copiosus fla- tuum in abdome proventus, perti- nax alvi obstructio, ciborum fasti- dium, extremonum refrigeratio, to- tius corporis languor, crebriores ca- pitis dolores cum horrore febrili abun- de satis testantur. Originem suam singula hac mala mutuare videntur a mensium fluxu valde inordinato, & quoad colorem vitiato, cui in ordi- nem redigendo omnis impendens est medentis labor. Docemur præterea ex hac morbi historia, quantum intersit, ut medicus conveniens vitæ victusque regimen præscribat, ita prorsus, ut hoc neglecto, frustranea-

sit omnis reliqua vel pretiosissima medicina.

Plura hinc inde legantur in Consult. & responsis nostris medicinal.

CAPUT XVII.

DE GONORRHœA BENIGNA
ET VIRULENT A.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Inter morbos ex atonia partium solidarum oriundos, referri adhuc *Gonorrhœa* meritoque debet *gonorrhœa*, quæ nihil aliud est, nisi involunta- *ribus* *definitio*. *rium* seminalis & liquoris semini analo- *gia* ex genitalibus sillicidium, a nimia vasorum semen adservantium par- tiumque adjacentium glandulosarum laxitate dependens.

§. II.

Difserit gonorrhœa a pollutione, in qua per intervalla vel breviora vel *Difserit.* longiora modo seminalis puri, modo pollu- *ta a stente.* cum sero chyloso mixti notabilis, ad stente. unam vel duas drachmas accedens quantitas noctu cum insomniis vene- reis & voluptate, interdiu ex pul- chrarum seminalium adspectu, vel post equitationem, ob nimiam ves- cularum seminalium vel glandularum prostatarum laxitatem lenemque irri- tationem simul & semel ejicitur.

§. III.

Gonorrhœa est vel benigna, vel *species* minus talis. Hæc dicitur, si cum ar- *est vel* dore, colore vario & exulceratione li- *benigna* quidum guttatum prodit, & plerum *vel mi-* que in cacochymicis, scorbuticis, vel *nitis*, etiam calculosis cum emissione urinæ dolorifica, ob acrimoniam, est con- junctum. Illa vero, seu benigna adesse dicitur, quando sine dolore, ardore, aut excoriatione liquidi æqualiter tinti & albantis fit pro- fluxus; atque hæc species cum fluore *albo*

albo mulierum, magnam alit convenientiam, utpote qui itidem nihil aliud est, quam materia chylosæ, ope glandulosa substantia uteri sequestrata excretio. Quam in rem legi meretur MASSARIAS, qui lib. IV. p. 267. ego, inquit, sentio, medicos frequenter hallucinari, qui opianuntur agrotos profusione seminis laborare, cum magis aliorum exrementorum fluzione labore. Siquidem videmus plurimis agrotis hoc profluvium multos annos perdurare, ex quo, profluente semine, necessarium fore, illos ad extremam maciem corporis consumtionem deduci, sicut illis solet contingere, qui immoderato coitu usuntur, quod tamen non videmus illis evenerit.

§. IV.

At vero, non modo ea gonorrhœa species, de qua Massaria firmo est, diutius protrahitur, sed & de reliquis plura notatu digna exstant exempla eorum, qui per multos annos utroque genitalium fluore laborarunt. Vid. BARTHOLINUS *historia XXXVI. centur. II.* ubi de *viro Bergonensi & Anat.* lib. I. cap. XXIII. p. 234. de Battavino mentionem facit, quorum ille per decem, hic per triginta annos gonorrhœam sustinuerat, ille virulenta, hic incertam, an benignam vel malignam. Manserat uterque coetera sanus, nisi quod prior ossibus vix harreret.

§. V.

Datur etiam gonorrhœa virulenta, quæ a contagio venereo suos repetit natales, eosque potissimum adscit, qui turpissima libidine incensi scorta sequuntur. Atque talis fluxus purulenta variisque coloris & consistentiarum materia, nec non summa virium imbecillitate se manifestat. Junguntur quoque, nisi cito occurratur, sat magni testium & glandularum inguinum tumores, ulceræ glandis & pretutii inflammatoria, & membra dolorifica incurvatio; & urina mingitur multis referta filamentis, quæ quasi

vermiculos representant. Si ingravescit malum vel inveteraverit, vel minus rite tractatum fuerit, miasma abit per vasa lymphatica ad sanguinem & fluidum tenuissimum sanguinis inquinat; unde venereæ luis prodent indicia, qualia sunt lancinantes capitum artuumque dolores noctu potissimum exacerbati, faucium ulcera, ossium nasi exesio, pustulae in glandulis cancri naturam æmulantes, macies universi corporis cum facie pallore, oculis concavis, tophis quoque & hujus generis aliis.

§. VI.

Hæc sunt generalia, quæ mali. ^{curatius} Hunc fluxum comitantur & exacti- decepti- p. tamen ejus historiam sequentibus tradi- deret. Statim aliquot horas post tam infelicem coitum fluxus leviter incipit, & dein tertio, quarto & sequentibus diebus ingravescit. Glans semine tenuiori incipit madere, postea alba quadam obducitur colluvie, & macula in inducio reperiuntur. Inter initia color materia profluentis est albicans, qui, si fluxus paullatim largior emanat, in flavum, & demum in viridem mutatur. Quando urina emititur, primo in glande tum in radice urethrae, demum per totum canalem dolor percipitur ardens & fere intolerabilis. Interdum continuus urget mingendi conatus, interdum nictio valde impeditur, & pene supprimitur, sine dubio ob molestissimam penis tensionem, que note ut plurimum cum magno cruciatu & duricie ingravescit, & tanta est, ut penis exinde incurvetur. Fræterea insignis ad venereum est stimulus, ut vix a coitu sibi laborantes temperare possint; & ulceræ quoque, ut supra dictum est, non raro in glande & præputio latitant foedissima.

§. VII.

Quod sedem affectam attinet, audiamus, quid de ea sentiant, auctores. ^{Sedes} GRÆFIUS in tractatu de viro- ^{gonor-} rum organis generationi dicatis, ipsam virilis- ⁱⁿ

in prostatis collocandam existimat . VESALIUS lib.V. anat. cap.XXI. de suspenso quodam & Batavii dissecto , qui ante suspendium involuntario seminis fluxu laboraverat , refert , habuisse eum omnes meatus , atque eos potissimum , qui ex testibus in deferentis semeni vasis revolutiones pertinent , apertos ac valde laxos , ideoque hos ipsos accusandoz putat . Nos tamen sat gravibus inducti rationibus statuimus , veram sedem in urethra tunica , copiosis glandulis , a COUPERO & LITTRIO detectis obsita , esse reponendam ; licet non negandum sit , si profundius malum , ut in gonorrhœa virulenta , proserpit , prostatas simul & vesiculas seminales contagio adisci . Id quod abunde satis testantur anatomicae sectiones eorum , qui per vitam suam tali fluxu diutius laborarunt . In his enim prostatas callosas , scirrhosas & exulceratas nonnunquam fuisse observatas abunde constat .

§. VIII.

Et ma- In feminis infectis ulcerulae prove*sterum.* niunt in glandoso corpore , sive in eo loco , ubi lacunæ circum & in meatus urinarii exitu collocantur , erumpunt . Testis est GRÆFIUS in tractatu de mulierum organis generationi dicatis , qui in cadavere mulieris hoc vitio inquinata dissecto , corpus glandulosum , sive prostatas urethrae circumpositas , utero ejusque vagina innoxias , male affectas ostendit . Et hinc patet ratio , quare feminæ , ut multa testantur exempla , fœtum in utero gerere possint insontem & tali labe prorsus non infectum . Alter tamen sentit PALMARIUS , qui in libro de lue venerea cap. IX. vesicæ collum adducit , ideo , quod ex ulcere cervicis vesicæ , a gonorrhœa curata residuo per totam vitam purulenta stillaverit materia , parum ab ea dissimilis , quæ in diuturna gonorrhœa a prostatis ex urethra ferri solet . Cæterum notandum , in mulieribus hoc malum non ita sèvire ac in viris , siquidem femi-

nas infectas diu vivere finit , cum viros contra , nisi curetur , ad lethum ducat .

§. IX.

Causa gonorrhœæ virulentæ utique *Causa* est miasma , ex impuro coitu cum se-gonorrœa vel gonorrhœa maligna , vel *lue* venerea infecta ad viri genitalia , & ejus & postea per poros ad lympham vel *matutini* liquorem seminalem translatum , cuius crassis mixtionemque naturalem plane destruit & dissolvit , partim causticam ac erodentem , partim putredinosam indolem inducendo , unde dolores , ardores , tumores , inflammations & exulcerationes genitalium suam mutuantur originem . Nam ita fere procedit hujus miasmatis multiplicatio , ut ab initio tantummodo glans inficiatur , dum contagium per poros apertos in coitu se insinuat , dein , nisi accommodata succurrat medicina , ad urethrae glandulas , tum ad prostatas porosas , demum ad ipsas vesiculas proserpit seminales . Si lympha infecta per lymphatica vasa , quæ COUPERUS a præputio ad inguina abeuntia demonstravit , glandulis communicatur inguinibus , tum bubo fit venereus , sive tumor durus lentus sensimque indolens . Si vero gonorrhœi profundior est , & circa initium urethrae , ubi seminales vesiculæ semen effundere solent , inflammatio oritur , tum hæc vascula a tumore comprimuntur , & semen ad has vesiculas deduci nequit ; unde testium tumor .

§. X.

In causa gonorrhœæ benignæ adi*Causa* gnanda , tum ipsius genitalis liquidi , genore tum vasorum seminalium toni , qui plerumque dejectos est , habenda est ratio . Et primo quidem , quod semen attinet , attentiori observatione cognitum perspectumque habemus , vel ob nimiam ejus abundantiam in subjectis plenis & in cœlibatu laute viventibus , vel ob ejus acrimoniam in subjectis cacochymicis , scorbuticis & arthriticis hunc fluxum non raro con-

contingere. Deinceps, si ad labefactatum organorum seminalium tonum respicimus, hanc utique a nemine in dubium vocari arbitrör; liquidem ea omnia, quæ insignem hæc vasa debilitandi potentiam obtinent momenta, quorum potissima sunt nimia seminis, sive per pollutiones, sive per crebriores coitus, vel foedam manustuprationem & gonorrhœam virulentam prægressam profusiones, ad gonorrhœam benignam etiam valde disponunt, idque eo magis in hominibus, qui temperamenti sunt phlegmatici & natura debiliores.

§. XI.

Progrediendum nunc erit ad suppeditandam gonorrhœam tam virulentam quam benignam prognosin. Utraque, si convenientibus tractatur remedii, brevi tollitur; cum contra, si invalescit & gravioribus stipatur symptomatibus, difficilis sanetur, & non modo viros reddit steriles, sed & progressu temporis ad cachexiam & hereticam tabem laborantes ducat. Speciatim vero de virulenta ita scire licet: quo major est infectionis gradus, eo gravior quoque ista est & rebellior; raro tamen haec venereum post se trahit, nisi incongrue per medicamenta sudorifera & adstringentia vel externe vel interne adhibita fluxus cohibeatur. Hoc enim suppresso mox bubones, scroti & testiculorum tumores, carunculae urethram obsidentes, & alia pessima symptomata cum ipsa venerea lue superyeniunt. Ipse fluxus quo facilius procedit, eo mitigatione sunt symptomata: pessimum contra est, si parce nimis extillat, & urina curu summo fætore mingitur slaveiens & viridis. Denique inter certa mitigati & in melius conversi malit signa referuntur, si dolorifica membra erecti constrictio & exquisitissimus in urethra sub inflectione ardoris sensus minuitur, depresso anteav vigore redire incipit, & ipsa facies ante pallida vividior redditur. Cūratæ vero gonorrhœæ indicium est, si li-

quoris limpidi ac tenuis, albumen ovi referentis una alterave guttula compressione penis evocatur. Gonorrhœa benigna sicut plerumque diutius protrahitur, medentique multum faccessit negotii; ita eo magis medicinæ resistit, si, ut særissime evenire solet, gonorrhœam virulentam excipit. Differunt tamen perinde ac homines differunt, quos invadit, ita e.g. eos longe diutius vexat, qui temporeamento sunt phlegmatici, & catarhalibus defluxionibus, alisque fluxibus in pueritia fuerunt obnoxii. Haec enim dum natura fibras obtinent laxiores, judicatur facillimum est, si qua parte atonia laborant, hanc longe esse graviorum, quam quidem in his, qui fibris robustioribus sunt praediti.

C U R A T I O.

§. I.

Quum gonorrhœa tam benigna quam virulenta ratione causâ difficulter inter se different, differentem quoque postulant medendi methodum. Utramque igitur seorsim expendamus, ordiendo a curatione benignæ. Hanc autem admodum esse arduam & laboriosam, in prognosi jam ostendimus, neque aliam hujus difficultatis causam agnoscimus, quam quod in hoc morbo ad partes affectas nimis debilitas & a tono suo dejectas, maxime in subjectis magna pravorum succorum colluvie scatentibus & dyscrasia scorbutica infectis, non secus quam ad fonticulum ex universo corpore humorum impurorum fiat adfluxus. Accedit adhuc, quod generationi inservientes partes, quæ in nostro affectu morbose adfliguntur, ex meritis nervis nervosisque tunicis sint conflatae, ad quas remediiorum energia experientia telle, penetrat difficultate.

§. II.

Indies. Absolvitur autem pertinacis hujus curatio mali his fere indicationibus. *curato-* Primo opus est, ut convenientibus laxantibus copia impuri seri, si in corpore abundant, evacuetur, & a parte affecta derivetur. Dein ut par-tes nimis relaxatae & flaccidae accom-modatis tum internis quam externis roborantibus medicamentis confor-tentur.

§. III.

Primum. Primæ indicationi satisfaciunt, *Indica-* quæ per epicrasin operantur laxantia: *glaucum* quo nomine commendari merentur *explicat*: pilula balsamicæ Becheri, & ad ejus *laxans* mentem confectæ Stahlii & nostræ, *sia.* quæ non modo alvum ducetid, sed & egregie roborandi possident efficaciam. Præterea utilissimum sæpe de-prehendi infusum laxans, ex sequen-tibus speciebus compositum. Recipe rhabarbari Alex, unciam unam, ra-dicis vincetoxici, pimpinellæ, rasu-ræ ligni sassafras ana unciam dimidi-*um*, fol. sennæ, agarici trochiscati, fibrarum hellebori nigri singulorum drachmas tres, cardamomi, cinnamomi, ana drachmas duas, passul. minor, uncias tres, tartari crudi unciam dimidiæ, M. C. C. D. S. Spe-cies, cum duabus vini Rhenani men-suris infundendæ. Dosis sit quarta pars mensuræ.

§. IV.

Quarto. Huic infuso per octo dierum spa-tium mane adsumto, ad explendam alteram indicationem, subjungen-tantibus est pulvis hic utilissimus: recipe ossis sepiæ unciam unam, corall. rubr. succini, spec. de hyacintho, cort. chaecarill. ana drachmas duas M. F. pulvis, cuius dosis ad drach-mam unam mane & circa noctem cum decocto tremoris hordæ amygdalino sumi potest. Eodem quoque tem-pore exterius regioni pubis & peri-næi, maxime per noctem adplican-dum suadeo sequens epithema: recip-e herbæ melissæ, menthæ, basil. flor. rosar. rubr. balaust. ana manip.

unum, cort. granat. caryophyllorum, nucistæ, cardamomi, mastichis ana unciam dimidiæ. M. F. species, quæ sacculo inclusæ in vino Gallico rubro coquendæ.

§. V.

Cum his invicem conjungendum *Dietæ* est accuratum regimen diæticum, *ratio.* quod ita debet institui. Primo om-nium abstinendum est ab omnibus ci-bis valde piperatis, aromatice, sali-tis, leguminosis & inflantibus, nec non ab immoderatori vini & cerevi-sæ potu. Evitetur quoque frequen-tior cum feminino sexu conversatio, evitetur veneris exercitium & sortior corporis motus, præsertim qui curru-fit vel equo. E contrario vero inter cibos commendanda sunt jucula ave-nacea cum vitello ovi, amygdalis & pistaceis præparata & in emulsionem redacta, quorum magna est ad acrimoniæ lymphæ saltae demulcendam efficacia. Convenit quoque pro potu adsumere decoctum ex radice scorzo-neræ, chinæ, santalo rubro, rasur. lign. sassafras, glyzyrrhiza & passulis conflatum.

§. VI.

Quodsi hæc minus sufficiunt, ego *Balneæ* ad malum, præsertim inveteratum tollendum, post horum usum cum fructu haec tenus commendare solitus sum balnea ex speciebus nervinis & roborantibus composita, quales sunt abrotanum, majorana, mentha, hyssopus, origanum, serpillum, rosmarinum & hujus census alia. Post balneum æger lecto se committat le-nem exspectando sudorem. Nec sine auspicio successu aliquoties usus sum fontibus Lauchstadiensis, balnei loco per aliquot septimanæ adhibitis, utpote quæ propter tenuissimum quem in sinu fovent, martis crocum insignem relaxatas partes roborandi possident virtutem.

§. VII.

Eadem curandi methodus locum que pro-invenit aptissimum in largioribus & fons in valde debilitantibus pollutionibus co-pollu-hiben.

hibendis, modo hæc obseretur cautio, quod purgantia ratius offerantur, siquidem, si alvum molientibus opus est, sola rhabarbarina & passiflora sufficiunt. Præter allata vero remedia in tali casu externe regioni lumbari, seu potius spinæ dorsali circa lumbos adPLICANDUM suadeo sequens emplastrum: recipe emplastrum spermatis ranar. uncias duas, facchari saturni, aluminis usi ana drachmas duas, camphoræ, olei lign. Rhodii ana drachmam dimidiā. M. D. Porro quoque singularem plane effectum in pertinaci hoc morbo annotavi a convenienti balneorum frigidorum usu, modo corpus probe prius fuerit præparatum, nec plethora, cacochymia aut nimbia virium dejectio adsit, quæ id prohibeat. Bis autem in die, mane & hora quarta vespertina, infessus fieri potest per horæ diuidium in aquam puram fluviatilem, vel, quod melius est, in Lauchstadiensem, quo peracto in lectum paulisper calefactum se recipere & aliquot infusi theiformis vaseula bibere juabit. Et mirum profecto est, quomodo non modo totum corpus inde roboretur, sed &, transpiration interdum ad sudorem usque aucta, optimè humorum a parte affecta fiat derivatio.

§. VIII.

*Indicationes curatio-
ria go-
norrhœae
virulente-*
s. Quod ad gonorrhœæ virulentæ me-
dendi methodum attinet, hæc ipsa quidem in principio, si rite instituat-
tur, non adeo difficilis est. Quodsi vero malum, ut sapissime evenit, ab empiricis chirurgis perversa me-
thodo per adstringentia tractatum, curandum nobis traditur, magno la-
bore multoque negotio opus est, ita prorsus, ut luem universalem, quam talem fluxum radicitus extirpare facilius sit. Genoina autem gravem hanc affectum sanandi ratio, me judice, in eo versatur, ut primo om-
nium susceptum in genitalia virus ve-
nereum, quod partim acris causticæ, partim putredinosæ indolis est, celer-

rime e corpore expellatur. Dein, quando jam a virulenta materia relataxæ, erosæ vel ulceratæ fuerint, se-
mini tam conservando quam excer-
nendo dicatæ partes, mundificantur,
confolidentur & roborentur, adeoque liberior humorum adfluxus præpe-
diatur.

§. IX.

Quum itaque primum & præci-
puum medentis negotium eo dirigi de-
beat, ut qua fieri potest, celeritate
veneni intus suscepit expulsione cor-
pus ab effectibus perniciosis præserve-
tur, consultum omnino arbitror, mox primis a suspecto & contagio
coitu diebus alexipharmacum cum su-
dorifero regime exhibere, quo sco-
po commendari meretur essentia ex
spiritus Cornu C. Iuccin: & essent. be-
zoardicæ æquali portione conflata,
qua singulis diebus mane ad sexaginta
guttulas cum infuso scordii, scabiosæ
& galegæ potest sumi, exspectando
postea per horam in lecto sudorem.
Neque minorem pollicetur fructum
pulvis diaphoreticus ita componen-
dus, recipe pulveris bezoard: Angli-
cani vel nostri drachmas duas, bezo-
ard: mineral, regul, antimonii medici-
nalis ana drachmam dimidiā, nitri
grana XV. camphoræ grana IV. M.F.
pulvis div: in VI. doses, quarum una
circa somni tempus per tres quatuorve
dies capiatur. Exterius vero ad di-
scutiendum insidens genitalibus virus
commendare soleo aquam d' arquebu-
sade cum essentia succini & spiritu vi-
ni camphorato vigoratam in qua lin-
teum maceratum tepide membro,
regioni pubis ac perinæi, etiam sub
ipla diaphoresi potest applicari.

§. X.

Quodsi vero jam altius venenum
radices egerit, seque intimius insi-
nuando involuntarium seminis flu-
xum cum ardore, dolore & exulcera-
tione efficerit, præcipius esse debet
labor, ut ejiciatur, corpusque per
appropriata & tam materiae virulentæ
correctioni, quam exstirpationi di-

cata remedia ab impuris sordibus liberetur. Atque horum remediorum ceatum recte subeunt, purgantia, quorum primarium ingrediens esse debet mercurius dulcis, qui peculiari & specifica sua, qua pollet, virtute in acrimonia ulcerosa caustica temperanda, evacuanda & viscositate resolvenda, reliquis omnibus palmam reddit dubiam. Optime autem cum extracto rhabarbari, & in subjectis ferocioribus cum extracto panchymagogi Crollii æquali portione remisceri atque in pilularem formam cum balsamo de Copaiwa vel Peruviano potest redigi, dando pro dosi alternis diebus scrupulum unum vel drachmam dimidiad, donec ardor immittatur, materiaqæ profluentis subflavus & viridescens color remittat. Eodem si ne eximiam merentur laudem, quæ sequuntur pilulæ: recipe gummi ammoniaci depurati, sagapeni, extracti hellebori nigri, trochisci alhandal, mercurii dulcis, resinae ligni quajaci, balsami de Copaiwa, singulorum drachmam unam M. F. l. a. pilulæ ex scrupulo uno no. XX. quæ per tres dies mane, vel circa noctem possunt deglutiri. Tum per binos dies, maxime in subjectis phlegmaticis alexipharmacæ superius memorata, ea, qua diximus, methodo exhibere, postea rursus per triduum pilulas adsumere & sudorem mouere, idque tertia vice repetere juvabit.

§. XL.

Post sufficientem impurorum humores subeunt, & corpore evacuationem remedia subjungi debent, quæ blanda balsamica virtute exsiccant, consolidant, & nimis relaxatas semifinales partes roborando, fluxum cohibent. Hæc inter jure suo ac merito referri merentur terebinthina cocta, mastix, succinum, myrra, opobalsamum, rhabarbarum, bolus armena, antimoniun diaphoreticum, terra catechu, hæmatites, & antimoniun martiale cacheoticum, quæ invicem in formam pilularum secundum artis

præcepta possunt redigi. Instar autem omnium esse poterit hæc formula, qua ego haec tenus insigni cum fructu uti consuevi: recipe terebinthina Ven. succini, mastichis, extracti rhabarbari, cascarill. ana drachmas duas, balsami de Copaiwa, resinæ ligni guajaci ana drachmam unam M. F. ex drachma dimidia pilulæ no. XX. quæ per decem pluresve dies circa nonetem cum emulsione temperante sumendæ, superbibendo postero die mane infusum theiforme ex veron. mentha, melissa, millefolio & consolida saracenica conflatum, vel etiam decoctum, cujus ingredientia sint radix chinæ, sarsaparilli, glycyrrhizæ, cichorei & antimoniun crudum in petia ligatum. Nec excludenda hoc loco venit mixtura, quæ ad fluxum semifinalis moderandum & compescendum præstantissimæ est virtutis, & ita componitur: recipe tinturæ antimoniij acris, essent. lign. quajaci, succini, ligni aloes ana unciam unam, tintur. hæmatit. seu liquoris martialis, qui ex capite mortuo florum salis ammoniac. martialium paratur, drachmam unam M. F. effientia, quæ par i ratione, alvo prius sufficienter expurgata, bis in die ad XL. guttas sumi potest.

§. XII.

Verum enim vero, nisi usum remediiorum internorum externis quoque secundemus, incassum laborabimus. Hæc ipsa vero pro symptomatum ratione longe differunt. Ita ad dolorem & ardorem in genitalibus temperandum, vel etiam bubonem, qui læpe jungitur, suppurandum, præclari usus lunt cataplasmata, quæ ex speciebus denudentibus & emollientibus, ut radice liliorum alborum, altheæ, flor. chamomillæ, sambuci, verbasci, semine scenugræci, cymini, anethi, hyoscyami &c. ex lacte vel decocto avenaceo costis possunt parari calideque crebrius imponi. Ad exulceratas urethræ partes mundificandas & relaxatas roborandas sum-

meritatis sunt injectiones ex mercurii dulcis drachinis duabus in infusi theiformis saturati libra dimidia ad horæ quadrantem decoquenda. Quodsi vero magna est erosio, lac cum melle despumato, addito decocto myrræ ex aqua, ope siphonis injicitur utilissime.

§. XIII.

Dista-
conve-
nientis.

Ultimo loco multum quoque inter-
est, ut medicus rectam & accommo-
datam vivendi rationem prescribat,
atque ægros in primis a cibis aromati-
fatis, duris & nimis nutrientibus, nec
non a cerevisiæ & vini potu, vehe-
mentiori corporis exercitatione, ani-
mi affectibus & mulierum confortio
abstinentia jubeat; alioquin malum ad-
huc præsens non modo difficulter evel-
litur, verum etiam, si curationem
jam receperit, ex facili repullulat.
Inter cibos itaque juscule tenuiora
cum endivia, acetosa, lactuca & ci-
choreo alterata, & pro potu ordina-
rio decoctum glyzyrrhizæ cum hor-
deo, vel serum lactis commendare
juvabit. Nec laude sua carent emul-
siones ex amygdalis dulcibus, semini-
bus IV. frigidis majoribus, & papa-
vere albo cum decocto Cornu C. dilu-
to confectæ & pro potu admixta, qui-
bus commodissime adduntur nitrum
purif. nec non pulveres legiter diapho-
retici ex Cornu C. usq., antimonio
diaphoreto sive cerussa antimoniis
parandi. Hac enim ratione acrimo-
nia humorum temperatur, partium
que genitalium ardor & dolor, si ur-
get, consopitur efficacissime.

C A U T E LÆ E T
O B S E R V A T I O N E S
C L I N I C A E .

§. I.

Caute-

lae.

purgan-

tiæ bal-

lamis

& dia-

retrictio-

flus

ba-

so-

co-

IN gonorrhœa benigna maxime
omnium acriora purgantia & illa,
qua mercurialis ingrediuntur, cau-
tus sunt adhibenda, quod itidem va-
let de balsamicis fortioribus & diure-

ticis; siquidem humores magis com-
movendo & ad partes genitales debi-
litatas appellendo, effluxum materiæ
augent. Multo vero magis hæc sin-
gula exulent in subjectis sanguineis &
cholericis, quibus longe gravius no-
cent. Haud aliter sentiendum est de
adstringentibus, quæ nunquam sine
præmissa sufficienti humorum corre-
ctione in usum debent vocari, nisi
mali moris gonorrhœam, maxime
in iis, qui magna humorum impuri-
tate scalent, proritare velimus.

§. II.

Venæsectio & cura per inediam *Cires P.*
qua potu viduque tenui & exsiccante *Sionem*
absolvitur, in plethoricis pinguis & *& emul-*
spongiosi habitus laetisque viventibus *per in-*
diam.
inter morbi initia locum inveniunt
aptissimum, cum contra, si fluxus
diuturnitate corpus debilitatum nimis
fuerit, omitti prolsus debeant; si
quidem vires magis exhauiendo sape
cachexiam, tabem dorsalem cum he-
terica febre vel impotentiam virilem
inducunt.

§. III.

In curanda gonorrhœa maligna at-
tendere maxime medicus debet ipsam *Tempu-*
ægrotantis *rametæ* constitutionem. Pluri-
mum namque refert, nuna laborans *humor &*
complexionis sit cholerica & sanguin- *ratio*
neæ aut phlegmaticæ, & an naturæ *babona* in go-
rit robustioris vel imbecillis ac teneræ, *norrha-*
Neque minus probe inquirere oportet, *mali.*
qualis humorum sit conditio. *egit.*
Hæc enim prout differt, variat quo-
que ratione symptomatum affectio.
Ita si corpus offendit cacochymicum
& ex improba victus ratione vel alio
gliscente morbo scabie, purpura scor-
butica, vel affectu hypochondriaco
detentum: tunc utique deteriora cu-
ratuque difficultiora pertimelcenda sunt
symptoma.

§. IV.

Si calidores lessibiliorisque indolis *Caute-*
homines pernitialis hæc fluxio corri- *la*
pit, ab omnibus calidioribus, pur- *tra*
gantibus, sudoriferis, diureticis, *tionem*
decoctis lignorum, ut guajaci, acrio- *sholari-*
T 3 *torum*
sibus,

ribus, essentiis balsami Peruviani & opobalsami, maxime in principio fluxus, abstinere debemus. Novi enim præpostero, & sine convenienti corporis præparatione instituto illorum usu, vitiosum humorem retentum, fluxumqua suppressum, sed loco hujus bubones excitatos, & non modo circa genitalia, sed in facie quoque pustulas ulcerolas pestissimi meri subortas.

§. V.

Circa Qui segniorem & phlegmaticam obtinent temperaturam, in his, præmissa sufficieni corporis expurgatione, roborantibus & leniter spirituosis *phleg-* *matice* gonorrhœam incipientem perfecte curatam & hostile virus expulsum memini. Atque hoc fine nonnunquam per aquam vitæ in parciori sed saepius repetita dosi exhibitam potiri licuit, qualis ita paratur: recipe herbz menthae manipulos tres, terebinthinae venetæ unciam unam, balsami Peruviani unciam dimidiam, destillentur cum vini Rhenani mensuris tribus. Dosis sit uncia una ad duas. Cui etiam comode substituitur hæc formula: recipe aque rosar. spiritus vini rectificati ana mensuram dimidiam, julepi rosarum uncias duas, balsami nostri viæ guttas 50. M.

§. VI.

Circa Quamdiu materia profluens foetida est & subviridis, nunquam danda sunt *adstringentia*; nam ubi intempestate & nimis cito fluxus iisdem supprimitur, aut decocta lignorum validiora cum regimine sudorifero offeruntur, venenum transit in seminis & lympham massam, unde symptomata lui venerea propria resultant. At vero ex nullo prope adstringentis facultatis remedio major redundat noxa, quam a sacharo saturni interne, ut empiricorum mos est, sinistre oblato. Vidi enim colicam convulsivam, appetitus prostrationem alisque pertinacissimam obstipationem inde inductam. Idem quoque valet de injectionibus adstringentibus, quæ, nisi fluxu im-

puro correeto, numquam debent adhiberi.

§. VII.

Inter medicamenta urinæ fluxum promoventia pessime, ut arbitror, *Circa* a diuersis referuntur cantharides & cæsa, parata ex iis essentia, siquidem vijs urinariis admodum sunt infenæ, facileque pernicioseas renum & vesicæ inflammations cum mixtu cruento, nisi convenientibus succurramus remediis, cire valent.

§. VIII.

Circa Venæ sectiones in curatione gonorrhœæ virulentæ raro exiguntur, & in sensibilioribus, quibus facile materiae fordidæ contingit suppressio, magis obsunt, quam prosunt; attamen si corpus sanguine turget & juvenile est, ad mitiganda symptomata sine noxa concedi possunt.

§. IX.

A variis subinde causis evenit, ut *Quid se* materia parcior ex pene effluat, & siendum mox pustulae in corpore hinc inde ad. *si flum* parent. Tum vero loca affecta hu. *ffitter*, mettere, fatu, balneis & cataplasmatis relaxare atque purgantibus materiam deorsum ducere consultum erit. Juvant quoque eodem fine injectiones lactis dulcis, & decocti avenæ cum oleo amygdalarum dulc. remixti a quibus ego fluxum saepius iterumque revocatum scio.

§. X.

Mirum certe est, quod gonorrhœa *Gonorrœa* per salivationem tolli non possit; *Circa* *in-* *vetera-* *brior enim usus & experientia satis te raro docet, pessima venerea ulceræ, quæ per saltum in universo corpore radicantur, hacce *curatæ* curatæ *sed sa-* *remanisse*. Et profecto mo- *pe per* lestissima hæc fluxio, si male tractata *Caro* & inveterata fuerit, rarius ad frugem *est*. reducitur, sed per totam saxe vitam laborantes comitantur. Latitant quippe nonnunquam in glandulis prostatatis tam majoribus, quam minoribus scirrhosa & fistulosa ulceræ, quæ ra- dictus tollere difficilellum est. Ni- *sumus* hilo tamen minus aliquoties exoptatis-*

fumum reperi auxilium in usu therma-
rum Carolinarum interno, quæ licet
alias provide in gonorrhœa recenti
sint usurpandæ, eo quod debiles par-
tes magis relaxando, majorem mā-
teriæ adfluxum efficiunt; in inverte-
rato tamen malo, dum insigni vasor-
um obstructiones tollendi, diuque
latentes, incarceratos & duros tumo-
res resolvendi efficacia pollent, cum
fructu dari possunt. Sed ut minori
quantitate, adhibitis simul in & post
curam roborantibus balsamicis inter-
nis & injectionibus, bibantur suader-

§. XI.

Quæ possest in urethra exulta- ratione. Quando urethra, cujus tunica me-
dia valde glandulosa, non modo exul-
cerata, sed & nimis relaxata est, &
fungosæ substantiæ quidpiam adhæret,
ex qua postea prodeunt urinam valde
remorantes tarunculae, solam essen-
tiæ opobalsami cum spiritu vini ex-
tractam, item balsamum nostrum vi-
tae cum tribus partibus l' eau d' arque-
busade dilutum aliquoties de die fausto
cum successu injiciendum curavi.
Enimvero tali injectione sat vehe-
mens in membro excitatur ardor, qui
tamen sensim paullatimque remittit.
In car- sultis tollen- dis. Speciatim vero de carunculis, quæ
nonnisi species verrucarum sunt, te-
nendum arbitror, quod pulvere quo-
dam erodente, apt ferro candente
optime tollantur. Sed hæc operatio
peritam postulat manum, ne forte
tali ignito instrumento vicina pars læ-
datur.

§. XII.

Canticum peno- nigræ. Ad mandificanda glandis & penis
ulcera sequens epithema præstantis
erit efficacia: recipe aquæ calcis vivæ
eum aqua rosar. dilutæ uncias duas,
l' eau d' arquebusade unciam unam,
sacchari saturni grana X. mercurii
præcipitat. albi grana VIII. M. Con-
tra ubi stimul consolidandi intentio est,
balsamum Sulphuris antimoniatum &
terebinthinatum cum unguento dige-
stivo remixtum meretur commen-
dari.

§. XIII.

Bubones, si junguntur, quantum
fieri potest emplastro emolliente A-
gricolæ cum oleo hyoscyami & sapone
malaxato sunt maturandi. Cui scopo
etiam emplastrum Barbette sapona-
tum & cum pauxillo oleo hyoscyami
subactum egregie inservit.

§. XIV.

Quando scrotum cum testiculis in
magnum tumorem agitur, succur-
rendum est fomentis calidis, sive ad-
missione vaporum ex decoctione her-
barum & florum emollientium cum flumi-
lacte facta abeuntium: qua methodo
tempestive adhibita tumor mollitur,
ut dein emplastra resolventia majori
cum emolumento applicari possint.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Flagitavit haud ita pridem opem
meam vir triginta annorum *Gonorrhœa*
temperamenti sanguineo-cholerici, *tribus*
qui cum per crebras manusuprationes
magnam sibi contraxisset valorum se-
minalium atoniam, gonorrhœam in-
cidit benignam, per quatuor annos
sub alvinarum sordium excretione lo-
tiique emissione moleste infestantem.
Ad sistendum hunc fluxum aliquoties
sumsit oleum terebinthinæ, unde
fluxus quidem cessabat; tantum au-
tem aberat, ut pristinum genitalibus
robur & stimulus ad coitum restituere-
tur, ut potius hic penitus supprime-
retur. Nec ullis per quatriennium
remediis poterat revocari, usque tan-
dem naturæ vigore cibisque eupeptis
pollutiones nocturnæ cum leni quo-
dam simulo & penis erectione redi-
rent. Sed non multo post pristina lu-
debatur scena, & materia seminis
analogæ sub alvi & vesica exoneratio-
ne rursus e pene profluebat, idque
nunc per integros quinque annos.
Ego igitur consultus primo omnium
suasi, ut æger, seposita omni cerevi-
sia,

sa, decoctum ex rad. scorzonera chinæ, acetos. rasura ligni santali rubri, flavi, aloes, lentisci &c. mane calidum, dein frigidum biberet, atque in viatu carnes tantum assatas & ex his constituta tenuiora jusecula adsumeret vini-que rubri Gallici, pontac diili, haustum cum elixirii ex essentia corticum surant. tintura tartari & pauxillo olei macis conflati XL. guttulis inter cibos caperet. Ad alvum apertam servandam commendavi mala Borßdorffensia cum passulis cocta & prunellas, ante decubitum vero pulverem obtulissequentem: rec. succini præp. drachmam unam, nitri purif. drachmam dimidiā, terræ catechu, corticis cascarillæ ana grana XII. M. F. pulvis div. in doses LV. Demum quoque re-gioni pubis per noctem calide impo-nendum suasi fæcculum fol. myrti, lauri, flor. chamomill. roman. rosar. masticæ & succino repletos & ex vino rubro coctos. Nec dubito, quin æger egregium inde percepturus sit levamen.

EPICRISIS.

Intempes-tive in nostro casu adhibi-tum fuit oleum terebinthinae. Equi-dem tali remedio fluxus ad tempus si-flitur, sed ex facili redit, ac se-pe graviora accedunt symptomata. In cura-tione rite instituenda ego maxime omniū respexi ad ægrotantis natu-ram corporisque habitum, qui quem valde effet obesus, tenuiorem victum seu curam per medium praescribere consultum putavi. Nisi enim commo-de subtrahatur morbi pabulum, pa-rum vel nihil proficitur. Posthæc ve-ro eo annitendum duxi, ut partes se-minales nimis relaxaræ & a tono suo dejectæ roborentur, id quod tutissi-me perficitur remediis tam internis quam externis supra commemora-tus.

OBSERVATIO II.

Vir triginta annorum, constitu-tionis sanguineæ, habitu corporis spongioso præditus, post celebratum, baculum impura coitum, malignum fe-rentem minis cum dolore, ardore ac molesta membra & perinæ tensione junctum incidit profluvium. Chirurgus in con-silium adhibitus essentiam balsami de Copaiva sat larga obtulit quantitate, indeque effectit, ut non modo eopiosius materia purulentæ cum sanguine mixta, sed & ipsius pori sanguinis ex urethra succederet stolidum. In tali rerum statu venæctionem in manu administravit, & ad alvum du-cendam pilulas ex panchymago Crol-lii & mercurio dulci confectas adhibi-re jussit, quo siebat, ut sanguinis quidem fluxio cessaret, urina vero temper fabulosa, & liquor ex genita-libus albicans per longum temporis spatium promanaret. Ego tandem consultus decoctum praescripti tempé-ratius bibendum, & fæcculos ex spe-ciebus roborantibus nervis repletos in vino rubro decoctos regioni pubis & perinæ crebrius adipicare, & ad relaxatas partes roborandas balsamum nostrum vitæ cum tribus partibus I' eau d' arquebusado dilutum injicere imperavi, tam felici eventu, ut brevi post relieta illa liquoris albicans ex genitalibus fluxio evanesceret.

EPICRISIS.

Sistit hic casus gonorrhœam viru-lentam in benignam desinentem, ut quidem ex liquoris albidi minus puru-lenti profluvio deprehendere licet. Difficulter admodum ejusmodi go-norrhœa simplex a maligna residua, si invaluit, curatur: quare ut tem-pes-tive medicus manum auxiliatri-cem adserat necesse est. Cæterum taxari omnino meretur perversa chi-rurgi in tractando hoc ergo methodus,

dum ad virus venereum e corpore cito
eliminandum inter initia morbi mox
calidiora præbuit remedia , quibus ,
præsente jam fluxu , nihil datur per-
niciens . Hac enim ratione virulen-
ta materia in sanguinis & lymphæ
massam invenit , longeque subtil-
lier redditur , ut facilis inde ad ipsam
luem venereum fiat transitus .

OBSERVATIO III.

*Gonorrhœa
rbum
malide
ebrent-
ea / sepe
recidi-
vit .*

Vir quinquaginta annorum , tem-
peramenti choleric - melancholici ,
in primis juventutis annis gonor-
rhœa laboravit virulenta , quæ ali-
quoties siluit , iterumque recruduit .
Aliquando tamen mercurialibus &
terebinthinaceis prorsus fuit sublata ,
sed aliquod tempus post in utroque
inguinum latere prodierunt bubo-
nes . His iterum intra tres meses
sublatis in cervice , cubitorum arti-
culis , & in ani ossaque sacri confi-
niis estoruerunt maculae livide &
squamosa , quæ , accedente calore ,
intolerabilem excitarunt pruritum
& ardorem . Petuit itaque Caroli-
nas , easque balnei loco adhibuit ,
sed inde in gonorrhœam incidit
simplicem , tam pertinacem , ut
nullis haetenus remedii tolli potue-
xit ; siquidem a mitioribus injectio-
nibus materia profluens redita est
sordidior , & fortioribus copiosior &
sanguinolenta . Post varia adhibita
remedia fluxus quidem remisit , sed
brevi temporis spatio iterum rediit ,
denuoque fuit expugnatus . A quo
tempore mox in inguine æger do-
lorem percepit tracteriorum & pre-
ssorum , cui se adlociavit febriculosa
intemperies & simul cum urina ,
quæ plerumque cum ardente dolore
redditur , alba viscidaque materia
proleuit ; majori tamen quantitate ,
si corpus movet , quam si in
quiete continet .

EPIGRISIS.

Ex præfata morbi historia plura
in usum nostrum deponere possumus .

1. Perquam notatu dignum est ,
quod fluxus seminalis crebriores pa-
tiatur recidivas , ita prorsus , ut
exactis aliquot annis reverti possit .
Ratio inde petenda venit , quod rarius proh dolor hoc vitium ra-
dicitus tollatur , sed ante conve-
nientem evacuationem sanguinisque
depurationem adstringentibus tra-
ctetur . Qua methodo fluxio qui-
dem ad tempus compescitur , sed
materia viciofa circa loca affecta
iatus retinetur , unde novi mali
fomes perpetuo in corpore lati-
tat .

2.) Accedit , quod in nonnullis
subjectis gonorrhœa perperam cu-
rata partium feminis secretioni va-
cantium magnam post se relinquit
infirmitatem , quæ postea facile ab
impurorum humorum copia , a bal-
neis nimisque refrigerantibus , vel
corpus homeostantibus & alio modo
debilitantibus , imo ex morbo vel
estate invaleseit , ut hinc ejusmodi
involuntarium seminis profluvium
vel in extrema estate non raro
contingat .

3.) Non dubitandum , quin in
nistro hoc casu crebriores injectio-
nes , sicuti omania topica impruden-
ter applicata , fuerint perniciissimæ . Etenim prius per convenien-
tia interna remedia humorum vi-
tiolorum correctioni , evacuationi
& a loco affecto derivationi pro-
spicere debet medicus , quam ad
externa progreditur ; alioquin dam-
num infert vix illa medicina repa-
rabile .

OBSERVATIO IV.

*Ex ge-
nito-
nibus
saturni-
nis ma-
le tra-
cta
sympa-
mata.* Qui viginti annos habet juvenis generosus ex impuro coitu sibi saturnum ex genitalibus contraxit prole struere, ad quod abigendum chirurgum consuluit, qui præter purgantia saturninis, ut tinctura antiphthisica Grammanni & pulvere quodam ex corall. osse sepiæ, succino, terra sigillata & magisterio saturni composito fluxum compescere tentavit; & subsistit quoque, sed mox æger acerbissimus adfligebatur ventris terminibus, ut humi serpere, & corpus miris subinde modis torquere cogeretur; alvus simul erat constrictissima & perpetuus sed irritus ad vomendum conatus. Intermittebant quidem singula hæc mala per aliquot horas, sed statim quasi periodis eadem vehementia revertabantur. Ego igitur in consilium adscitus, clysteres infundere jussi mere oleosos, ægrum in balneum descendere & foimenta abdomini applicare suasi. Interius vero decoctum mannatum & rhabarbarinum cum oleo amygdalarum dulcium per vices adsumendum obtuli. Alvo sic aperta, flatibus discussis, ingentique fardum expurgata copia, singula quidem remittebant symptomata, sed, quod memorabile est, molestus seminis fluxus redibat.

EPICRISIS.

1.) Sævissima illa, quæ enumera vimus symptomata non aliunde arcessenda sunt, quam a temerario medicamentorum saturninorum uso, quorum tanta vis est ac vehementia, ut teneras ventriculi & intestinorum membranas nerveas spasticè crispendo ac constringendo, motum & tonum peristalticum plane invertant, adeoque efficiant, ut sanguis intra sensibiles intestino-

rum tunicas subsistens rosiones, inflammaciones & spasmos conciter atrociissimos.

2.) Illud adhuc notandum venit, quod sedatis istis intestinorum spasmis, alvoque referata, semen profluvium redierit, aperto indicio, per consensum quasi & sola generis nervosi constrictione talem fluxum antea fuisse cohibitum.

OBSERVATIO V.

Coronidis loco adhuc commemo- Obser- rare placet, quod non raro miasto- ma venereum, nisi tempestive aver- circa lq. tunicas internas arrodendo, non in modo dolorem & spasmum inibi excitet intolerabilem fere, sed & dysuria inducat, unde urina cum copioso sedimento parolento, quod in fundo conspicitur, emittitur. Neque renes omnino sunt immunes, sed quandoque magnam contrahunt labem, ut chylosa & nutritia materia simul cum urina secernatur, & si incrementa sumit talis exulceratio, febris accedit lenita & hec tica, dolor capitis artuumque exquisitissimus, virium jactura, vigilia & ipsa denique mors. Quod si vero incident hæc mala, tutta & utilissima deprehendi primo infusa herbarum vulneraria, qualia ex veronica, agrimonie, urtica mort. mentha, melissa floribus hyperici, sicibus &c. optime conficiuntur. Dein pro potu præscripti decocta temperatoria & quandoque tincturam tartari vel antimonii minus acrem cum balsamo de Copaiava permixtam, nec non pulveres ex osse sepiæ, semine lycopodii, corall. & aliquot nitri purif. & cinabaris granis compositos cum emulsione semin. IV. frigid. obtuli. Nec detum omittendas duxi injectiones, quæ ex aqua d'arquebusade cum aqua calcis vivæ, plantag. spermat. ranar. optime con-

conficiuntur. Omnia tamen remediorum vires longissime superant aquæ Spadanæ, jam olim ab Henrico ab Heer in tali casu valde commendatae, si per aliquod tem-


pus cum debito regimine adhibentur.

Plures notabiles observationes occurunt in Consult. medicinal. Tom. III, Sect. III, casu XLIV, usque CII,


F I N I S:

et de la peste et de la morte, et que le malade n'entre dans
la tempeste mortelle, et que son corps soit purifié de tout mal, et
que l'âme soit délivrée du mal. Que cette prière soit faite pour moi.
Amen.

LE 14 JUILLET



of the same country as us
Cade. who did not care for orders than
the Romane world. which was
as good as any other in the world.






ESTANTE 8.^o

Tabla 8.^a

N.^o 7





HOFFMANN
MEDIS UNA
RATIONALIS

TE TWO

25

19

12.861